

de la Comp^a de Jesus de Granada B-5344 B34

BREVILOQVIVM

SCHOLASTICAE THEOLOGIAE, IN QVATVOR LIBROS MA-

gistri Sententiarum: Per Fratrem Franciscum Ouan-
dum Mogollonem de Paredes, Prouinciæ Sancti
Michaelis, Ordinis Fratrum Minorum
Prouincialem Ministrum.


*Opus quidem plus prestans,
quàm promittens.*



CVM PRIVILEGIO,
SALMANTICAE.

Apud hæredes Mathiæ Galii

M. D. LXXIII




de la Comp^a de Jesus de Granada R-5344 134

BREVILOQVIVM

SCHOLASTICAE THEOLOGIAE, IN QVATVOR LIBROS MA-

gistri Sententiarum : Per Fratrem Franciscum Ouan-
dum Mogollonem de Paredes, Prouinciæ Sancti
Michaelis, Ordinis Fratrum Minorum
Prouincialem Ministrum.

*Opus quidem plus prestans,
quam promittens.*




CVM PRIVILEGIO,

SALMANTICAE.

Apud hæredes Mathiæ Gafurii

M. D. LXXIII



EL REY.

POR quanto por parte de vos fray Francisco de Obando, frayle de la Obseruancia de señor Sant Francisco, y Prouincial de la Prouincia de Sant Miguel, nos ha sido fecha relació que vos auia des compuesto vn libro llamado Breuiloquio theologico, sobre los quatro libros de las Sentencias del Maestro, supplicandonos os diessemos licencia y facultad para le poder imprimir, y Priuilegio para que por tiempo de veynte años, otra ninguna persona lo pudisse imprimir sin vuestra licencia y mandado, o como la nuestra merced fuesse: lo qual visto por los del nuestro Cónsejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que la Pragmatica por nos nueuamente hecha sobre la impresion de los libros dispone, y por os hazer bien y merced: fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra carta para vos en la dicha razon, y yo tuue lo por bien. Y por la presente os damos licencia, y facultad, para que por tiempo de ocho años, que corren y se cuentan desde el dia de la fecha desta nuestra cedula, vos o la persona que vuestro poder ouiere, podáis imprimir y vender el dicho libro que de suso se haze mencion: y por la presente damos licencia y facultad, a qualquier Impressor destos nuestros Reynos que vos nombraredes, para que por esta vez lo puedan imprimir, con que despues de impresso antes que se venda lo traygais al nuestro Consejo, juntamente con el Original que en el se vio, que va rubricado y firmado al cabo, de Miguel de Ondarça çauala nuestro escriuano de Camara de los que en el nuestro Consejo residen para que se corrija con el Original, y se os tasse el precio que por cada volumen ouieredes de auer: Y mandamos que durante el dicho tiempo, persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir ni vender, so pena que el que lo imprimiere y vendiere, aya perdido y pierda todos y qualésquier libros y moldes que del tuuiere y vendiere en estos nuestros Reynos: y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis por cada vez que lo contrario hiziere, la qual dicha pena sea la tercia parte para la persona que lo accusare, y la otra tercia parte para el Iuez que lo sentenciare, y la otra ter-

cia parte para la nuestra Camara: Y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidentes y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa y Cortè, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Asistente, Governadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros Iuezes y justicias qualesquier de todas las Ciudades, Villas y lugares de los nuestros Reynos y Señorios, assi a los que agora son como a los que seran de aqui adelante: que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced, que assi os hazemos, y contra el tenor y forma della, ni de lo en ella contenido, os no vayan, ni passen, ni consientan yr ni passar por alguna manera, so pena de la nuestra merced, y de diez mil maravedis para la nuestra Camara. Fecha en Madrid à veynte y quatro dias del mes de Iulio, de mil y quinientos y ochenta y tres años.

YO EL REY.

*Por mandado de su Magestad,
Antonio de Erasso.*

F. FRANCISCVS
OVANDVS MOGOLLON
DE PAREDES, MINISTER PRO-
uincialis, prouinciæ Sancti Michaelis Ger-
manis suis charissimis Fratri Gomezio de
la Rocha, Guardiano conuentus Sancti Francisci del Erena: &
Fratri Ioanni Ouando Sacræ Theologiæ lectori in conuen-
tu Sancti Francisci Legionensis, prouincię San-
cti Iacobi. Nunc autem in Oue-
tensi, S.



On semel, quæ aliorum credo animos, ea & nostrum fratres amantissimi subijt cogitatio, quid Theologiæ, alijsque facultatibus conducere magis, tot libros edi quotidie, an repressa scribentibus audacia, desiderium promendi quicquid faucibus interceptum extingui. Ad quamuis partem ratio non deerit, quæ distrahens animos in contraria suã cuique iucunditatem diuidat, persuadens vnum quam alterum ad studia magis conferre. Nolens de hac re alienæ sententiæ præiudicium facere: mihi semper animo arrisit paucis vti libris, eis vero ad præfixum scopum accommodatissimis: ne dum vagarer per diuersos, quasi hospes multa viderem in itinere, quibus gauderem, nullis tamen vterer. Habet hoc lectionis varietas, vt comodò plurima præstet, quæ simus continuò deposituri. Existimabam idcirco melius esse paucis vti quasi proprijs, quam plurimis, vt alienis. Dum enim pauca eaque selectissima memoriæ nobis infident paratis proferre quando volumus, longe sumus ditiores ijs, qui cura multa percurrerint, semper, quia oblitii, omnibus indigent. Thesaurus, quo domino

Epistola.

pro suo arbitratu non licet vti, non secus venerit æstimandus, quam si non haberetur omnino. Tantundem est in eo vtilitatis ad constabiliendâ rem domesticam, ac si quis ob id se diuitem gloriaretur quod vicinus magno auri pōdere sibi ostenso pollicitus fuisset, identidem quoties libuerit ostensurum: æquè nobis vsu venit iactantibus nimiam librorum suppellectilem, è quibus fructus non carpinimus, aut non retinemus. Iam inde à principio studiorū meorum, ne sine fructu in promptuario essem, incesserat cupido. animum ex adeò multis quæstionibus in Theologia quam Scholasticam vocamus, discussas reiectasque in planum propositiones communiore feligere sine argumentis: quæ vt fasciculus Myrrhæ inter vbera commorantes & me reficerent & quando tractandæ cū alijs forent studiosum Theologiæ aspirarent. Voti compos multis annis fieri nequiuī alio trahentibus curis & studio ambitiosiori. Fateor enim ea me in iuuentute ambitione perculsum, quæ plures sui iuris effectos ad promendas scriptitationes impellit. Tentavi non pauca vel in scripturæ sacræ partes commentaria, vel si quo modo liberiori stylo in sacris redderē ex rhetoribus quæ me docuerat Leo à Castro in literis latinis & Græcis præceptor Salmaticæ olim meus. Post aliquale sensuum fatigationem inueniebam quod Sapiens ille concionator, in eis esse laborem & afflictionem spiritus, multam quoque indignationem. Nam demisso refrigeratoque scribēdi calore, propria quasi aliena reuisenti in promptu erāt illius carmina.

Cum relego scripssisse pudet, quia plurima cerno

Me quoque qui feci iudice digna lini.

AEgritudo est omnibus fere scriptoribus eorū attestāte cura minuendi, augendi, mutandi, quæ semelediderūt. Rogati vnde sciunt abijciēda quæ primò elegerunt? vnde melior

Cant. 1.

Eccles. 1.

Ouidius. 1.
de ponto
eleg. 6.

Epistola.

melior sequens ordo quam prior? Vnde in breuitatem redigunt quæ primò copiose? Quare vbertim quæ prius angustè? forsan hac se voce communient satisfactione alia relegata, quod posteriores curæ semper sint meliores. Quòd si ad plures recognitiones accesserint eodem modo erunt facturi: tam sibi est constans humanum ingenium. AEdificantes imitamur, quibus cum solum non crescat innouare quotide molientibus, necesse est diruere cameras & mutare: atque altiora quandoque, sed ruitura ædificia superimponere. Qui neque in improprijs neque in alienis libris quiescunt non dilatata in nouū materia, sed ex parte vna translata in aliam, eadem omnes dicunt & libros infarciunt. Quòd verum sit illud sapientis faciendi libros nullus est finis. Qui se in altiora euexerunt ambita nouorum adinventione in hæses reciderunt. Quid aliud enim facere poterant gloriam propriam querentes nisi loqui à semetipsis? Post aliquandiu in hæc & in illa distractus quæ probarem, quæ rejicerem, quæ pauca ex quibus multis eligerem, discerptus animo agnoui alio me indigere AEsculapio, qui ex varijs locis collectū in vnum redderet. Constitui ergo desiderio scribendi retracto vni illi intendere quod dominus in euangelio præ alijs necessarium esse pronunciauit. Et per Hieremiam. Non gloriatur Sapiens in sapientia sua, nō fortis in fortitudine, nō diues in diuitijs: in hoc gloriatur qui gloriatur scire & nosse me. Quam Dei notitiam Ioānes Apostolus in obseruantia mandatorum collocauit. Qui dicit se nosse Deum & mandata eius non custodit mendax est, & in eo veritas non est: qui autem seruat verbum eius verè in hoc Charitas Dei perfecta est. Innotuerat ei à Magistro vim cognitionis in eo sitam vt carus haberetur: dixerat namque Iudæis. Vos dicitis de patre, quia Deus noster est & non

Eccles. 12.

Ioan. 7.

Luc. 7.

Hier. 9.

1. Ioan. 2.

Ioan. 8.

Epistola.

Ioan. 8.

& non cognouistis eum. Ego autem noui eum, & si dixerō quia non scio eum ero similis vobis mendax : sed scio eum & sermonem eius seruo. Charitas breuiori tempore, minori item labore plus in Deum proficit, tumorisque virus à scientia exugit. Subsidente inflatione consummati roboris valetudo sequitur, vt neque periculum, neque amaritudinem, habeat conuersatio scientiæ, nec tædium conuictus illius, sed lætitiā & gaudium. Securam animi exhilarationem facit Theologia quando eo spiritu leguntur libri quo scripti sunt. Hoc est vt se vnusquisque ad id quod legit effingat & formet, quod Deum timeat, à malo recedat, in bonum prouehat. Nam timor Dei ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Ea igitur quasi de nouo me conditione libris addixi post annum ætatis quadragesimum quartum, vt facerent ipsi ex me, quod ego in alijs facere optarem quamplurimo edito volumine. Qui mihi sat sunt, & alijs erunt procul missa temeraria cura componendi alios & emittendi. Vix iam dicitur quod non sit dictum prius ab his qui fuerunt ante nos. Abunde valet quisquis à prioribus edoceri, atque sibi quam amauerit virtutis faciem imponere. Quidam bonus pater iam canitie venerandus sic me iuuenem Salmanticæ de studijs admonebat. Vos concionatores comparati estis fabro argentario, qui vasis abundans prætiosis vitro bibit illoto: quæsitus ab amicis quare argenteis & aureis non vtatur protinus ait, Extant venalia tangere non licet. Quicquid studio acquiritis alijs tenetis expositum, retinetis nihil. Adeo veram esse video præfatam sententiam vt hodie ij libri in maiori pretio sint, qui ad populum è suggesto docendum promptiores sunt, esto minus ingenio & eruditione polleant. Huc labor omnis & cura inuigilat, in hoc indices apparantur, ex quibus

F. Franciscus Vello.

ad

Epistola.

ad manus habeat, quæ absque studio plebi garrulus effusiat. Prudentia & Sapientia decent prius cisternam & puteum quem repleant fluentia sibi parari. Post deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Stultus totum spiritum quem primo concipit simul profert, Sapiens reseruat in posterum. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate eius, suadet sapiens Ecclesiasticus. Eius consilio pariturus, dum in interiora dissipatum animum commodius retraho, scholasticam Theologiam reuiso, vt lætarer cum muliere adolescentiæ meæ, & licet sero enchiridion seu breuiolium quod ab initio studij optaueram, intra paucos menses concinnaui, nil cogitans de prelo. Intendebam conclusiones tenere paucis munitas, parentum seu defensorum nomina, & locos vbi ea tractabant. At vero dum incipio alia ex alijs sic intertexta prodibant vt chartas plures æquo, ni præcidissem, implerent. Quatuor doctores mihi proposui, ex quibus corradarem, quæ huic operi conficiendo quadrabant. Ij fuerunt Alexander Hallensis mira pollens grauitate, vt Theologiæ Scholasticæ verus parens: Sanctus Bonaventura vbique spirans eum Dei spiritum quo plenus erat: Ioannes Scotus doctor quidē subtilis, vegetus & discussus: Ricardus de Mediauilla perspicuus & abundans. Hi mihi videbantur inter doctrinas antiquorum & sanctorum doctorum quas vocamus originalia quasi quatuor deambulatoria in domo saltus Salomonis inter columnas cedrinas. Egrediebatur Alexander ad irrigandam vniuersam Scholam vt fons ille paradisiacus in capita distinctus. Bonaventura sic in expositione Magistri sententiarum alijsque suis opusculis fluit, vt à principio & quasi ab incubulis formet discipulos in Dei contemplationem atque

Prou. 5.

Ibi. 29.

Eccli. 30.

Prouer. 5.

3. Reg. 7.

Genes. 2.

¶ ¶ amorem

Epistola.

amore optimo auro, lapide Bdellio & onychino potiores. Scotus, ut ingenij maximi homo, pugnacissimus, quosque ad luctam vocat in arenam, parit nemini: esto aliquibus tenebrosus videatur, at vero tractatus non adeo est asper, insuavis, aut hirsutus. Ricardus procedit æquabilis viro eodemque tenore semper in disputatione se temperans, ut à Thoma, vel Thomas ab eo (nam fuisse contemporaneos sunt qui autument) fuerit stylum mutuatus. Alexander ipse cum omnium scholasticorum fuerit primus, frugifer, fructuosus, tam est desertus ut sub eius nomine vix aliqua feratur ex opinionibus. Deridetur à iunioribus tempore, quorum patres cum scholæ suæ discipulis ponere non dignarentur. Procul à meo compedio Thomam facere ne quiui tot habentem æmulatores. Necessè fuit illius referre opiniones quas multi sequuntur. Confiteor autem ingenue me in Scoti doctrina Salmantica fuisse nutritum: non tamen illi aut alteri sic addictum, quin ubi magis consona inuenerim sequar. Fecit hoc & Scotus ipse Alexandrum & Bonauenturam nunc refellens, nunc defendens. Quid magis mea refert Scoti opinionem tenere quam cæterorum mei ordinis, vel etiam ipsius Thomæ? Accepti beneficij à meis sum memor, & quæ ab ipsis disco libèter eis refero, etiam si in alijs inueniam. De Thoma vero id iudico, quod de Aristotele quidam: Eum ingenio, doctrina & rerum peritia summum fuisse, atque ut vno verbo dicam, è celo diuinum hominem: hominem tamen qui sicut non omnia quæ scripsit primus inuenit, ita alijs inuenienda reliquit, & inuenta solidius firmare. Non illi sic natura, & autor naturæ Deus muneris sua contulit ut qui Thomæ generationem tribuit sterilis atque effœtus manserit alios non pariens & parere faciens Deus. Moyses fidelis in tota Ecclesia tanquàm famulus in testimonij eorum quæ dicenda

2. 207

2. 208

101. 110

2. 209

Iob. 30.

Rodolphus

agricola. 1.

de inuentione.

2. 210

Isaie. 66.

Heb. 3.

LIBRARIUS

PP

da

Epistola.

da fuerunt dimisit quæ successor præstaret Iesus Nauè. Cum quo sicut cum Moysè fuit Dominus non dimittens neque derelinquens. Dùm ad scholas conuenitur vnusquisque doctorum fidelium Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem ad edificationem habet. Possunt per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes exhortentur. Quanto sanctior quisque tanto magis inuidia carens gaudet cum Moysè velut Heldad & Medad secum alios prophetare: neque studet occisis ad lapidem vnū Septuaginta fratribus regnare solis: aut nimio zelo filiorum odiosum reddi Chananeus. Disputatio scholastica sita est in opinionibus, liberumque humanum ingenium ad has vel illas confectandum. Quocirca miratus sum Parisijs disputantes probare autoritate Diui Thomæ classici doctoris, idque etiam Sorbonæ: neque potui non dicere cuidam Reuerendo Patri ministro prouinciæ Sancti Ludouici, qui me illuc deduxerat Salmanticæ id esse insuetum. Quare enim magis probabit vnus classici autoritas, quam refellet alterius? Si tanti vnus sit quod eius nomē cæteros omnes subigat, quid in subactis extensis palmis se dedant, & scholastica cessent tam prælia, quæ præmia? Doctissimus F. Andreas Vega in Theologia Magister seu doctor Salmanticæ, dùm in quodam exercitio scholastico exijs, quæ vocantur minora præsideret, argumētum tyroni ex Thomæ autoritate moxque succubente in argumētum pauitatis memoria, blanda suauitate respondit, Ecce hoc in panam peccati mi dñe quia allegastis D. Tho. Hac lege classicum Scholastici canūt ut parati ad pugnam prodeant, triumphum reportaturus qui ratione fuerit potior. Quod inter Augustum & Gallum de versibus Maronis non comburendis transigitur vno ex eis formato disticho Academijs de Scholasticis doctoribus dici potest,

Iosue. 7.

I. Corinth. 14.

Num. 11.

Iud. 9.

Genes. 34.

Andreas

Vega.

¶ ¶ 2

Lau-

Epistola.

Augustus
Cornelius
Gallus.

Laudentur, placeant, vigeant, relegantur, amentur.

Nec vobis pereant tot monumenta ducum.

Ego qui vt dixi neque de prelo, neque de praelio cum scribebam cogitavi, sed suppresso classico, id est tacito nomine quæstionum nudas propositiones mihi reponerebam, ecce nunc in editionem animum apposui. Mouit autem me non anxietas edendi noua, cum sint omnia vetera, neque alio stylo composita quam facili, abiecto, ac penè barbaro, neque vt mihi nomen acquirerem, cum studium hoc vix aliquod mereatur: sed ne si accidisset, quicquid est operis amissum perire, aut furtim surripi, de integro ad libros recurrerem. Nam quo alio refarcire non habebam, nisi plures codices manu transcriberem, labor mihi longe maior quam typis tradere. Scio non scriptum Theologiæ Heroibus maiora commentantibus in schedis: mihi tantum & similibus mei. Rogo vero ipsos gigantes in theologia nominatos, qui à pueris statura sunt magna sciètes bellum scholarum, ne frontem ex nostro quali arundineo & puerili obducant: Opulentæ magnis fluminibus ciuitates oppidis fontes non inuident. Patronum, à quo mendaciter laudato gratiam & nomen aut editionis expensas aucuparer, non elegi: vobis fratribus meis decreui mittere primum & extremum fratris vestri donum, expensis fratrum nostrorum Cosmæ Ouandi, & Christophori Ouandi de Paredes typis tradendum. Non est iam quòd aliud à me opus quisquam expectet. Quæ hucusq; composui flammis quibus nata sunt tradidi, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Vix vnã aut alteram chartam in solatium mihi referuauit: vt fuit illa De vita solitaria & priuata, quam ad te frater Gomezii misi Complutum eo tempore quo Placentiæ Guardianus eram, & tu in tyrocinio Theologiæ: Atq; illam

2. Cor. 12

Epistola

illam quam magistro meo fratri Francisco Cordubensi reuertenti ex Germania, vbi Augustæ regis nostri Philippi forori fuerat à confessionibus destinavi: de fide in oratione habenda, & quomodo intelligeretur id Euangelij: Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra? Diuersa namque de modo quo fides in orbe propaganda fuit, sentiebamus, clamabatque ipse, me, cum illi aduersabar, aduersari & Hieronymo. Cæterum alia crepta est à flammis, De filiis Balæ ancille Rachelis: seu de præparatione animi ad contemplationem, vt finito ministerij mei cursu extendar, si valero, in speciosissimæ Rachelis tabernaculum & amplexus. E quatuor libris tres dumtaxat nunc procedunt, transcribendi siquidem quartum non est datum otium semper itineranti, atque alienæ manui tradere nolenti. Prohibet, fratres, suos cito quæsiturus, ni fortè audito rumore quod vagè discurrant in hospitati domi, plus eligat cum patre manere, quam emancipari. Tam vos, quam ceteros lectores admonere conuenit citatas hæreses me non alibi quam in catholicorum libris legisse: Tam bene consultum est Hispaniæ vetito ingressu hæreticorum libris. Maiorem partem ex quatuordecim libris Alfonsi nostri sum mutuatus, qui me puerum annorum quindecim Salamanticæ, in religionem suscipiendum per codicem græcū actuum apostolicorum examinavit: aliquam ex tribus libris, quos appendit Alfonso frater Franciscus Feuardétius Parisiensis Theologus, quem & Parisijs vidi non tam sum allocutus, cuius libros illuc usque non videram, quando iam meis breuiloquijs imposueram finem. Intertextui eas postmodum: ad quam appendicem perlegendam integram hebdomadam mansi Burgis: nam Parisijs non obtinui à Michaele Somnio appendicem sine alijs Alfonsi operibus, quæ apud nos cum essent, iudicauit sarcinam

meum non ferendam. In citandis autoribus, quia mihi soli primo scribebam, credidi alijs citantibus, à quibus post modum inveni me deceptum in multis, cum proprios fontes reuidi. Neque omnes credo consului: quia neque retinui memoria locos omnes quos proprijs oculis non aspereram. Dumque paruum moræ laborem fugi in maiorem incidi reuifendi: Nasso emendandi laborem, quam scribendi reputabat maiorem. Aristotelem quia diuersas habui translationes, diuerse citavi. Idem accidit in Magistro sententiarum, qui aliquando paragraphis seu notabilibus, aliquando capitulis referebatur. His & similibus causam dedit quod mihi, non alijs parabam. Postquam ceteros volui participes non fuit tam felix memoria, vt cuncta digna recognitione deprehenderet. Alij forsan erunt lapsus minutiores, pro quibus agere causam non expediat. Hoc semper sum expertus, quod distracto in diuersa neque mens neque manus integrum sine lituris officium reddebant. Valete ex conuentu Sancti Francisci in Casa Cereris patria nostra quam vulgus Cáceres: Ptolemæus Geream:

Cita elegi.

Alij Cerianam vocant, sexto die Novembris, Anni 1582.

AUTORIS CVM SVIS

Breuiiloquijs carmen,

I, Liber, ignotas vrbes gentesq; videto:
 Si, quæ te genuit terra? rogatus eris:
 Est locus extrema quem Hispania continet ora,
 dic: non incerta nobilitate vicens.
 Hunc olim nomen dicunt habuisse Geream,
 Id sibi prestit mens, quod Casa nunc Cereris.
 Que Lusum orgia gaudentem provincia vidit
 Cum Lysa dicta e Lusibus ipsa fuit:
 Geryona extincto seu quando lusit ad amnem
 Alcides Anam: Hic patria nostra sita est.
 Nos eadem fratres vno generauit in anno
 Plurima cura patris, pumilijque sumus.
 Lustrum ætatis nos genitor his quinque peregit,
 illo anno Phoebe quo gemehunda fuit.
 Natus in Augusto pater est, nos mense sequenti:
 Luna sed Octobri plena doloris erat.
 Dum faciem Phoebo iungebat enim, oscula libans
 tollebat semper furta minuta sinu.
 Quæcumq; ipsa ergo, annis plus quam mille, patranit,
 Omnia mense illo reddere iussa fuit.
 Eximus tantum nunc tres e quatuor, alter
 Posterior natus cum sena patre manet.
 Posterior quartus quamuis tribus omnibus æquis
 Sit factus, natus prodest ille quoque.
 Despectos forsan contracta statura Molonum
 reddet: sed cordi Tydeos ardor inest.
 Quod Thebis vnus, nos indicemus Athenis
 bellum: grandiloquis cedimus ore nihil.
 Destitit auratis genitor componere verbis:
 Fallaces vultus talia verba decent.
 Arte rudi, sermone breui mandata loquemur.
 Certè magna, pijs non odiosa viris.

Ceres qua
 si geres
 Tullius lib.
 2. & 3. de
 nat. deorū.
 Gereæ ci-
 uitas Lusit-
 anie, vul-
 go caceres.
 Lusitania
 unde dicta.
 Adag. pu-
 fillus vt
 Molon.
 Tydeus
 pro Polini-
 ce omnes
 Thebanos
 ad bellum
 prouoca-
 uit.

COMMENDATIO LVCIDAE

breuitatis.

Secundo lib. Machabeorum cap. 2. dicitur. Considerantes multitudinem librorum & difficultatē, curauimus uolentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio, studiosis ut facillē possint memoriā commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Nobis quidem ipsis qui hoc opus breuiandi causa suscepimus non facilem laborem, imò uerò negocium plenum uigiliarū & sudoris assumpsimus. Sicut enim nouæ domus Architecto de uniuersa structura curandum est, ei uerò qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum exquirenda sunt: ita extimandum est in nobis. Etenim intellectum colligere & ordinare sermonem, & curiosius partes singulas quasque disquirere congruit auctori: breuitatē uerò dictionis sectari, & executiones rerum uitarē breuitati concedendum est.

Ecclesiastici. II.

Breuis in uolatilibus est apes, & in itinere dulcoris habet fructus illius.

Esaia. IO.

Consummatio abbreviata inundabit iustitiam.

Cicero. 3. de finibus.

Quæ perspicua sunt, longa esse non debent.

Horatius in Arte Poetica.


Quidquid præcipias esto breuis: ut cito dicta percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Ex Martialis. lib. 2. Epigrammate primo.

At nunc succincti quæ sint bona disce libelli, sit licet usque malus non odiosus erit.

YO Miguel de Ondarça çauala escriuano de camara de su Magestad de los que residen en su consejo, doy fee que en la villa de Madrid a primero dia del mes de Junio de mil y quinientos y ochenta y quatro años los señores del consejo de su Magestad, auiendo visto vn libro compuesto por Fray Francisco de Ouando Prouincial de la Prouincia de San Miguel, de la orden de señor San Francisco intitulado Breuiloquium super quatuor libros sententiarum, Tassaron el pliego de cada volumen a tres marauedis, y mandaron que esta tassa se ponga al principio del dicho libro, en fee de lo qual lo firme de mi nombre. Dia, mes, y año arriba dicho.

Miguel de Ondarça
çauala.



AD LECTOREM.



Vanquam ex regis senatus consulto sancitum est, ut à deputato excusis typis libri recognoscantur, quò loci annotentur ab exemplari degenerantes ne lector incautus erreret, nolui mihi & tibi lector decesse, quin locum unum aut alterum monstrare ab exemplari deuium. Distinctione 17. primi libri admonui caritate sine aspiratione scribi, quia multis ijs q; doctissimis ita scribenda videtur, ante locum illum cum aspiratione inuenies, nec minus postea, morem suum compositore obseruante: aut quia non prelum unum in excudendo laborauit.

In distinct. one. 33. libri. 3. de Temperantia propositione. 27. citatur Aristoteles. 3. ethic. cap. decimo, signo algorismi, oppositum est, primo: ibi tria incisa habentur, siue commata sic: o factus unguentorum, opsoniorum visu, & auditu venerorum. Cum ponendum foret colum, siue membrum sic. olfactus unguentorum, opsoniorum: visu & auditu venerorum. Opsonia enim nos olfactu potius, quàm visu attrahunt: odores quippè ipsorum ad sapes ordinantur, & qui odore ciborum sunt pleni parum comedunt. Vnde illud: Pastus odore culinae.

In Dist. 40. eiusdem libri fol. 144. linea. 26. ante declarans, duo apponantur puncta, ut à declarans inchoet sequens sententia, nè perperam videatur Scotus citari. Punctuationes alias inuersas aut deficientes credo facile deprehendes, ne in sensu erretur.

In indice heresum verbo Adam spontaneè fuit à compositoribus erratum ponendo seuda, cum. d. pro seucla, cum. c. & l. cum nil certius per seuda, quàm per seucla ostenderent lectori.

Illud in hoc breuiloquio aduertendum, quod ubi seipsum citat. p. litera propositionem dicit, nisi ex antecedenti, aut sequenti, dicat primū librum, aut primam distinctionem: lapsi sunt, etiam admoniti, explicando aliquoties. p. parte.

Cetera errata, ut solet, indicabit pagella. Tu lector mi accipe illius distichon paulo inuersum ad te.

Sunt bona, sunt quedam mediocria, sunt mala plura:

Non aliter fiunt lector amice libri. Vale.

Errata ex Epistola.

Pag. 3. Vers. tura, Pro. improprijis. lege proprijs. pag. 5. vers. tiat. pro. decent. lege dozent. pag. 7. vers. aut. pro Chananeus lege Chananeis. & vers. scho. pro arguementi. lege arguenti.

Errata primi libri.

Pag. 1. vers. utri. pro utrisque. lege utrumque. pag. 3. vers. apo. pro dicit. lege dicitur. pag. 5. vers. vari. pro studiorum lege studiosorum. pag. 18. vers. vero. pro verosimilibus. lege verosimilius. pag. 22. vers. obie. pro duabus. lege duobus. pag. 27. vers. cogni. pro creaturis. lege creatoris. pag. 31. vers. in qua. pro varitatem. lege veritatem. pag. 45. vers. Deus. appone in margine. Propositio. 1. pag. 61. vers. spon. pro dantur. lege datur. pag. 72. vers. secun. pro intensę. lege intensa. pag. 105. vers. iecti. pro essentiam. lege essentia. pag. 118. vers. Alex. pro, artic. §. lege artic. 2. §. pag. 117. vers. pto. pro vero similiam. m. lege vero simillimum. pag. 139. vers. ista. in margine appone, Propositio. 2. pag. 143. in margine. pro conclusio. lege solutio. pag. 144. vers. mino. pro ultramque. lege utramque. pag. 158. vers. cho. pro voluerunt. lege noluerunt.

Errata Secundi Libri.

Pag. 21. vers. q. pro. q. 9. lege. q. 10. pag. 51. vers. sunt. pro. sunt simul. lege. sunt omnia simul. pag. 66. vers. sionem. pro. p. 11. lege p. 14. pag. 71. vers. dera. pro perfectum. lege prefatum. pag. 80. vers. quin pro aliquid. Vbi patet. lege aliquod ubi: patet. pag. 81. vers. ra. pro Magistri. lege Magister. pag. 87. vers. niones. pro esset. lege esse. pag. 96. vers. quens. pro nesciente. lege nescienti. pag. 103. vers. rum. pro agni vult, dicere Isaiam. lege agni: Vult dicere Isaias. pag. 117. vers. cito. pro edificari. lege edificare. pag. 121. vers. apti. pro visi. lege iussi. pag. 124. vers. ori. pro orientur. lege orientur. & vers. omnes. pro precepto. Proprium. lege precepto. proprium. pag. 126. vers. nes. pro visas. lege iussas. pag. 160. vers. tur. pro fuerunt. lege fuissent. pag. 166. vers. tactu. pro tactu. lege cōtactu. pag. 172. vers. Facit. pro Bona. lege Beda. pag. 184. vers. Scoti. pro. d. 15. lege d. 17. pag. 190. vers. & si. pro simi. lege similia. pag. 191. vers. lente. pro in vita. lege inuita. pag. 193. in sine pro originali lege. d. 42. pag. 202. vers. lia vo, pro sine, lege siue. pag. 204. vers. arbi. pro. utrorūque. lege utrumque. pag. 209. vers. pendit. pro gratiam. lege gloriam. pag. 253. vers. nisi. pro nisi. lege nisi.

Errata tertij Libri.

Pag. 6. vers. tum. pro 3. 1. p. lege 3. p. pag. 14. vers. motus. pro q. 3. & est. lege q. 3. est. pag. 16. vers. mo. pro à Deo. lege adeo. pag. 22. vers. tur.

tur. pro data opinio. lege data opinione. pag. 34. vers. Alma. pro quantitas. lege qualitas. pag. 40. vers. detur. pro vobis. lege vobis. pag. 45. vers. nis. pro huius quest. lege huius libri quest. pag. 46. vers. vide. pro hyposticam. lege hypostaticam. & vers. niente. pro spiritus. lege spiritu. pag. 47. vers. Alio. pro exodi. 43. lege exodi. 34. pag. 48. vers. per. pro puod. lege quod. & vers. qui. pro acceleratione. lege accelerationē. pag. 52. vers. radi. pro supposita. lege suppositata. pag. 55. vers. veni. pro conuenierent. lege conuenirent. pag. 60. vers. de. pro Ebinionem. lege. Ebinionē. pag. 66. vers. desti. pro propositione. lege prepositione. & vers. rum pro resurrectionē. lege resurrectione. pag. 72. vers. secu. pro. secunamnd. lege secundā. & vers. gini. pro ed. lege sed. pag. 80. vers. bene. pro liquetur. lege liquentur. & in eodem vers. pro liquentur. lege liquetur. pag. 81. vers. est. pro honorauerit. lege honorauit. pag. 82. vers. cha. pro chadaica. lege chaldaica. pag. 83. in primo versu appone in margine. Propositio. 12. & vers. bit. pro nobis. lege vobis. pag. 84. vers. est. pro peccificatiue. lege specificatiue. pag. 86. vers. Dei. pro est nota. lege ut est nota. pag. 95. vers. nora. pro melius nobis. lege melius & nobilius. pag. 97. vers. winam. pro secundū. lege partim secundum. & vers. meri. pro. si partim secundum. lege si secundum. pag. 98. vers. sciē. pro propter. lege. preter. pag. 99. in margine Propositio. 3. deleatur & ponatur sequenti pagina. 3. vers. pag. 111. vers. rem. pro reueetur. lege reuereatur. pag. 112. vers. de. pro orat. lege erat. pag. 113. vers. do. pro futurionis. lege futuritionis. & vers. quanto. pro apprehendere. lege apprehendere. pag. 114. vers. ptio. pro expositio. lege exposito. pag. 121. vers. nis. pro assensus. lege ascensus. pag. 124. vers. figu. pro quemadmodum. lege quem modum. pag. 126. vers. sentia. pro aloquin. lege alioquin. pag. 129. vers. C. pro aperite. lege aperire. pag. 134. vers. vlti. pro tam. lege tamen. pag. 135. vers. fuisse. pro d. 15. lege d. 16. pag. 136. in principio. appone in margine Propositio. 8. pag. 148. vers. ani. pro mon. lege non. pag. 152. vers. chri. pro clauorē. lege clauorum. & vers. mus. pro trangerent. lege tangerent.

Errata secundæ partis.

pag. 3. vers. lib. pro exponuntur. lege exponitur. pag. 9. vers. re. pro & primus. lege & O primus. pag. 19. vers. sine. pro nomine. lege si nomine. pag. 24. vers. in. pro resolutio. lege resolutio. pag. 29. vers. natu. pro inesse. lege fidem inesse. pag. 3. vers. eadem pro pratum. lege patrum. pag. 44. vers. septem. pro humilitatem. lege humanitatem. pag. 56. vers. à spe. pro literati. lege literali. pag. 61. vers. mas. pro 3. ad. lege ad. 3. & vers. mita. Et aliud sub ratione. deleatur. pag. 63. vers. autem. pro Est quia. lege & sic. pag. 67. vers. liter. pro transgreditur. lege transgreditur. & vers. re.

pro susceptione in lege susceptionem. pag. 71. vers. tiunt. pro intellectu.
lege intellectu. pag. 73. vers. tra pro veniant mala. lege veniant bona.
pag. 74. vers. rari. pro secundo iam. lege secundo quod iam. pag. 76. vers.
te. pro ex. lege est. pag. 84. vers. quado. pro effernate. lege effernate. pag.
85. vers. acci. pro potestat. eana. lege potestate. ana. pag. 87. vers. di. pro
dicuntur. lege dicunt. & vers. siccu. pro ergo fides. lege ergo fidei. pag. 88.
vers. tus. pro tus. lege motus. pag. 88. vers. mo. pro mototam. lege totam.
& vers. sa. pro Sap. 11. lege cap. 11. pag. 91. vers. & pro tradidit. lege tradi-
dit. pag. 103. vers. cundū. pro geometriā. lege geometriā. pag. 104. vers.
fer. pro à Deo. lege adeo. pag. 118. vers. bet. pro propheta. lege prophe-
tat. pag. 121. vers. Tra. pro cap. 7. lege Sap. 7. pag. 122. vers. mens. pro
4. p. 1. q. lege 4. p. q. pag. 129. vers. est. pro damnatus est in. lege damnatus
in. pag. 134. vers. con pro M. 3. lege M. 2. pag. 144. vers. des. pro pre-
dictę. lege practice. pag. 146. vers. lum pro vocatur lege vocantur. pag.
149. vers. xiss. pro ad. lege ab. pag. 152. vers. vt. pro videtur. lege vite-
tur. pag. 158. vers. turus. pro expecta. lege expectate. pag. 162. vers.
ptus. pro eternis. lege. eternus. pag. 163. vers. con. pro confertur. lege
confitetur. pag. 167. vers. alia. imprud sē. lege imprudens. pag. 171.
vers. ege. pro exceptione. lege expositione.

I

B R E V I L O Q V I V M

Ex prologo.

NECESSARIA est hominibus pro statu presen-
ti aliqua doctrina reuelata supernaturaliter præter
physicas disciplinas. Hæc est de fide: patet ex Conci-
lio Mileuitano cap. 4. damnanti eos, qui dicebāt, per
gratiam Christi solum dari hominibus vt cognoscant quid face-
re debeāt, non autem vt facere diligant, atq; valeant. Et subdit qd
vtrisque est donum Dei, & scire quid facere debeamus, & dilige-
re vt faciamus. Probat Concilium è psal. 93. Qui docet hominē
scientiam. Et beatus quem tu erudieris Domine: & de lege tua
docueris eum. Habetur & sapientię. 9. Homo infirmus & exi-
gui temporis minor ad intellectū iudicij & legum. Et si quis erit
consummatus inter filios hominū: si ab eo auferit sapiētia tua
in nihilum computabitur primæ Corinth. 2. Nos autem non spi-
ritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt
sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non in
doctis humanæ sapientię verbis, sed in doctrina spiritus. Affe-
runt Thomas. 1. par. q. & art. 1. & Scotus. 1. q. prologi illud
Pauli. 2. Timoth. 3. omnis scriptura diuinitus inspirata utilis
est ad docendum, &c. Ad ea etiam quæ de Deo ratione hu-
mana inuestigari possunt necessarium fuit hominem instrui di-
uina reuelatione, propter tria vt dicit Scotus infra. d. 2. p. 6. de
vnitate Dei. Cum dicimus necessariam reuelationem, non debet
intelligi pro singulis hominibus, sed pro toto genere humano,
esto aliqui particulares non habeant, sed recipiant à doctrina
maiorum, sicut accipiūt articulos fidei: fuitq; necessaria in om-
ni statu, etiam innocentię, vt instruerentur, quomodo esset finis
qui es Deus, adipiscendus. Nam media in id requisita non con-
stant è solo lumine naturali: cum fides sine qua impossibile est
placere Deo Hebr. 11. non habeat meritum, si ei humana ratio
præberet experimentum teste Gregorio Hom. 26. super euan-
gelia.

Proposi. 1.

Hæc doctrina non sumitur pro sola fide sed pro Theologia vt
A sub Proposi. 2.

sub se comprehendit fidem, & intelligentiam sacrarum literarū: ita Caietanus, vbi supra Thomas, sic quod Theologia in casu nō distinguitur contra fidem, sed abstrahit ab ea, probatur. 1. Corinth. 12. datur sermo scientiæ secundum spiritum: alteri fides in eodem spiritu: ergo non sumitur scientia Theologiæ pro sola fide. Vide authoritatem Augustini infra p. 10.

Propos. 3.

Hæc doctrina iam est nobis tradita in libris Canonicis, probatur Baruch. 3. Deus noster adiuuenit omnē viam disciplinæ, tradidit illam Iacob puero suo: & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est & cum hominibus conuersatus est. Qui locus dupliciter exponitur, primo vt sit relatio de præterito: ita quod post illuminationem Iacob patriarchæ, & datam legem Moyfi, & populo descendenti à Iacob Exod. 20. apparuit Deus illi populo Exod. 24. Ascenderūt enim Moyfes & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt Deum. Nec non & super eos qui procul recesserant misit manum suam, viderūt quæ Deū. Cum illo etiā populo. 40. annis conuersatus est psal. 94. iuxta translationem septuaginta. Alio modo vt sit prophetia de Christo. De quo Ioan. 1. Verbum caro factum est & habitauit in nobis.

Propos. 4.

Libros Canonicos in quibus hæc doctrina continetur declarauit Concilium Laodicenum capi. 59. Carthagi. 3. cap. 47. Concilium item Florentinum, demū Concilium Trident. sessio. 4. vbi enumeratis libris subdit. Siquis autem libros ipsos cum omnibus suis partibus pro vt in ecclesia catholica legi consueuerūt & in veteri vulgata editione habentur pro sacris & Canonicis non susceperit anathema sit, per hanc dānantur hæretici nō recipientes libros Canonicos, videlicet, Lutherus qui nō recipiebat libros Machabeorum, neque epistolam Iacobi, quia per illos reuincitur de suffragijs defunctorum, & de necessitate operū. Cerdon recipiebat solum Euāgelium Lucæ, Cherintus solum Euāgelium Matthei. Idem atq; Seuerus non recipiebant librum actuū Apostolorum, Ebion non recipiebat epistolas Pauli, quia conuincebatur per illas legem non esse seruandam cum Euāgelio. Erasmus vertit in dubium si Apocalypsis sit beati Ioannis. Quidam dixerunt quod fuerit confictus liber à Cherinto Hæretico.
Definire

Definire qui libri sint Canonici pertinet ad ecclesiam. Hæc definitur in Concilio Toletano. 1. quod licet fuerit provinciale confirmatum fuit per Leonem Papam. Ait ergo in assertionem fidei cōtra Priscillianistas. Siquis dixerit vel crediderit alias scripturas præter quas ecclesia catholica recipit in autoritate habendas vel esse venerandas anathema sit. Ratione probatur, scripturæ nō possunt probari per seipsas, ergo debet esse iudex qui dirimat natam controuersiam: sed nullus alius esse potest quam ecclesia Cōfir. quia scriptura est iudex mortuus qui nequit audire rationes litigantium, & proferre sententiam. Deut. 17. Nō ad scripturas sed cum ambiguum aliquid fuisset ortum, aut difficile ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem qui esset illo tempore remittebantur disidentes. Act. 15. Antiocheni nō ad scripturas sed ad Apostolos & seniores appellauerūt si verba Pauli ex Deo essent. Apostoli non scripturam sed semetipsos & spiritum sanctum posuerunt dicentes, visum est spiritui sancto & nobis. Trita est sententia Augustini. Euāgelio non crederem nisi me ecclesiæ cōmoneret autoritas, vide hanc infra. p. 11. in Coroll.

Propos. 5.

Interpretatio scripturæ etiam habetur ex reuelatione probatur. 1. Corinth. 12. Alij per spiritū datur interpretatio sermonū. 2. Petri. 2. Omnis scriptura prophetiæ ppria interpretatiōe nō fit. Apocaly. 3. dicit Christus habere clauem David, id est potestatem aperiēdi intellectum scripturæ: qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Hæc autem interpretatio pertinet ad ecclesiam Christi sponsam, in qua confidit corviri sui Prouer. 31. At non bene diceretur in ea cōfidere si obtulisset illi scripturas quarum intellectum vt clauem apud se retineret. Nam & Petrus dixit. 2. epist. cap. 3. quod epistolæ Pauli habent quædam difficulta intellectu, quæ indocti & instabiles homines deprauāt, sicut & cæteras scripturas. August. 83. q. q. 69. dicit. Non potest error oriri palliatus nomine Christiano, nisi de scripturis non intellectis. Debet ergo esse iudex de interpretatione an sit verbū Dei vel hominum. Et sic facta interpretatione per ecclesiam ille erit germanus sensus scripturæ licet ante fuerit locus opinionibus.

Propos. 6.

Ex omnibus editionibus librorum sacrorum editio Latina vetus & vulgata habenda est pro autentica. Definire in Con-

Propos. 7.

lio Tridēt. Sefs. 4. & q̄ nemo illā quouis pretextu audeat reijcere, vel p̄sumat in publicis lectionibus, disputationibus p̄dicationibus & expositionibus. Ex ista decisione docebat frater Melchior Cano Magister Salmanticensis ex ordine p̄dicatorum episcopus Canariensis lib. 2. de locis Theologicis cap. 13. quod quæstiones morum & fidei ortę inter catholicos per hanc sunt definiendæ, nec sit nunc temporis ad Hebraica, Græca ve exempla recurrendum, neque ad fidem, & mores sit Latina per alias editiones corrigenda. Nam Hebręi ecclesię inimici cōtenderūt textum Hebręum corrumpere vt nostris exemplaribus esset contrarius vt refert Eusebius lib. 4. Eccle. hist. cap. 18. Græci nouum testamentum similiter. Ambrosius in proœmio primi libri sup. Lucam dicit Fotinum legisse. In principio erat verbum & verbum erat apud Deū, & Deus erat, ibique stetit. Basilius lib. 2. contra Eunomium, refellens eum dicentem filium Dei dicendum esse genituram secundum scripturarum doctrinam, petit ab eo scripturam & subdit. Nisi impium Marcionem imitatus, alia ē diuinis sermonibus tollat, alia inscribat: nequaquam inueniet. Hiero. in proœmio epistolę ad Philemonē dicit de Marcione, quod cum cæteras epistolas Pauli vel non susceperit, vel quædam mutauerit atque corroserit in hanc Philemonis non sit ausus mittere manum, quia sua illam breuitas defendebat. In sexta Synodo generali, quę est Constantinopolitana aetione. 9. conuicti sunt Macharius & Stephanus protulisse testimonia sanctorum deprauata vt ex alijs codicibus apparuit. Greg. lib. 5. epistola. 14. ad Narsi comitem existimat ab Ecclesia Constantinopolitana falsatam Synodum Ephesinam sicut in vno loco falsauit Synodū Calcedonensem. Esset ergo recurrere ad Hebręos, & Gręcos, appellare ad iudicem inimicum & mendacem. Bene notitia linguarum iuuat ad differēdum cum infidelibus, ad explicandam emphasin verborum alienę linguę. Ad phrasas, & prouerbia, ad emendanda vitia impressorum, ad amphibologiam vitandam quando verba sunt æquiuoca. Propter has & similes causas præcepit Concil. Viennens. habetur in Clemen. 1. de Magistris quod in studijs ibi nominatis essent magistri qui doceant linguas Hebraicam, Arabicam & Chaldæam: non ta-

men

men propter necessitatem sciendi veritatem: Alioquin ad veritatem quid faciet Arabica? Daturque ibi solum ista ratio propter instruendos infideles, qui linguarum peritia abundant exēplo Christi, qui pro docendis infidelibus dedit apostolis donum linguarum. Doctissimus Magister frater Andreas Vega ordinis nostri lib. 15. sup. Decret. Concilij Trident. de iustificat. cap. 9. prope calcem exponens citatam approbationem editionis vulgatę ait, quod noluit Concili. eam tanquā ē cœlo delapsam adorari, proinde neque cohibuit neque cohibere voluit studiorū linguarum industriam, qui aliquando docent melius potuisse aliquid verti: & vno eodemq; verbo vel plures suggessisse Spiritū sanctum sensus: vel certe alios commodiores quā ē vulgata possent haberi, sed in honorem vetustatis & honoris quem ei à multis annis detulerunt concilia Latina, quę ea sunt vsa: & vt certo scirent fideles nullum inde haberi posse perniciosum errorem: ad coercendam etiam confusionem, quā affert multitudo translationum, & temperandam licentiam nimiam cudendi semper nouas translationes. Et hanc fuisse mentem Concilij, neque amplius statuere voluisse ex verbis ipsis, ait, & alijs approbationibus conciliorum potes colligere. Adijcitque Cardinalem sanctę crucis Concilij Legatum qui sessione illi præfuit non semel ipsi Vegę testatum nihil amplius voluisse patres firmare.

Proposi. 8.

IN præfatis libris sufficienter continetur omnis doctrina necessaria ad salutem. Probat Scotus q. 2. prologi litera. E. quia in his libris traditur quis sit finis hominis in particulari, & distincte. Traduntur media quibus est acquirendus. Et quod illa sufficiant, scilicet, decem mandatorum obseruantia. Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Quorum explicatio quātum ad credenda, & speranda & operanda habetur in diuersis locis scripturę.

Sacra Theologia neque in se, neq; in intellectu diuino: neque in intellectu creato viatorum est scientia secundum quatuor cōditiones scientię positas ab Aristot. videlicet, quod sit certa. 2. de necessarijs. 3. causata à causa euidente intellectui. 4. applicata per modum syllogisticū. Ita Scotus in. 4. q. laterali prologi. De Theologia beatorum fatetur quod sit scientia secundum omnes

Proposi. 9.

A 3 condi-

conditiones. Et quòd non obstat August. 15. de Trinitat. capit. 16. dicens, fortasse non erunt in patria volubiles nostrę cognitio- nes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, sed scientiam nostrā vnico intuitu videbimus: quia August. loquitur dubitatie dicē- do, forte. Neque illud intendit asserere, sed quòd verbum nostrū non sit æquale verbo Dei, quantumcunque nostrum sit perfe- ctum: potest etiam exponi August. de visione beata quę respicit tātum essentialia in Deo. Hęc Scotus. Quicquid sit de beatis pro- batur conclus. de se: & in Deo, quia quòd causetur per discursum includit imperfectionem ex parte scientiæ, scilicet, quòd sit effe- ctus æquiuocus: & potentialitatem ex parte intellectus. De no- bis viatoribus probatur, quia non verè scit qui non potest resol- uere in principia euidencia. Dicuntur viatores qui sunt in statu merendi & demerendi, sumpta Metaphora ex his qui tendunt ad locum, quamdiu non perueniunt sunt in via. Post mortem su- mus in termino. Sumpto latius vocabulo existentes in purgato- rio possunt dici viatores, quia nondum peruenierunt ad beatitu- dinem, qui est terminus sui motus.

Viator q. 5.

Propo. 10.


Nihilominus Theologia sine addito dicenda est absolute sciē- tia: sic eam vocat Thom. 1. part. q. 1. art. 2. & ibi Caiet. quia in no- bis licet sit imperfecta rāione status, tamen scientia imperfecta non est extra latitudinē scientiæ. Sic & vocat August. lib. 14. de Trinitat. cap. 1. Huic scientiæ attribuitur illud quo fides saluber- rima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur qua nō pollent plurimi fideles quamuis plurimū fide polleant. 1. Corinth. 12. Alij datur sermo scientiæ Esaię. 11. Repleta est terra scientia Do- mini. Dabo pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia. Hiere. 3.

Propo. 11.

Hęc scientia est argumentatiua, Thom. 1. p. q. 1. art. 8. Ad Ti- tū. 1. potens sit episcopus exhortari in sana doctrina & eos, qui contradicunt arguere. Et ipse Paulus disputabat & confunde- bat Iudeos act. 9. & 17. in schola tyrāni. Vbi dicit Lyranus q. de quo- dam edificio tyranni fecit Scholam. Stephanus disputabat. Act. 6. Christus Dominus cum doctoribus Lucę. 2. de baptismo Ioan- nis & resurrectione. ibi. 20. Et sicut in scientijs nō argumentamur contra negantes principia: ita non est vnde argumētemur cōtra negantem

negantem omnes articulos fidei. Si concedat aliquos bene ex vno argumentamur ad alium. Scotus in. 3. dist. 24. litera. e. negat quod scriptura procedat diffinitive & diuise sicut alię scientię, quia in argumento proprie dicto assentitur conclusioni propter euidenciam argumenti. Sed scripturæ creditur æquali certitudi- ne, scilicet, fidei. Sicut quando Paulus. 1. Corint. 15. Si mortui non resurgunt neque Christus resurrexit. Quorum vtrumque est de fide. Thomas hanc allegat, & quod in ea Paulus argumē- tetur. Caieta. respondet Scoto pro Thoma. Sed fortè in re non est controuersia: quia Thomas clarè dicit quòd hęc scientia nō procedit, neque argumentatur ad probanda sua principia, id est, articulos fidei. Scot. loquitur de argumēto, proprie dicto. Aduer- tendum quòd neganti articulos bene respondemus & argumē- ta soluimus, quia contra certissimam veritatem non possunt fie- ri nisi argumenta solubilia, quia non demonstrationes. Idcirco utilis est labor doctorum & scholastica Theologia vt à veritati- bus scripturæ per media inferantur conclusiones. Nam multæ veritates non sunt expressę in scriptura, sed continentur virtua- liter vt conclusiones in principijs: inde ipsa potest concedi reue- lata, quia principia sunt reuelata. Potest etiam dici reuelata, quia ad deducendas cōclusiones ex principijs adhuc est necessariū ali- quod auxilium Dei speciale ne erretur in cōcludendo. Nam pro- posito. Cras moriemur, inferet Epicurus & pagani nihil expectā- tes post hanc vitam, ergo comedamus & bibamus quia mortui non resurgunt. 1. Corinth. 15. & Isaię. 22, inferet catholicus, imo & gentilis diuino auxilio adiutus sequens legem naturalem, er- go sobrie & pie viuamus. ad Titum. 2. Cui vero ad disputan- dum valde iuuent artes liberales iustè August. lib. 19. de ciuitat. cap. 52. inter ecclesię persecutiones annumerauit illam Iuliani in- quiens. An Iulianus non est ecclesiam persecutus qui Christia- nos liberales literas docere ac discere vetuit? Nouerat quidem Augustinus qui tractatus de eisdem composuit eas non solum non esse inutiles verum cōducere ad diuinam Theologiā. Nam in lib. Iob de terrę mensura quę pertinet ad Geometriā fit men- tio. ca. 38. de Arcturo, Orione, & Hyadibus, & extensione celo- rum, quod pertinet ad astrologiam, ibid. cap. 9. de alijs natura-

A 4 libus



libus pertinentibus ad physicā ibidē & ca. 37. & 39. Esto quod inter antiquos physica non ponebatur inter artes liberales quia tunc temporis liberi & nobiles, non ita illi studebant sicut alijs curiosis vt Grammaticæ, dialecticæ, Rhetoricæ, Musicæ, Arithmeticæ, Geometriæ, & Astrologiæ, quæ sunt septem artes liberales. Philosophiæ studebant philosophi tanquam se motiores à mundo. Et forte sic procurabat diabolus ne per physicen ex motu cognosceretur esse vnus Deus cōtra idololatriā. Carolstadius & Melancton dixerunt artes liberales esse Christianis illicitas & persuaserunt Vvitembergensibus quod Scholas comburerent, & combustis libris humanis, quisq; disceret officium mechanicum, vt in sudore vesceretur pane suo, cōtra hoc est quod Moyse eruditus fuit omni sapiētia Ægyptiorum act. 7. Daniel & socij in literis Chaldeorum. Daniel. 1. Salomon. 3. reg. 4. disputauit à cedro vsque ad hyssopum, & de iumentis, volucribus, reptilibus & piscibus. Vviclephus damnatus in Concilio Constantiensi in art. 29. ibi damnato aiebat. Vniuersitates, studia collegia, graduationes & magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, & tantum profunt ecclesiæ sicut diabolus. Lutherus dixit, Academies excogitatas à diabolo ad deuastandam fidem & Euangelium. Cōtra eos vide Thomam Vvaldens. 1. tomo doctrinalis fidei lib. 2. à capit. 67. Addidit ad insaniam Lutherus dicens omnes scientias speculatiuas esse errores: quā assertionem damnauit facultas Parisiensis & Louaniensis.

Corol. Existis pōt decidi quæstio. Si est maioris certitudinis ecclesia, vel scriptura, quia si omnib⁹ articulis assentimur æquali certitudine, & infallibilitas vtriusque est ab eodem Spiritu sancto qui docet ecclesiam, & docuit conditores scripturæ, ergo sunt æqualis infallibilitatis. Bene vt Scotus dixit vbi supra litera. H. est ordo dignitatis inter veritates fidei. Concedo ergo autores scripturæ esse maioris dignitatis quam ipsa scriptura sicut testes sunt maioris certitudinis ordine dignitatis quam suū testimonium. Caieta. 2. part. apol. capit. 13. Et de auto. papæ cap. 5. tenuit quod sacra scriptura est maioris certitudinis & autoritatis. Abulensis vulgo Tostado in proœmio super Matth. tenuit quod ecclesia est maioris autoritatis quam mille prophetæ, & Euangelistæ simul

mul sumpti. Et de dignitate apud deum facile concedo ecclesiā ex vna parte plus valere apud Deum quā conditores scripturæ ex alia: sicut corpus præponderat aliquibus membris. Autoritatem August. Euangelio non crederem, vide expositam in. 3. d. 24. p. 8. quoniam admittenti ecclesiam, neganti tamen Euangelium, ex ecclesia probatur Euangelium, & è conuerso. Neque obstat quod ecclesia probat suam autoritatem per scripturam, cum aliud sit probare: aliud habere. Habet vero illam à Spiritu sancto: nō à scriptura. Neq; distinguo de ecclesia nostri temporis, aut Apostolorū vt distinxit Duran. d. 24. quæst. 1. 3. Quoniā Augustinus non nisi de ecclesia sui tēporis loquebatur. Et quæ promissa sunt Apostolis, quod eos Spiritus sanctus doceret omnia Ioan. 14. collata sunt & ecclesiæ nostri temporis. ¶ Si arguas quod stante per impossibile controuersia inter ecclesiam & Euangelistam standū esset Euangelistæ: sicut modo statur Euangelio. ¶ Non admitto casum quia iam aliquis eorū non esset infallibilis. Et sic non stat comparatio. Quod si est admittendus, dico potius standum Concilio quia act. 15. fuit controuersia inter Iacobum & Petrum, & pro tunc præualuit sententia Iacobi, ita definiente Spiritu sancto. Quò fit quod sentētia ecclesiæ præualeret. Quoniam ibi edocti sunt illam decisionem nō quia Apostoli, sed quia ecclesiam representabāt, alioquin non variassēt in sentētia ante decisionē, sicut postea nō variarunt: sed vnanimis dixerūt, visum est Spiritui sancto & nobis.

*Argumentum.**Solutio.*

Deus est subiectum huius scientiæ in quantum Deus. Probat^{ur}. Hæc sciētia est præstantissima, ergo habet subiectū præstantissimum, quale est Deus. Exemplum Scoti quæst. 3. prologi, in scientia de homine, vbi nobilissima cognitio est secundum rationē quidditatiuam hominis: non in respectu ad aliud, quia fit nobilissimum animalium: Neq; in propria passione & per accidēs, vt mansuetum natura: Neq; in cōmuni vt substantia, ita Deus non est subiectum ex respectu ad creaturas: neque sub ratione attributali: Neq; in cōmuni entis, aut entis infiniti. Vide Alex. 1. par. quæst. 1. mem. 3.

Propo. 12.

Quamuis Theologia Dei & beatorum sit speculatiua, tamen nostra magis est practica quam speculatiua. Hæc est contra

Propo. 13.

B

Tho.

Tho. 1. par. q. 1. art. 4. videatur latissime Scotus. q. vlti. prologi. Sed probatur, finis speculatiuæ est scire, finis practicæ opus, dicente Arist. 2. Meta. cap. 1. Speculatiuæ finis veritas, practicæ autem opus. Et illa praxis, vel notitia practica est directiua, & regulatiua, ad operandum opus, in quo potest errari: sed Deus & beati non possunt errare: ergo eorum Theologia est speculatiua. At vero in nobis plenitudo, id est, finis legis est dilectio. Rom. 13. & finis præcepti charitas. 1. Tim. 1. Et in duobus præceptis charitatis tota lex pendet Matt. 22. Pro hac est Bona. q. 3. prologi dicens quod scientia tradita à Magistro in his libris principaliter est vt boni fiamus. Potest afferri & Alex. 1. p. quæ. 1. mem. 1. dum dicit quod Theologia proprie est sapientia à sapore affectionis, quia perficit animam secundum affectum mouendo per bona principia ad bonum timoris & amoris. In eadem est Ricardus. q. 4. prologi, sed extendendo, vt ipse dicit, praxin nō tantū ad operationem exteriorem, sed etiam ad interiorem voluntatis. Caieta. vbi sup. Thomas annotat quod dicendo Theologiā se extendere ad practicum & speculatiuum, vel comprehendere vtrunq; non debet intelligi per modum aggregationis, quia tunc non esset vna scientia nisi per aggregationem, & sub duabus rationibus, non sub vna ratione formali. Sed debet intelligi quod sit scientia altioris ordinis ad practicum & speculatiuum continens vtramque eminenter: sicut supra sensus proprios datur sensus communis altioris ordinis qui neque sit auditus, neq; visus. &c.

Argumen. Si contra hanc arguas quod peccator non esset Theologus. Dico quod Theologia hoc habet ex natura sua principale vt inducat in opera Charitatis: sicut Ethica: quæ tamen sit speculatiua intendenti solum ad speculandum bonum. Cuius tamen intentio non variat rationem scientiæ.

Distinct.

DISTINCTIO PRIMA.

De vti, & Frui, secundum specialem acceptionem sumptam ex beato Augustino.



VT I est assumere aliquid in facultatem volūtatis propter aliud: hoc est referre q̄ in vsum venerit ad obtinendū illud quo fruendū est. Alias abuti est, non vti. Magister in litera: Vnde inferuntur sequentes. *Proposi. 1.*

Vti est actus volūtatis. Ita docent Bona. & Ricardus. hac. d. Expo nitq; Ricardus vt elicentis, & dirigentis dictando: quia vt imperātis omnes actus aliarum potentiarū sunt ab ipsa. Tho. 1. 2. q. 16. art. 1. dicit quod est actus voluntatis tanquam primi mouentis, quia ipsa omnes potentias animæ applicat ad operationem. Rationis tanquam dirigentis: aliarum potentiarū tanquā exequentium, quæ sunt vt instrumenta ad principale agens. Hinc aduertes quomodo vsus præcedit electionem & sequitur. Nam electio, id est, delectus, vt dicit Damas. lib. 2. ca. 22. est duorū propositorum hoc seligere & retinere ante alterum. Prius ergo est illa referre in finem quantum ad intentionem quam alterum eligere: intentio autem est voluntatis: vide in. 2. d. 38. quantum ad executionem, applicando ad finem vsus sequitur electionem. Ideo subdit Damas. quod post electionem mouetur volūtas ad agendum & dicitur prosecutio. Et subinde vtitur, & dicitur vsus, id est, executio realis applicationis vel consuetudo, vt exponit Ricardus. art. 1. q. 4. *Proposi. 2.*

Vti solū cōuenit naturæ intellectuāli. Probat ex Aug. 83. q. 30. Vti aliquid non potest nisi animal quod rationis est particeps. *Proposi. 3.*

Deus vti creaturis: quia ipsas ordinat in finē Prouer. 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dñs. Aug. & habetur in litera. Non fruitur nobis sed vtitur. Si enim nec fruitur nobis nec vtitur non inuenio quomodo, diligit nos. *Proposi. 4.*

Creatura damnata non potest vti, quia non potest referre in finem vt perfruatur. Secus est de beatis, qui possunt referre in finem quo iam perfruuntur. *Proposi. 5.*

B 2

Omni

Proposi. 6. Omni re creata potest natura rationalis uti: quia omnia possunt sumi in facultatem voluntatis ad approbandum vel respectu dū respectu finis. Ita dixit August. 83. quæst. q. 30. utimur respectu ad valetudinem, tolerandis ad iustitiam. Et Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. A deo quod possumus uti peccatis euadendo doctiores & humiliores. Deus etiam peccatis nostris utitur vertendo in bonum. August. in Enchiridio quod Deus cum sit summe bonus nullo modo sineret mala fieri, nisi sciret ex malis bona elicere. Dauid psal. 118. Bonum mihi quia humiliasti me.

D E F R V I.

Proposi. 1. Tres dantur descriptiones de frui. Prima, frui est amore alicui rei inherere propter seipsam. Augu. de doctrina Christiana. Secunda, frui est uti cum gaudio non adhuc spei sed iam rei. Idē Aug. lib. 10. de Trinit. Tertia, frui est quiescere in cognitio voluntate propter se delectata. Referuntur à Magist. in litera.

Proposi. 2. Frui est actus voluntatis. Patet ex descriptionibus, quæ omnes dantur penes actum voluntatis. Tum etiā quia dicit August. 83. q. q. 30. omnis humana peruersio, quod & vitiū vocatur est fruendis uti velle: atq; utendis frui: sed peruersio quæ peccatum est, est voluntatis: quia voluntate boni aut mali sumus. Tria est sententia August. de ciuita. Dei. Duo amores fecerunt duas ciuitates, vide infra. p. 12.

Proposi. 3. Tria ista concurrunt ad fruitionem. Cognitio ut antecedens: Amor ut actus: Delectatio ut passio consequens. Æquiocatur vocabulum inter Thomistas, & Scotistas. Thomistæ nomine fruitionis significant delectationem formaliter: amorem connotatiue, & causaliter. Scotistæ significant formaliter amorem amicitiae, quo scilicet aliquid diligit propter se, unde nisi se prius declarauerint putabit quisq; alterū loqui extra propositū. Et licet quæstio sit de nomine videtur mihi apud Latinos frequētius capi pro delectatiōe. Ut frui voluptate. Atq; in hac significatione. Prouer. 7. dicit. Veni, fruamur cupitis amplexibus. Paulus Philemoni. Ita te fruam in Domino. Apud Theologos Scholasticos crede-

crederē rationabilius vsurpari pro actu, quoniam inter eos cōmuniter dicitur quod beatitudo consistit in visione Dei, & fruitione: sicut per visionem intelligunt actum intellectus: ita per fruitionem intelligi debet actus voluntatis. Durandus hac. d. q. 1. ad primum principale clare dicit quod fruitio non nominat actum beatificantem nos essentialiter: sed delectationem superuenientem beatitudini, sicut superuenit pulchritudo iuuentuti. Ex descriptionibus positis in prima, patet quod apud Augustinum sumatur æquiocē. Diuus Tho. varie videtur sensisse quidquid teneant sui. Nam. 12. q. 11. art. 1. dicit quod fruitio est actus appetitiue potentiæ, & q. 25. art. 2. dixit. Delectatio est fruitio, Scotus hac. d. q. 3. tenet quod magis proprie significat actū amoris. Ad idem est. in. 4. d. 49. q. 4. lite. D.

Frui proprie loquendo solum competit naturæ intellectuali: ut patet ex datis descriptionibus, quæ dantur per cognitionem & amorem. Abusue loquendo conuenit brutis habētibus appetitum sensitiuū, unde est illud August. 83. q. q. 30. frui quilibet corporali voluptate non absurde æstimantur & bestiarum. Cæteris habentibus solum appetitum naturalem nullo modo neque proprie, neque abusue hoc est, improprie competit.

Fruitionis ordinatæ, (scilicet, quæ habet suas debitas circumstantias) obiectū est vltimus finis: puta Deus, pater, filius, & Spiritus sanctus, probatur ex Augusti. citato in litera Magistri. 1. de doct. Christ. Res quibus fruendum est sunt pater, filius, & Spiritus sanctus: & hi tres sunt vna res. Tum etiam quia fruitio importat quietem ex. 1. par. sed dixit August. 1. cap. lib. 1. confess. Fecisti nos domine ad te, inquietū est cor nostrū donec requiescat in te. Aduerte autem quod duplex est finis. Vnus est ipsa res: Alter adeptio rei. Neque propterea sunt dicendi duo fines: sed vnus. Exemplum, finis avari est pecunia ut res. Possessio pecuniæ ut affectio rei. In proposito, Deus est finis ut res: Ut affectio, est finis, aliqua operatio qua Deum assequimur:

Deus est obiectum fruitionis secundum quod Deus, id est, secundum propriam & formalem rationem deitatis probatur, sicut probata fuit. p. 12. prologalis. Ex hac infertur quod sub vna tantū ratione fruimur tribus diuinis personis, quia in tribus est

vna deitas, & vna summa bonitas: sicuti & vna illas adoratione veneramur.

Proposi. 7. Dari potest actus qui simul fit vsus & fruitio. Ad hanc videtur esse Scotus in. 2. dist. 6. q. 2. litera L. quando ait, quod actus concupiscendi beatitudinem esset meritorius, quia non vtitur fruendo: sed fruitur: quia bonum quod concupisco mihi ad hoc concupisco vt plus amem bonum illud fruibile in se. Ita potest dici de actu diligendi proximū, vt ipse proximus diligat Deū, quia est fruitio respectu Dei, & vsus respectu proximi. Hanc oportet tenere qui tenuerint quod potest esse eadem volitio finis, & eorum quæ sunt ad finem.

Proposi. 8. Fruitio perfecta qualis est beatorum est de fine habito in re de qua loquitur August. quod est cum gaudio non adhuc spei: sed iam rei. Fruitio imperfecta qualis est viatorum est de fine non vt habito realiter: sed tantum intentione. Huic quadrat descriptio, quod inhæret amando propter se.

Proposi. 9. In via possumus frui vna persona diuina non fruendo actualiter alia. Patet in orante vnam personam, quando nō orat actualiter aliam. Vt dicendo hymnū, Veni creator spiritus. Orationes item ecclesiæ diriguntur patri, & in fine ponitur filius vt mediator. Habitualiter autem includimus omnes tres: dixit enim Christus Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est. Perinde potest dici de essentia sine personis, quia sæpe cogitamus, inuocamus, diligimus Deum non cogitando actualiter an trinus: ita in lege naturæ quibus non erat reuelata Trinitas personarum.

Propo. 10. In patria erit de facto fruitio vna: & visio vna essentia diuinæ, & trium personarum. Sed de possibili an per diuinam potentiam possit esse vnus personæ sine alia, aut essentia sine personis controuersa quæstio est inter Thomistas & Scotistas. Scotus hac. d. q. 2. art. 2. tenet partem affirmatiuam, & quod non implicat contradictionē. Tho. 2. 2. q. 2. ar. 8. ad tertium dicit quod bonitas diuina secundum quod per effectus cognoscitur à nobis in via, potest cognosci sine Trinitate personarum: sed secundum quod cognoscitur à beatis non potest videri sine Trinitate personarum. Non tamen loquitur aperte de potentia Dei absolute. Sed Caieta. ibi. expressius hoc tenet de potentia etiam absolute.

luta. Quod problema pro vtraq; parte defenditur soluendo rationes oppositas. Pono tamen pro vtraq; vnam aut alteram rationem. Pro Thomistis arg. 1. ex Ioann. 14. dixit Christus. Philippe qui videt me videt & patrem meū, ergo vna persona non potest videri sine alia. Et confirmatur, ex illo, quod sequitur. An non credis quia ego in patre & pater in me est? vbi videtur hæc fieri consequentia. Ego in patre, & pater in me est, ergo qui videt me videt & patrem. ¶ Secundo, per nullam potentiam etiam absolutā Dei potest videri essentia personæ creatæ, verbi gratia, Michaelis, quin videatur persona, ergo similiter in diuinis. ¶ Tertio. Si per impossibile in diuinitate esset vnū suppositū dū taxat per nullam potentiā posset videri essentia non viso illo supposito, ergo & modo impossibile est videri essentiam sine personis: probatur consequentia, quia tam eadem est modo essentia tribus suppositis quam esset vni. ¶ Sed pro Scoto argu. pri. Potest à beatis videri essentia diuina ignorato aliquo attributo eius ergo potest videri sine personis: & vna persona sine alia. Antecedens patet, quia vnus beatus plus cognoscit & fruitur quā alius, quia habet scientiam plurium attributorum. Probatur consequentia, quoniā tota ratio propter quam non potest videri essentia sine personis: est quia essentia est eadē personis, sed eadē est etiam attributis. ¶ Secundo, Inter essentiam, & personam est aliqua nō idētitas, seclusa operatione intellectus, quando quidē essentia est comunicabilis, & nō persona: & in personis inter se est maior nō idētitas ergo ista nō idētitas sufficit vt possit videri essentia sine personis: & vna persona sine alia. ¶ Tertio, Vna persona diuina potuit sine alia incarnari, ergo poterit videri sine alia. His alijsq; argumentis vtraq; fulta opinio, potest quælibet sine periculo sustentari. At verò q̄ visa persona necessario debeat videri essentia: ita q̄ neq; per diuinā potētiā possit fieri oppositū nullus opinor negabit quādo quidē nō pōt videri cōstitutū absq; hoc q̄ videatur cōstituētia. Sed persona cōstituūt per essentiā, & relationē vt inf. d. 26. Tātū soluo pri. arg. quoniā sumit à scriptura. Et dico q̄ Christus ibi nō loquebat̄ d̄ visione faciali in patria: sed de visione fidei in via. Alias. n. cū vidissent Chr̄m visione faciali in via supponeret eos, iā esse beatos. Hæc solut. dat Sco. in. 4. d. 49. q. 4. ad vlti. princi-

*Pro Thomi-
stis.*

2. Argum.

3. Argum.

*Pro Scoti-
stis.*

1. Argum.

3. Argum.

Solutio.

principale. Vel potest dici secūdò, quod si verba intelligerentur de visione faciali in patria essent glossanda de poten. ordina. sed nō de absoluta. Hanc dat Scotus hac.d.q.2.litera.H. Vel potest dici tertio quod Philippus errabat credens patrem esse filio maiorem: idcirco Christus vt ostenderet suam æqualitatem cum patre dixit se esse in patre: & patrem esse in filio. non autem vt faceret consequentiam, quam præ tendit argumentum. Et tenēdo opinionem Scoti debet cōcedi quod visio tam essentia quā vnus personę esset sufficiens & beatifica quietans ipsum beatū: cum videat, & fruatur bono infinito: & ita tenet idem Scotus, vbi supra litera.F. in alia opinione hoc negatur.

Propo. 11. Obiectum fruitionis inordinatæ potest esse ipsum summum bonum ex defectu alicuius circumstantiæ debitæ: vel est aliquid aliud quod potest volūtas propter seipsum amare. Probat ex August. citato, quod peruersitas est frui vtendis. Et in habentibus zelum Dei non secundum scientiam est peccatum fruendo Deo sine debitis circumstantijs. Vnde Paul. Roman. 10. Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem quidem Dei habēt sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Iustitiā Dei, & suam querentes statuere Iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et ipse Paulus ex zelo Dei persequebatur ecclesiam, ignorans tamen vt dicit. 1. Timoth. 1. & Ioan. 16. dixit Christus. Omnis qui interficit vos arbitrabitur se obsequium præstare Deo.

Propo. 12. Omnis peccans mortaliter, & scienter fruatur creatura, & si petas qua creatura. Respondet Scotus hac.d.q.5.litera.A. quod communiter fruatur seipso. Patet ex August. de ciuitat. Dei lib. 14. capit. 28. Duo amores fecerunt duas ciuitates. Ciuitatem diaboli amor sui vsque ad contemptum Dei. Ciuitatē Dei amor Dei vsque ad contēptum sui: ergo prima radix ibi est quod peccans fruatur seipso. Adrianus. quodlib. 7. q. 3. tenet quod non oportet peccantem mortaliter magis affici ad creaturam, quam sit affectus ad Deum: quia potest peccare vt complacat amico: & tamen vellet se potius in nihilum redigi, & illum pro quo peccat, quam sineret Christo contumeliam fieri, aut fidem perire. Dico autem quod in casu, quo quis peccat vt complacat amico, propterea illi placet, vt sibi etiam placeat. Si autem propter

pter amicum vitam perderet, tunc frueretur amico. Idcirco dictum est, quod communiter fruatur seipso: in tantum quod occidens seipsum facit ex dilectione propria, vt aduersa euadat. Conclusio ergo intelligitur quod fruatur creatura, illam propter se amando. In qua licet non ponat finem vltimum actualiter, ponit tamen interpretatiue, & virtualiter. Per quam distinctionem possunt concordari Scotus, & Adrianus.

D I S T I N C T I O II.

In qua incipit Magister tractare mysterium vnitatis, & Trinitatis.

D E V N I T A T E D E I.



Eum esse est per se notum ita tenet Thom. 1. part. quæst. 2. articul. 1. Scotus hac distinct. q. 2. litera B. vide Alexand. 1. part. quæst. 3. M. 2. Probat Scotus, propositio per se nota dicitur, quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet veritatem euidētem: ita quod non excluditur notitia terminorum incompletorum: sed excluditur notitia alterius complexi, sed ista, Deus est, ex terminis habet euidētem veritatem, quia esse est Deo intrinsecum, ergo est per se nota. Confirmatur, quia ipsa est immediatissima, in quam resoluuntur omnes propositiones enuntiabiles de Deo, ergo ipsa non est per aliam noscibilis, vt prima principia in quibus prædicatum est idem subiecto, sunt per se nota scientibus terminos. Vnde si aliqui negauerunt illam fuit propter insipientiam, & ignorantiam terminorum. Psalm. 13. Dixit insipiens in corde suo non est Deus. Thom. distinguit per se notam, & quo ad nos: ita quod illa sit per se nota in qua prædicatum sit inclusum in ratione subiecti: tamen ignorantibus terminos non erit nota. Et sic nobis ista, Deus est, non est per se nota, sed indiget demonstrari per magis

Proposi. 1.

C nota

nota quoad nos, scilicet, per effectus. Scotus non distinguit quia apud Scotum propositio per se nota non dicitur, quia ab aliquo intellectu cognoscatur. Sed quia ex natura terminorum nata est habere eidentem veritatem. Aliæ quæstiones fieri solent in hac materia, rationales seu logicales. Vtrum per se notum conueniat primo rebus significatis: an propositionibus? si conueniat propositionibus, abusiue an proprie? Quas non expedit nostræ breuitati pertractare. Solum dico quod cum ab eo, quod res est vel non est oratio sit vera, vel falsa: & proprie dicatur hæc propositio est euidens: quod verosimilibus est quod per se notum primo conueniat rebus: & proprie atque non abusiue propositionibus.

Proposi. 2. Nomine Dei intelligimus naturam, seu ens primum simpliciter independens: à quo dependent omnia: summum, quo nihil maius cogitari potest, sine contradictionis implicatione.

Proposi. 3. Deum esse est demonstrabile demonstratione, quia, & à posteriori. Ita Alexand. 1. parte quæst. 2. M. 1. artic. 4. & 6. & M. 2. artic. 1. & Thom. 1. parte quæst. 2. artic. 2. Probatur ex Paul. Roman. 6. inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Et sapientiæ. 13. A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. In. 3. ar. probat idem Thom. quinque vijs. Scotus hac distinct. quæst. 1. probat idem de ente infinito, quod constat esse Deum. Et probat ex relatione ad creaturas secundum causalitatis proprietates, videlicet, efficientis, finalis, & eminentiæ: ita quod aliquod sit primum efficiens: primus finis: & primum eminens, & quod primum secundum vnā rationem sit primum secundum alias. Tum denique quod illud sic primum sit infinitum, vide & protinus hic in sexta propositione.

Proposi. 4. Demonstratione propter quid & à priori non potest probari Deum esse, quoniam esse Dei non habet causam, per quam possit demonstrari: sicut illam habet propria passio quæ demonstratur de subiecto. Hanc tenet citatus Alexand.

Proposi. 5. Deum esse vnum est de fide, vide Alexandrum Halensem. 1. parte

parte. quæstione. 14. mem. 2. & 3. Sic prædicamus contra Gentiles idololatrias, & contra aliquos hæreticos, videlicet Manichæum ponentem duos Deos vnum bonum alterum malum. Amalo dicebat esse vetus testamentum: à bono nouum, secutus in hoc Cerdonem, & Marcionem eius discipulum. Probatur conclusio. Deuteronom. 6. Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est. Paulus ad Ephesios. 4. vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, ad Hebræos. 1. Multipharic multisque modis olim loquens Deus patribus in prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, ergo idem est Deus vtriusque testamenti. Quod & beata virgo in suo cantico professa est. Lucæ. 1. Suscepit Israel puerum suum sicut locutus est ad Abraham patrem nostrum & semini eius in sæcula. Vide in. 4. distinctio. 1. parte. 1. de Circumcisione.

Vnitas Dei est demonstrabilis demonstratione quia, & à posteriori. Hanc tenet Scotus hac distinctio. quæstione. 3. & probat illam septem rationibus. Videatur & Thom. 1. parte quæstione. 11. articulo. 3. vbi probat eandem ex tribus. Et articulo. 4. probat Deum esse maxime vnum. Primò ex autoritate Boetij dicentis inter omnia quæ dicuntur vnum, arcem tenet vnitas diuinæ Trinitatis. Ratione, quia vnum est ens indiuisum: Deus est maxime ens: quia non habet aliquod esse determinatum per aliquam determinatam naturam, & est maxime indiuisum, quia neque diuiditur actu neque potentia secundum quemcunque modum diuisionis. Vide Alexandrum de Ales. 1. part. quæstio. 3. mem. 1. vbi eam probat ex quatuor & quæstione. 14. mem. 6. probat esse maxime vnum. Contra conclusionem tenuit Ioannes Bassolis Scoti discipulus. Et quod vnitas Dei sit tantum ex fide. Sed probatur tam ista quam tertia. Primò ex motu per quem Aristoteles. 8. Physicorum deuenit in cognitionem vnus motoris non moti. Secundo, ex parte efficientis, sic. Aliquod ens est productum, quæro, vel à se: vel ab alio. Non à se, quia nihil efficit seipsum: tunc enim simul esset, & non esset, ergo ab alio. Tunc quæram si

... C. 2. ... militer

militer de illo alio, & cum non sit procedere in infinitum deueniendum est ad vnum primum efficiens, quod à nullo dependeat. Ex ista probatur, quod sit primus finis, idest, vltimus. Est primum efficiens, ergo & primus finis. Probatur consequentia, quia causa finalis non causat, nisi quia mouet efficiens, sed istud primum efficiens non habet causam efficientem sui, ergo neque finalem. Et per consequens est finis independens, & ideo primus & vltimus, quoniam etiam in finibus non est procedere in infinitum, sicut non est in causis efficientibus. Tunc vltius. Est primum efficiens, & primus finis, idest, vltimus, ergo est primum eminens, quia implicare videtur contradictionem, quod sit aliquod primum secundum causam efficientem, & finalem & quod sit aliud illo superius & eminentius, confirmatur, quia aliqua natura, danda est simpliciter prima secundum perfectionem cum formæ se habeant sicut numeri. 8. Metaphysic. ergo non est processus in infinitum & deueniendum est ad vnam quæ sit eminentissima. Ex hoc sic ad vnitatem Dei. Ille primum efficiens & primus finis, idest, Deus habet intellectum & voluntatem, quia ordinat suas actiones in finem, & non naturaliter, quia tunc ordinaret in virtute alterius, & non esset primum, sint ergo duo dii, qui mutuo se intelligant & diligant, tunc aut vnus fruitur altero aut vtitur, si vtitur voluntas sua peccat quia vtitur fruendo. Si fruitur, ergo est beatus in duobus obiectis quorum vno sublato nihilominus est beatus, quia fruitur altero Deo & fruitur seipso. Nihilominus dicit Scotus sicut diximus in. 1. parte prologi, quod illa quæ possunt demonstrari vtile est tradi communitati per viam autoritatis propter negligentiam communitatis in inquirendo veritatem: & propter impotentiam intellectus: & propter errores inquirentium per demonstrationem, quia veritatibus suis multa falsa permiscent. Et ideo quia simplices sequentes tales demonstrationes bene possent dubitare cui esset assistendum tuta est via & facilis autoritas certa, quæ non potest fallere, nec falli. Thomas. 1. parte quæstion. 2. articul. 2. ad primum argumentum dicit, quod illa, quæ per rationem naturalem possunt de Deo demonstrari non sunt articuli fidei

dei, sed præambula ad articulos: sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam. Et vt perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet illud quod secundum se est demonstrabile & scibile, ab aliquo accipi, vt credibile qui demonstrationem non capit. Potest & adhuc probari sed ex omnipotentia credita vt illam probat Ricard. 1. de Trinitat. cap. vltim. Omnipotens potest facere alios nihil posse, alioquin non est omnipotens, ergo implicat contradictionem esse plures omnipotentes. Et per consequens plures Deos. Confirmatur: quia posito effectu ab vno illorum non poterit alius iam illum producere, ergo non est omnipotens, quandoquidem non potest in omnem effectum.

DE TRINITATE PERSONARVM.

De fide est quod cum vnitatem essentia est Trinitas personarum, vide Alex. 1. par. q. 14. mem. 5. & q. 44. & 45. probatur. 1. Ioan. cap. 5. Tres sunt qui testimonium dant in caelo. Pater, verbum & Spiritus sanctus. Et hi tres vnum sunt. Nil potuit dici clarius. Item Ioan. 10. dixit Christus, Ego & pater vnum sumus, dicendo sumus ostendit pluralitatem, dicendo vnum ostendit vnitatem. Vbi aduerte quod Erasmus dixit hunc locum Ioannis non intelligi de vnitatem essentia, sed de vnitatem consensus & mutua concordia. Sed quod ista expositio stare non possit probatur ex contextu literæ, in qua vt more scholastico loquamur facit Christus Dominus hunc discursum. Nemo rapiet oves meas de manu (i. de potestate. Nam potestas in sacris literis designatur nomine manus) patris mei, ergo neq; rapiet illas de manu mea. Probat consequentiam, quia ego & pater vnus sumus: igitur sicut non potest rapere de manu patris: ita neq; potest de manu mea. Qui quidem processus non teneret, si de concordia & mutuo consensu loqueretur: & non de mutua vnitatem, & æqualitate in essentia, & potestate: neq; bene probasset quod volebat. Non enim est consequens, vt si duo sint concordantes mutuo animo & consensu quod quidquid potest vnus possit item & alter. Est q; manifesta instantia de iustis & bonis in presertivita qui sunt vnus

Propos. 1.

spiritus cum Deo ut Paulus ait. 1. Corint. 6. & tamen possunt ab iniquis rapi illorum bona & diripi, quæ tamen de potestate, & manu Dei rapi nullo modo possunt. Et quod de mutua potestate & unitate loqueretur ipsi Iudei testes fuere, qui dixerunt. Homo cum sis facis te ipsum Deum, igitur Iudei melius intellexerunt verba illa quam Erasmus, & aliqui hæretici qui negauerunt æqualitatem personarum. Sabellius & Priscillianus posuerunt in diuinis vnã personam tantum, sed quod diuersis nominibus nominabatur. Et vocati sunt patripassiani, eò quod si tantum erat vna persona inde sequebatur patrem fuisse passum. Contra quos versus hexametro scripsit Prudentius poeta Christianus in Apotheosi. Iudei similiter negant pluralitatem personarum contra quos extat specialis tractatus Nicolai Lyrani post noui testamenti expositionem.

Propos. 2. Ex tribus diuinis personis prima (s. persona patris) est improducta. Secunda. i. filij est producta à patre per generationem. Tertia spiritus sancti est à patre & filio per spirationem. Hæc est de fide sicut prima, patet ex symbolo Athanasij. Pater à nullo est factus: nec creatus: nec genitus: filius à patre solo est, nõ factus nec creatus sed genitus: spiritus sanctus à patre, & filio sed procedens.

Propos. 3. In diuinis sunt duæ productiones tantum, ita quod neque plures, neque pauciores. Alex. 1. p. quæst. 45. M. 7. & Thom. 1. p. q. 27. arti. 5. Scotus hac. d. q. 7. litera. M. probatur, ibi sunt tantum duo principia productiua, scilicet intellectus diuinus cum obiecto, scilicet essentia diuina. Et voluntas cum eadem essentia, ut obiecto cognito, ergo ab illis duabus principijs productiuis sunt duæ productiones tantum. Patet antecedens, quia in natura intellectuali non sunt alia principia productiua nisi ista: neque plures actiones immanentes, quam istæ duæ intelligere, & velle. Secundo sic. Tantum sunt duo modi principiandi, scilicet per naturam, & libertatem, qui ambo inueniuntur in presenti. Tertio sic. Vnius obiecti non potest vnus intellectus producere nisi vnã notitiam adæquatam: neq; vna voluntas nisi vnum amorem adæquatum, ergo diuinæ essentiæ non est nisi vna notitia, & vnus amor adæquatus. Et per hoc patet quomodo non sint duo filij: Nec duo Spiritus sancti, quia filius non generat alium filium: quo

quoniã iam intellectus diuinus habet productum adæquatum. Scotus vbi supra litera. G. perinde est de Spiritu sancto. Quod vero producti distinguantur patet, quia nihil producit se, ut author est August. lib. 1. de Trinit. capit. 1. Quod sint idem in essentia probat. Sunt adæquati obiecto, scilicet essentiæ diuinæ, sed essentia est infinita, ergo notitia genita est infinita: & amor productus est infinitus. Et cum nihil sit infinitum nisi essentia diuina, erunt idem essentiæ diuinæ.

Trinitas diuinarum personarum non potest probari ratione naturali. Ita Alex. 1. p. q. 2. M. 1. art. 3. & Bona. d. 3. huius libri nu. 22. Thom. 1. p. quæst. 32. arti. 1. probatur ex sententia Gregorij in Hom. 26. super Euangelia in principio. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Ratione, si posset demonstrari esset vel à priori, vel à posteriori. Non à priori, quia articulus Trinitatis non habet causam. Et quamuis aliqui articuli habeant causam ut articulus incarnationis, illa tamen causa quo ad articuli existentiam actualem, est voluntas diuina, quæ secundum se est nobis ignota. Non à posteriori quia Deus cognoscitur per creaturas: sed creaturæ ducunt in cognitionem Dei sicut effectus in causam, qui effectus eo modo ducit in causam, sicut ab illa procedit, sed nullus effectus apparens nobis procedit à Deo, nisi secundum quod est vnum quia virtus creatiua est communis Trinitati: ergo licet per creaturas nobis ostendatur vnitas essentiæ nullo modo ostenditur Trinitas personarum. Dicitque Thomas quod qui nititur probare Trinitatem personarum per rationem naturalem derogat fidei dupliciter, primo quantum ad ipsius dignitatem, quia est de non apparentibus. Hebr. 11. Secundo quia cedit in irrisionem infidelium credentium quod huiusmodi rationibus inuitamur, ut propter eas credamus. Nam quod Aristot. dixit primo de coelo, de ternario numero quod sit à natura sumptus loquitur de Trina dimensione per quam corpus est perfectum. Et Pythagorici, quos ibi allegat omnem rem perfectam volebant esse determinatam tribus, principio, medio, & fine. Qua propter ait Aristoteles, hoc à natura numero sumpto perinde, atque quadã illius lege & in deorum sacrificijs uti solemus. Huc alludit dicens poeta Virgilius. Numero Deus impare gau-

re gaudet. Non tamen quia mysterium Trinitatis ratione naturali cognouerint.

Propos. 5. Octo modis insinuatur nobis Trinitas personarum in sacra scriptura ut est videre in Bona. quæst. literali. num. 8. in Ricar. hac. d. q. vlti. 1. per significationem principalem. Matth. vlti. in nomine patris, & filij & Spiritus sancti. 2. per numeri con- significationem Genes. 1. faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et ibi. In principio creauit Deus, vbi Hebræi ponunt Heloim, qui est nominatiuus pluralis nominatiui singularis Hel. 3. per numerorū suppositionem. Prouer. 8. Ante omnes colles ego parturiebar. 1. generauit me. Ecclesi. 24. Ego ex ore altissimi prodij. 4. appropriatione, ut Gene. 1. In principio creauit Deus, vbi Deus appropriatur patri: principium filio. Roma. 11. Ex ipso (scilicet, ex patre) per ipsum (idest filium.) Et in ipso (idest Spiritu sancto) 5. per Trinam verborum iterationem. Isaie. 6. sanctus, sanctus, sanctus. 6. per verborū ordinem psal. 66. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus. 7. Connotatione in actu missionis, & imaginis. Galat. 4. Misit Deus filium suum. Heb. 1. Cum sit splendor & figura substantiæ eius, quia imago secundum Hilarium, connotat respectum personarum ad inuicem. 8. Aparitione sicut apparuerunt Abrahæ tres viri Genes. 28. Danieli. 7. Antiquus dierum & filius hominis. Ioanni Apoca. 5. sedens in throno, & agnus tanquam occisus.

DISTINCTIO III.

De cognoscibilitate Dei per creaturas: ponitque Magister quatuor modos quibus potest Deus ex creaturis cognosci. Tractatq; de vestigio, & imagine Dei lucentibus in creaturis.

Propos. 1. **T**ripliciter ascendimus à creaturis ad cognitionem Dei. Vno modo per ablationem conditionum imperfectarum ut quod non est creatus: non finitus. Et sic illum cognoscimus in creatum, infinitū, immensum, Vide Alex. 1. p. q. 2. mē. 1. arti.

artic. 2. ad hunc primum modum. Secūdo per viam causalitatis. Et sic cognoscimus eum esse factorem, & creatorem cœli & terræ: gubernatorem. Tertio per supereminentiam conditionum perfectarū, ut cōsiderando perfectiones creaturarū, & illas perfectiori modo & supereminēti cōsiderando in Deo. Sic eū cognoscimus esse lumen super lumen. Hæc est beati Dionysij. de diu. nomin. referente Ricardo hac. d. art. 2. q. 2. Bona. hac. d. num. 13. tangit duos modos, scilicet per viam ablationis, & superexcellentiæ quia ut ipse ait. Omnis proprietas nobilis in creatura Deo est attribuenda in summo. Isidorus lib. 1. de summo bono. ca. 4. sic ait. Quibusdam gradibus intelligentiæ per creaturam progreditur homo ad intelligendum Deum creatorem, idest, ab insensibilibus ad sensibilia: A sensibilibus ad rationabilia: A rationabilibus ad creatorem. Intelligibilia per se collaudant Deum: Irrationabilia, & insensibilia non per se, sed per nos, dum ea considerantes Deum laudamus. Sed ideo dicuntur laudare ipsa, quia eandem laudem earum parturit causa. Hec ille. Ad tres modos positos in conclusione reducuntur quatuor assignati à Magistro, scilicet à perpetuitate, siue causalitate creaturarum, quas nulla alia creatura facere, vel destruere valet. Ab imperfectione, seu mutabilitate quæ nõ potest esse nisi ab illo, quod est immutabile. Ab ordine, & dispositione, quo spiritus melior est quam corpus: sed longe melior qui spiritum, & corpus fecit. A pulchritudine: cum sensibilia, & intelligibilia sint speciosa valde, illud à quo facta sunt principium rerum non factum recte creditur. ¶ Contra hanc videtur autoritas sapientiæ. 14. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in mulpulam pedibus insipientium. ¶ Dico quod non intelligit sapiens quod finis in quem factæ sunt creaturæ sit in deceptionem hominum: Alioquin non in cap. 13. dixisset, quod à magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horū videri. Sed exprimit quod ex illis insipientes sumunt occasionem errandi. Et loquebatur ibi specialiter de idolis, & demonibus in eis habitantibus, qui suis tentationibus capiunt, sed insipientes.

Ista cognitio habita per creaturas de Deo non est in particali, & proprie, scilicet, quod sit hæc essentia. Ita Scotus hac. d. q. 2. litera. D. probat, quia sub ratione talis cognoscibilis est ob-

D
ctum

Argument.

Solutio.

Propos. 2.

ctum voluntarium & non naturale, nisi respectu sui intellectus tantum, & ideo à nullo intellectu creato potest sub ratione huius essentiae in particulari naturaliter cognosci. Tho. 1. p. q. 12. art. 12. dat aliam rationem ad conclusionem quia creature sunt effectus Dei non adæquantes totam virtutem Dei, qui est illarum causa, ergo ex ipsis non potest tota virtus Dei cognosci & per consequens, neq; essentia eius videri. Cognoscimus tamen de ipso habitudinem ipsius ad creaturas q̄ scilicet est omnium causa: quod non est aliquid eorum quæ ab ipso causantur q̄ creaturas superexcedit sicut iam dictum est. Ad hanc vide Alex. citata. q. 2. mem. 1. art. 5. Et mem. 2. ar. 3. & 4.

Propos. 3. Cognitio Dei quam in presenti vita habemus per gratiã, est perfectior ex parte obiecti extensiuè: & ex parte intellectus intensiuè, quam cognitio quæ habetur per rationem naturalem. Probat, quia plures effectus Dei cognoscimus: quã per solam rationem naturalem cognosceremus dicente Paulo. 1. Corint. 2. Loquimur Dei sapientiam, quã nemo principum huius sæculi cognouit, id est, demonum, vel philosophorum, vel Doctorum in lege, vt ibi exponit interlinealis. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Similiter lumen naturale intellectus adiuuatur, & confortatur à gratia: & phantasmata in imaginatione per gratiam melius expriment res diuinas, quam accepta solum naturaliter è sensibilibus, vide Tho. 1. p. q. 12. art. 13. hanc facit Alex. citata. q. 2. mem. 3. art. 4.

Propos. 4. Beati non cognoscunt Deum per creaturas: Bene tamè stat q̄ cum actu beatifico Deum cognoscant in creaturis. Bona. hac. d. num. 18. quia cognoscere Deum in creaturis est cognoscere ipsius præsentiam & influentiam in creaturas. Et hoc est viatorum semiplene: sed comprehensorum perfecte. Cognoscere per creaturas est eleuari à cognitione creaturæ ad cognitionem Dei quasi per scalam. Sic dicit Bernardus libr. 5. de considerat. in principio. Cum iuxta sapientiã Pauli inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, sane hac scala ciues non egent, sed exules: propter quod signanter posuit à creatura mundi. Et vere quid opus scalis tenenti iam solium? Creatura cæli illa est præstò habens per quod potius ista intueatur videt verbum, & in verbo facta per verbum. Hæc ille. Vocatur homo creatu-

creatura mundi, vt dicit Magister in litera, propter excellentiam qua excellit inter alias creaturas, vel propter conuenientiam quam habet cum omni creatura. Habet namq; commune esse cum lapidibus: vigere cum arboribus: sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxta aliquid omnis creatura est homo vt dicit Grego. hom. super Euangelia. 29. Cognitio per creaturas comparatur à Ricar. hac. d. artic. 2. q. 3. cognitioni conclusionis per principia: quæ est per cognitionem principiorum discurrendo acquirere conclusionis cognitionem. Cognitio Dei in creaturis, conclusionis cognitioni in principijs, quæ est ita perfecte, & clarè cognoscere principium, quod simul eodem actu cognoscatur conclusio virtualiter contenta in principio, vnde beatus non discurret ex cognitione creaturæ ad acquirendam cognitionem aliam creaturis, quam non habuerit: sed vna cognitione & sine discursu cognoscit Deum quatum ad illud, quod de ipso refulget in creatura, & cognoscit ipsam creaturam in proprio genere creaturæ.

In qualibet creatura est vestigium Trinitatis. Hæc est Augu. *Propos. 5.* 6. de Trinitate dicentis vt refertur à Magistro in litera. Huius Trinitatis vestigium in creaturis apparet. Sequuntur scholastici Doctores hac. d. Alex. 2. p. q. 8. Thom. 1. p. q. 45. ar. 7. Declaratur à Scoto. Quia secundum Arist. 6. Topi. c. 2. omnes vtetes metaphora secundum aliquam similitudinem ea vtuntur. Est autem metaphora Græce, trãslatio Latine.) Cum igitur omnes transferetes secundum aliquam similitudinem transferant & vestigiū sit similitudo illius partis animalis, à qua imprimitur in aliquid sibi cedens, vt si pes animalis imprimatur pulueri. Nã vestigiū proprie est impressio pedis, estque representatiuum partis per se, totius vero argumentatiue, quia ex vestigio venimus in cognitionem totius. Ad propositum, quamuis in diuinis Trinitas non sit totum numerale, in conceptu tamè intellectus nostri possumus dicere, q̄ cognoscatur quasi quoddam totum numerale habens tres vnitates: quibus correspondent tria appropriata seu appropriabilia, quæ sunt quasi partes. Licet igitur creatura non representet communiter personam vt persona est in diuinis, neq; representet appropriatum, vt est appropriatum illi personæ, quia nō pos-

set sic cognosci nisi ipsa persona cognosceret: representat tamē illud appropriabile vt est in se: sine hoc, quod sit actu appropriatū. Verbi gratia, Vnū, Verū, Bonū: reperiuntur in omni ente. Vnū representat summam vnitatem principij, quæ appropriatur patri, qui est principium & origo aliarum personarum. Veritas filio: qui procedit per modum intellectiois. Bonitas Spiritui sancto qui procedit per modum amoris. Similiter in omni creatura est modus: species: & ordo. Vide Alex. 1. p. q. 18. Modus assumitur pro mensura: siue limitatione producti: per quem representatur potentia illimitata producentis, quæ potentia appropriatur patri: Species representat summam pulchritudinem in Deo quæ appropriat filio, qui est imago patris, splendor, & figura substantiæ eius. Heb. 1. Ordo creaturæ in operationem, vel in finem representat operationem perfectissimam in Deum, scilicet, dilectionem: quæ Spiritui sancto appropriatur. Cum istis concordat illa Sap. 11. In numero, pondere, & mensura: Numerus respondet speciei: Pondus ordini, Mensura modo. Et sic patet in quibus consistit vestigium in creatura. Et respectu quorum in diuinis, quia respectu appropriatorum personis diuinis.

Propo. 6.

In omni & sola creatura intellectuali inuenitur imago Trinitatis. Ita docēt omnes scholastici Doctores hac. d. Alex. 1. p. q. 61. Thomas. 1. p. q. 93. quæ tota est de hac materia. De homine patet Genes. 1. faciamus hominem ad imaginem, & similitudinē nostram. Augustinus & refertur in litera. Licet humana mens non sit eius naturæ, cuius Deus est, imago tamen illius quo nihil melius est, ibi quærenda & inueniēda est quo natura nostra nil habet melius. De Angelo. Ezechielis. 28. Tu signaculum similitudinis. Super quæ verba Grego. lib. 32. Moral. capi. 24. ait, licet homo ad similitudinem Dei creatus sit: Angelo quasi maius aliquid tribuens ipsum signaculum similitudinis Dei dicit: vt quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Ponit exemplum de imagine sigilli quæ talis exprimitur: qualis in sigillo essentialiter habetur. Ad propositum. Imago est similitudo totius: in creatura igitur intellectuali vnitatis diuinæ essentiæ & Trinitas personarum, sic representatur: quia in ipsa est intellectus cum obiecto, vel specie intelligibili, qui gerit vicem

vicem parentis: generatur notitia gerens vicem filij. A voluntate & obiecto cognito procedit amor qui respōdet Spiritui sancto. Et sic in vna essentia animæ sunt tres potentia, quæ representant Trinitatem. Ita quod imago Trinitatis vt dicit Scotus non est in solis actibus primis, neque solum in secundis: sed in vtrisque. Hoc est non solum in potentijs, sed etiam in earum operationibus, vt representetur vnitatis essentiæ, & emanatio personarum. Neque propterea quod in creatura rationali sit imago cessat quod etiā sit vestigium, quoniam per vnam rationem est imago, & per aliā vestigium: vt patere potest ex præfatis propositionibus, quoniā in mente ratione suæ essentiæ, & aliorum concurrentium est imago totius Trinitatis. Sed ratione partium est vestigium sicut in cæteris creaturis, in quibus est vnitatis, Veritas, & Bonitas: Modus, Species, & ordo: Numerus: pondus, & mensura. Videatur Scotus hac. dist. in. quæstio. 5. ad secundum principale: & quæstio. 9. ad. 1.

Ex dictis infertur quod esse vestigium, & imaginem nō addit aliquod absolutum super creaturam: sed ipsamet creatura in se ipsa habet illa propter quæ est vestigium, & imago. Corol.

Contra hanc sextam arguo. Ex ipsa sequetur quod Trinitas possit probari ratione naturali, quod in dist. 2. propositione. 4. negatum est. Et probo sequellam, quando quidem imago distincte representat illud cuius est imago, sed demonstrato à posteriori quod Deus est: & quod naturæ intellectualis est: facillime probabitur quod habet notitiam, & amorem sui, in quibus consistit ratio Trinitatis, ergo &c. Confirmatur, quia si propter aliquid non posset probari esset, Vel quia nō potest probari quod notitia illa, & amor non sint creaturæ: vel quod non sunt accidentia sicut in nobis: vel quod sint personæ: sed ista non obstant. Probat, quod non sunt creaturæ: quia creatura est ex nihilo: sed notitia & amor in diuinis sunt ex aliquo puta ex ipsa essentia diuina, ergo non sunt creati. Quod non sint accidentia probo, quia si forent cum possent adesse, & abesse iam illud primum efficiens de quo prælocuti sumus in dist. 2. non esset primum cū deberet reduci ad actum intelligendi & amandi per alium. Neq; haberet actus illos productos sibi consubstantiales: implicaret, ergo esse primum, & non primum. Quod sint personæ probo.

Illā notitia & ille amor sunt substantia, quia non sunt accidens: & non altera substantia quam illamet quæ est in primo illo efficiēti, scilicet, Deo, suntq; incommunicabiles, quandoquidem producens non est productum neq; e conuerso. Neq; notitia est amor aut e contra: sed persona est intellectualis naturæ incommunicabilis substantia vt infra. dist. 23. igitur probatur quod sint personæ.

Solutio.


Huic argumento dico, quod credenti Trinitatem hæc & similia valent ad perscrutandum & persuadendum quomodo possit esse: & quod hoc sit rationabilius quam oppositum. Non credenti autem, nullo modo demonstrant. Quocirca bene dixit Magister in litera, quod notitia Trinitatis non potest haberi vel potuit sine doctrinæ, vel interioris inspirationis reuelatione, vnde illi antiqui philosophi quasi per vmbra, & de longinquo viderunt veritatem: deficientes in contuitu Trinitatis vt Magi Pharaonis in tertio signo. Si dicas, quod aliqui Philosophi cognouerunt mysterium Trinitatis, vt ille Platonius qui posuit in libro suo euangelium Ioannis vsq; ad illud, Verbum caro factum est, vt refert Augustinus. 7. confessi. cap. 9. & Hermes qui dicitur Mercurius, qui fecit librum, qui vocatur verbum perfectum, in quo ait. Hic est filius benedicti Dei vt narrat August. lib. contra quinq; hæreses. cap. 3. Respondet Ricar. hac distinct. artic. 2. quæst. 2. quod hoc fuit aut quia legerunt libros sacre scripturæ, aut quia Deus per aliquam gratiam gratis datam illis reuelauit. Sic nouit Sibylla Tiburtina, quæ Augusto Cæsari consulenti ipsam, cum eum Romani pro Deo adorare vellent, viginti septem versibus respondit quorum primus dicebat. Iudicij signum tellus sudore madescet. Secundus.

E cælo rex adueniet per secla futurus. Quorum capitales litteræ hunc sensum faciebant Iesus Christus Dei filius saluator, vt dicit August. lib. 18. de Ciuitate Dei. cap. 22.

Distinctio

D I S T I N C T I O IIII.

In qua Magister tractat veritatem quarundam propositionum.



MÆC est vera, Deus genuit Deum. Ita Magister. Probat, ex symbolo Deum de Deo, lumen de lumine. Ratione sic. Pater genuit filium, pater est Deus, ergo Deus genuit filium: sed filius est Deus, ergo Deus genuit Deum. Et pro intellectu tam huius, quam sequentium est aduertendum quod ly Deus supponit quandoque personaliter, quandoque essentialiter. Quod in alio termino dicit Bona. hac. distinct. numer. 28. non posse inueniri. Quare attendendi sunt termini quibus coniungitur, ex verbo gignendi constat in proposito quod supponit pro persona.

Propos. 1.

Hæc est falsa, pater genuit se Deum: ita in litera. Et probatur ex August. 1. de Trinitat. Nulla res est quæ seipsam gignat vt sit.

Propos. 2.

Hæc est falsa, pater genuit alium Deum. Ita & in litera, ratio est, quia ly, alius, in proposito ponit suam alietatem generati ad generantem in natura. Hoc est in deitate, quidam quos Thom. refert. 1. parte quæstione. 39. articul. 4. ad quartum, concedunt illam intelligentes appositue. Genuit alium, qui est Deus. Sed dicit quod neque sic debet concedi ne detur occasio erroris.

Propos. 3.

¶ Si contra arguas ex Augustino, in epistola ad Maximum. Pater genuit alterum se. Magister in litera exponit dupliciter, vt, scilicet, ly se, sit ablatiuus, intelligendo genuit alterum se, id est, alterum à se. Non vtique alterum Deum sed alteram personam, vel genuit se alterum, id est, genuit alterum, qui est hoc, quod est ipse: & tunc refert identitatem naturæ. Est tamen talis locutio impropria.

Argum.

D 2 Ista

Proposi. 4.

Ista est concedenda. Pater, filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, sunt vna substantia sunt vnum. Ita Magister: Probat auctoritatibus Augustini, & Ioan. 1. epistol. cap. 5. Pater, verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Similiter est concedenda sua conuertens. Deus est pater, filius, & Spiritus sanctus. Quidam tamen vt Magister ait hanc negauerunt, quos Ricardus super literam dicit fuisse discipulos Gilberti Porretani, quorum ratio erat qd terminus à parte subiecti stat pro supposito, ideo diuina natura prædicatur de tribus personis: nō autem tres personæ de diuina natura prædicantur. Sed hoc nihil obstat, quoniā hic terminus Deus positus à parte subiecti facit propositionem singularem, seu particularem, quam non faciunt alij termini significantes alias naturas, vt ista: homo est albus, vbi terminus homo facit indefinitam. Cum igitur natura diuina sit singularis, ita quod non distinguitur, neq; numeratur in diuinis suppositis, sicut distinguuntur, & numerantur aliæ naturæ creatæ ad numerationem suppositorum: faciendō propositionem singularem & identificata cum suppositis facit illam propositionem veram per identitatem: Similiter in abstracto dicēdo, Deitas est pater, filius, & Spiritus sanctus, est etiam vera per identitatem. Ad has omnes, vide Alex. 1. par. quæst. 50.

D I S T I N C T I O V.

*In qua inquiritur, si essentia diuina generat vel generatur?
Si filius est de substantia patris.*

Proposi. 1.

ESENTIA diuina neque generat neq; generatur. Magister in litera scholastici doctores hac. d. Alexan. 1. p. quæst. 42. M. 3. art. 1. Tho. 1. p. q. 39. artic. 5. & q. 41. art. 3. ad secundum. & est de fide contra abbatem Ioachim vt habetur extra. de summa Trinitat. & fide catho. c. Damianus. Probat ratione. Omne generans distinguitur à genito: sed essentia diuina à nullo supposito diuino distinguitur, quia est eadem illis, ergo neque generat, neque generatur, secundo probatur. Actiones, communiter dicitur, quod sunt supposito.

positorum, sed essentia est abstractum vltima abstractione, non potens aliquo modo supponere pro supposito: sicut hic terminus Deus, qui potest supponere pro supposito, ergo essentia nō potest generare. Auctoritatem Augustini, videlicet, Pater, & filius simul sunt vna sapientia, quia vna essentia & sigillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia exponit Magister, vt sit sensus, filius qui est sapientia, qui est essentia est de patre, qui est eadem sapientia, eadem essentia: ita quod nomina abstracta exponuntur per concreta, vel per nomina personalia. Est enim, vt Bonauentura ait hac dist. numer. 11. triplex genus nominum significantium essentiam. Quædam in concreto, vt Deus: & ista proprie supponunt pro persona. Quædam in omnimoda abstractione, vt essentia, & ista nullo modo supponunt pro persona: idcirco si alicubi legatur supponere pro persona est exponendum. Quoniam sancti quandoque ad confundendas hæreses expressius loquuntur, quam proprietates sermonis sustineat. Quædam significant medio modo, partim, scilicet, in concreto, partim in abstracto: sic enim sunt abstracta vt concernant suppositum, quia dicunt aliquam rationem actus, vel originis, qui sunt ipsorum suppositorum vt sapientia, lumen, & similia: ideo ista sapientia generat est sustinenda, & est minus impropria, quam essentia generat. Idem fere quod Bonauentura, licet alijs verbis dicit Thom. citata quæstio. 39. ad primum argumentum, & sic minus impropria est ista. Natura de natura, sapientia de sapientia: quam essentia de essentia.

¶ Contra hanc arguitur, quia in generatione humana, licet primo generetur suppositum, verbi gratia, Sortes, qui est prima substantia, ex consequenti generatur homo, quæ est secunda substantia, igitur à simili, quamuis suppositum puta pater generet suppositum, scilicet, filium, ipsa essentia ex consequenti generatur quæ se habet ad modum secundæ substantiæ.

¶ Respondetur, quod in humanis natura numeratur, & distinguitur ad suppositorum numerationem, ideo numeratis suppositis, in quæ supposita generatio primo terminatur, ipsa natura ex consequenti, & de per accidens generatur, & corrumpitur, in eamque ex consequenti terminatur generatio.

E Non

Non sic in diuinis, vbi vna & eadem numero est essentia geniti, & generantis: & generatio sic terminatur ad hypostasim, idest, personam, quasi ad substantiam primam quod nullo modo terminatur ad essentiam tanquam ad substantiam secundam, quamuis bene quidem ipsa essentia communicetur per generationem.

Proposi. 2.

Filius generatur de substantia patris, Magister in litera, & Alexand. 1. part. quæst. 42. M. 4. art. 2. Probat Magister ex Augustino de fide ad Petrum & de Trinitat. lib. 25, & contra Maximinum vide in litera. Affert & Magister autoritates probantes quod etiam sit dicendus filius essentia patris, in quibus idem est intellectus. Hæc est contra hereticum Calvinum, qui licet fateatur Christum esse Deum natura & patri consubstantialem & coeternum negat tamen illum esse genitum de substantia patris sed quod est Deus à seipso, & verba symboli Niceni. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, vocabat ridiculam Battologiam. Annotat Scotus hac dist. quæst. 2. litera. G. quod ly, de, duo denotat in presenti simul consubstantialitatem, & originationem. Consobstantialitas semper videtur denotari per illam præpositionem in quacumque ratione principij illa inueniatur, verbi gratia, in ratione principij materialis. Cultellus est de ferro: principij actiui, dicitur filius esse de patre: in ratione principij formalis, sed in his duntaxat, in quibus ipsæ formæ sunt subsistentes, & non aduenientes alteri. Possumus enim dicere quod Angelus aliquis est de natura intellectuali. Sed non sufficit sola consobstantialitas in proposito, quia tunc pater esset de substantia filij. Neque ibi ly, de, denotat efficientiam, quia tunc creaturæ essent de substantia Dei. Denotat igitur simul consobstantialitatem & originationem, vt sit sensus, filius est de substantia patris, idest, filius est originatus à patre: vt consobstantialis ei. Et isto modo exponit Magister autoritates in litera adductas, non præcise per consobstantialitatem, neque præcise per originem. Nam dicit exponendo. Natura coeterna de Deo, est, idest, filius coeternus patri de patre est, ita quod est eadem cum eo natura, vel eiusdem naturæ. Autoritatesque Augustini, quas affert, sunt in idem, quarum vna ait. Non est aliud filius, quam illud
de

de quo est, idest, vnus eiusdem substantia est. Alia contra Maximinum. Filius de aliqua substantia est. Quæro de qua? si non de patris substantia est, aliam quære. Si aliam non inuenis patris agnosce substantiam, & filium cum patre homouision confitere, vides quomodo vtraque denotatur, originationem, scilicet, & consobstantialitas. Et clarius Magister sic ait, ea ratione dici filium esse de substantia patris, qui est de patre genitus, ita quod est eiusdem substantia cum eo. Et Spiritum sanctum esse de substantia patris & filij, quia ab vtroque procedit, ita quod est eiusdem substantia. Quid potest dici clarius ad denotandam simul vtramque, consobstantialitatem & originationem? Quo fit diuum Thomam. 1. parte, quæstione. 41. artic. 3. ad secundum, non plene aduertisse literam Magistri dum ait, quod secundum expositionem Magistri filius est genitus de essentia patris: designat habitudinem principij quasi actiui: quoniam secundum Magistrum etiã denotatur consobstantialitas, vt dictum est, & doctor Subtilis loco citato sic dicit intellexisse, & exposuisse Magistrum autoritates à se citatas non præcise per originationem, vt eum intellexit Thomas exposuisse. Neque præcise per consobstantialitatem.

Ex dictis patet quomodo tres personæ non debent dici esse *Corol.* de essentia diuina, quia licet sint idem cum essentia, non tamen ab essentia originantur, vt dictum est in prima propositione, item patet, quod Spiritus sanctus debet concedi esse de substantia patris, & filij, quam & Magister, vt visum est cõcessit; docetur que *Corol.* ex Augustino in litera.

Dicendo filius est de substantia patris, illic substantia non se *Proposi. 3.* tenet quasi materia. Quoniam ibi nulla est materia, vt est videre in litera Magistri referentis August. dicentem. Trinitas hæc vnus eiusdemque substantia est, quia non de aliqua materia, vel de nihilo est filius sed de quo est genitus. Itemque Spiritus sanctus non de aliqua materia, vel de nihilo est, sed inde est vnde procedit. Ratio ad hanc est quia materia cum sit pura potentia, & principium transmutationis dicit imperfectionem. Diuina essentia est purus actus, quæ tota communicatur filio & Spiritui sancto, sine aliqua mutatione, aut actualitate noua facta circa ipsam, sicut fit in humanis quando pars substantia
E 2 hominis

hominis generantis transit in substantiam geniti per suas transmutationes, unde Ioann. 10. dixit Christus. Pater quod dedit mihi maius omnibus est: sed quod est maius omnibus est. infinitum, & essentia diuina, ergo illam totam habet filius à patre; & non partem per transmutationem: cum sit impartibilis, & per consequens neque est materia, neque quasi materia. De conclusione videatur Thomas. 1. parte quæst. 41. artic. 3. Scotus hac dist. quæst. 2. ubi refert opinionem Henrici, quam & sequitur Durand. hac dist. quæst. 2. quod essentia diuina debeat concedi esse quasi materia, quantum ad conditiones materiæ non importantes imperfectionem, illam tamen Scotus impugnat.

Argum.

¶ Contra hanc arguitur Ecclesi. 24. dicitur ex persona filij, qui est sapientia patris, ego ex ore altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam: & infra. Ab initio & ante secula creata sum: igitur est creatura, & per consequens est ex nihilo, vel saltem ex substantia patris tanquam ex materia, ad illum modum, quo res facta vocatur creatura, quamuis præcesserit materia.

Solutio.

¶ Ad hanc est duplex responsio. Vna quod prima pars auctoritatis vere loquitur de persona filij primogeniti ante omnem creaturam: sed secunda pars loquitur de sapientia creata, quam Deus indidit creaturis iuxta id Ecclesi. 1. Prior omnium creata est sapientia. Ipse creauit illam Spiritu sancto. Et effudit illam super omnia opera sua. Neque est inconueniens quod in vno contextu locutionis loquatur scriptura de sapientia genita, qui est filius: & de sapientia creata, quia sapientia creata est participatio sapientiæ increatæ. Secunda responsio est quod refertur creatio ad naturam creatam assumptam à filio, vt sit sensus. Ab initio, & ante secula creata sum, id est, præuisa sum creaturæ vniri. Has duas dat Thomas. 1. part. quæst. 41. artic. 3. ad. 4. Nicolaus Lyranus quamuis approbet hanc secundam expositionem tanquam bonam, & veram dicit tamen, quod non procedit secundum mentem auctoris libri Ecclesiastici. Et tam in. 1. ca. quam in. 24. exponit creationem dici de sapientia genita, qui est filius: ita quod creatio sumitur large pro emanatione æterna in quantum filius accipit esse à patre: non tamen quantum ad hoc quod creatio est de nihilo, & per eam accipitur diuersum esse. Ad id tamen, quod locutiones istæ, & similes non sunt extendendæ sed cauendæ.

cauendæ. Atq; in hanc expositionem facit alia, quam ibidē dat Thomas dicendo quod filius vocatur sapiētia genita & creata, vt modus nobis diuinæ generationis insinuetur. In generatione enim quod generatur accipit naturam generantis, quod est perfectio. In creatione vero creans non mutatur: sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo filius simul creatus: & genitus: vt ex creatione accipiatur immutabilitas patris: ex generatione vnitas naturæ in patre, & filio.

DISTINCTIO VI.

An Pater genuit filium voluntate, Aut necessitate? Si volens, vel nolens est Deus.



Pater non genuit filium voluntate: Ita quod voluntas sit principium elicitiuum: seu principium, quo, illius generationis. Ita Magister in litera citato Augustino. Quem sequuntur scholastici hac. d. Alex. 1. p. q. 42. mem. 5. art. 1. & Tho. 1. p. q. 41. ar. 2. Ratione probatur: quia in diuinis sunt duo principia productiua tantum, & duo tantum modi principiandi vt habetur supra. d. 2. propositione. 3. de Trinitate. Sed filius procedit per intellectum, ergo non per voluntatem. Probatur consequentia, quia in diuinis principium productiuum vnus rationis non potest habere duas productiones eiusdem rationis sed tantum vnicam, & adæquatam: Sed Spiritus sanctus producit per modum voluntatis, vt principij elicitiui, seu productiui: aut principij, quo, quod idē est, ergo filius non producit voluntate. Confirmatur, quia producere per voluntatem non est generare, neq; est opus naturæ: sed est spirare. ¶ Contra hanc arguitur, ex Paulo. Coloss. 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Sed dilectio est actus voluntatis, ergo Christus est filius per voluntatem. Ratione: si pater non genuit filium voluntate, ergo genuit illum nolens & sic coactus fuit ad generandum. ¶ Autoritatem Pauli exponit Augu. 15. de Trinit. refertur à Magistro præcedenti

Proposi. 1

Argumen.

Solutio.

Cedenti. d. quod nihil aliud intelligat nisi filij sui dilecti. Ad rationem dicit August. & habetur in litera quod huic argumento quidam catholicus respondit hæretico illud facienti petendo si Deus est Deus volens: aut nolens, quia si nolens erat coactus & miser. Si volens, ergo non esset Deus natura. Quam responsionem August. commendat quia fuit ad hominem. Sicut illa Christi Matth. 21. petentibus de sua potestate respōdit inquirens de baptismo Ioannis unde erat. Est hic modus utilis quando respōdens est discipulus nolens intelligere veritatem: Aut assistentes sunt simplices non potentes capere subtilitatem responsionis, si detur in propria forma: & vt loquuntur scholastici cathogoricè. Soluendo autem formaliter argumentum volens, & nolens non sunt contraria immediata, quoniam mediat non volens: Et ita pater generat filium neque volens, neque nolens: quia voluntas illic non est principium generandi: sed natura.

Propos. 2. Pater genuit filium necessitate immutabilitatis. Seu sic. Generatio filij est necessaria in diuinis necessitate immutabilitatis, quia, scilicet, nō potest nō generari. Probat. Primò ex Arist. 2. perihermenias. cap. 3. vbi dicitur. Quod impossibile est non esse, hoc necessarium est esse. Nam æquipollent, seu conuertuntur. Secūdo, ex Damasc. li. 1. orthodoxe fidei. ca. 8. Generatio quidem sine principio, & æterna naturæ opus est, & ex substantia eius profecta. Et Ricard. lib. 6. de Trinit. capit. 16. Generatio nihil aliud videtur esse quam productio existentis de existente secundum operationem naturæ. Item in litera filius dicitur natura filius: Sed opus naturæ cui hæc generatio assimilatur est necessaria, ergo & ista generatio. Probat. minor, quia agentia naturalia agunt ex necessitate naturæ. Bonum est exemplum Augusti. 6. de Trinita. capit. 1. quod sicut ignis producit candorem, id est, lucem: ita pater filium. Sed ignis non potest non producere lucem, ergo neque pater potest non producere filium. Confirmatur. Quod non potest impediri à contrario neque à superiori est summe necessarium: talis est generatio filij, ergo. &c.

Propos. 3. Generatio filij non est necessaria necessitate coactionis: seu necessitate indigentia. Est necessitas indigentia vt dicit Ricard. hac dist. quæst. 1. necessitas alicuius rei ad consecutionem finis

finis, sicut dicimus quod animali est necessarius cibus ad vitam. Hanc necessitatem vocat Thomas. 1. par. quæst. 41. artic. 2. ad. 5. necessitatem finis. Probat. quia Deus à nullo potest cogi, quia talis coactio non posset esse sine tristitia: quæ in Deum non cadit: neque Deus habet superiorem à quo possit cogi & violentari. Item ipse Deus neque ordinat, neque ordinatur in aliquem finem, quia illum non habet. Atque de ista necessitate intelligitur autoritas August. citata in litera. Neque voluntate neque necessitate pater genuit filium, vide Alex. citato loco. q. 42. mem. 5. arti. 1.

Hæc est vera & concedenda. Pater volens generat filium. *Propos. 4.* Ita conceditur à Magistro in litera. Et est dicere, quod pater in se est persona perfecta habens essentiam diuinam, quæ est bonus: sapiens: intelligens, volens. Et sic generat filium. Item ista est concedenda. Pater volens est Deus. Non voluntate præcedente: vel accedente vt dicitur in litera, voluntas præcedens est per quam placet opus antequam fiat: Accedens potest esse de qua prælocuti sumus in prima propositione quod est principium elicitiuum aut, quod, illius productionis. Quamuis & præcedens dici possit accedens.

D I S T I N C T I O V I I .

De potentia patris ad generandum: Et An talis potentia sit etiam in filio.

Potentia patris ad generandum est aliquid absolutū, *Propos. 1.* sumendo quidem potentiam pro principio quo pater generat. Videatur Scotus hac dist. litera. M. probatur, quia tale principium est intellectus diuinus cum essentia diuina sibi præsentis, quæ est memoria fecunda. Sanctus Bona. q. 1. huius. d. tenet quod potētia generandi de se dicit relationem: Ricardus. q. item. 1. dicit quod vtrumque dicit simul scilicet, quid, & ad aliquid. Sed formalius videt dicere ad aliquid. Declarat,

Declarat, quia illud quo pater potest generare est natura diuina cum modo habendi eam non ab alio, id est, natura diuina cum primitate. Et illa primitas seu modus habendi naturam diuinam videtur formaliter esse in ratione potentiae. S. Thomas. 1. p. q. 4. art. 5. tenet quod potentia generandi significat absolutum: & non relationem, quia paternitas non potest intelligi, ut quo pater generat: sed ut constituens personam generantis. Et illud absolutum est natura diuina ut dicit Magister in litera huius. d. in qua patri filius assimilatur. Et illam naturam significat in recto potentia generandi licet in obliquo significet relationem. Sicut dicendo essentiam patris essentia est communis tribus personis: notio paternitatis non est communis. Ita potentia generandi quantum ad naturam communis est tribus sed notio generationis actiuae ibi connotata est propria patris. Caietanus ibi ut effugiat argumenta Scoti & aliorum contra Thomam dicit quod licet apud S. Thom. natura diuina sit primum principium, quo, generationis non tamen sola: quia in praesenti non sumit Thomas naturam diuinam ut distinguitur contra intellectum, & voluntatem nisi forte secundum quid. Natura igitur diuina est, ut primum quo: intellectus ut proximum quo. Ricardus ubi supra, ad. 3. argu. in contra concedit quod Magister dicat potentiam generandi esse aliquid absolutum: sed quod non tantum absolutum, quia cum hoc dicit ad aliquid, & arguit hanc fuisse mentem Magistri, quoniam dixit. Si autem dicas patrem posse habere aliam proprietatem siue notionem qua genitor est, & filium aliam, qua genitus est verus est intellectus.

Propo. 2.

Illud absolutum importatum in potentia generandi, similiter est in filio sicut in patre, quia est vna essentia. Ratio autem quare filius non potest generare est posita. 2. d. de Trinit. propositio. 3. quia iam intellectus habet productum adaequatum. Sicut calor quo ignis calefecit lignum si idem numero poneretur in lapide approximato illi ligno: neque lapis calefactus prius ab igne calefaceret se eodem calore: neque calefaceret lignum per illum calorem quando quidem ignis illum calorem produxerat in ligno. A simili neque filius recipiens à patre eandem essentiam & intellectum, generat se: neque generat alium filium. Magister dicit quod eadem est potentia patris ad generandum, & filij ad generari.

nerari. Sicut eadem est voluntas qua pater vult esse pater non filius: & qua filius vult esse filius non pater. Ita quod sicut eadem essentia quae in patre est paternitas in filio est filiatio: ita eadem est potentia, qua pater generat: & qua filius generatur. Unde quicquid potest pater potest filius, neque tamen sequitur quod possit generare: sed mutatur quid in ad aliquid. Nam generatio significat relationem in diuinis. Habet ergo filius eandem potentiam quam pater sed cum alia relatione, quia pater habet eam ut dans: filius ut accipiens, & Alex. 1. p. q. 42. m. 3. ar. 2. dat simile argumentum. Quicquid vult pater, filius vult: filius vult ducere uxorem, ergo & pater vult ducere quia in vno dicitur quid, id est substantia voluntatis: in alio ad aliquid, pater autem vult quod filius ducat.

Propo. 3.

Posse generare, & posse creare non est idem posse. Ita Bona. hac. d. q. 3. Ricard. q. vlti. Probatur quia posse generare importat in patre respectum ad filium non sub ratione qua est genitus (quia talem qua est genitus importat, ly genitor) sed qua est generabilis: posse creare importat respectum rationis ad creabile: quia Dei ad creaturam non est nisi respectus rationis, ergo licet ista praedicatio recipiatur, potentia generandi est idem illud, quod absolute dicit in Deo potentia creandi, quia in diuinis absolutum praedicatur de relativo. Non tamen debet admitti, posse generare est posse creare propter diuersos respectus connotatos. S. Bon. dicit quod comparando ad id cuius sunt, licet essentia diuina & personae sint idem realiter, tamen in modo intelligendi, quia posse creare est naturae: posse generare personae, prior est secundum rationem potentia creandi quam generandi. Comparando tamen ad illud ad quod terminatur, quia potentia creandi ad temporale: generandi ad aeternum: prior est secundum rationem intelligendi potentia generandi, quam creandi. Probo tamen amplius conclusionem. Potentia patris ad generandum est intellectus cum diuina essentia, & ideo filius producit per modum naturae: sed creaturae producuntur per modum libertatis & ad extra, quia requiritur voluntas, quae feratur super creabile iuxta id psal. 134. omnia quaecumque voluit Dominus fecit, ergo non est idem posse generare, & posse creare. Quomodo non sint idem vide infra sequenti. d. de simplicitate Dei propositio. 4. Sed si creatio & generatio non sumantur pro actione Dei: sed pro ipsa emanatione rei genitae, &

F

creatae

creaturæ non est dubium quin differant realiter: Quam differentiam assignavit Damasc. lib. 1. capitu. 8. dicens. Generatio sine principio, & æterna, naturæ opus est. Creatio vero à Deo cum voluntatis opus sit non coæterna Deo est. Diuus Bona. non videtur sibi constare: nam semel dicit quod non est in illis differentia re: sed secundum rationem. Postea subdit quod posse generare & posse creare differunt differentia secundum rem, siue secundum essentiam. Nisi forte intelligat quod differunt sicut differt res quæ est essentia, à re quæ est persona, quando quidem dixerat quod posse generare est personæ: posse creare naturæ, idest essentiæ.

DISTINCTIO VIII.

De veritate: De incommutabilitate: De simplicitate diuina naturæ: seu essentiæ.

Proposi. 1. **I**N Deo est veritas: imo ipse est prima & summa veritas, vide Alexan. 1. par. quæst. 15. & Bona. & Ricar. hac. d. quæst. 1. Probat. Ecclesia. 24. in me omnis gratia vitæ & veritatis. Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Roma. 3. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Non quod actu omnis homo mentiatur: sed quia ex natura sua habet vnde possit mentiri, scilicet ex mutabili voluntate: in eodem sensu, videlicet, de natura intelligendum est quod Deus sit verax habens vnde non possit mentiri: quia est ipsamet veritas. Probat. ratione, verum est terminus intellectus existens in intellectu secundum quod conformatur rei intellectæ: sed hoc maxime inuenitur in Deo. Nam suum esse non solum est conforme suo intellectui sed est suum intelligere, & mensura, & causa omnium, ergo. Confir. Veritas, vt dicit Alexand. mem. 4. non est in rebus, vt dependens ab illis. Sed principaliter est in intellectu, secundario in rebus. Nam hæc differentia est inter appetitum, & intellectum, siue quamcumque cogni-
tio-

tionem, quia cognitio est secundum quod cognitum est in cognoscente: appetitus secundum quod appetens inclinatur in appetibile, & sic terminus appetitus qui est bonum est in re appetibili, deriuatur tamen ab appetibili in appetitum, vt dicatur appetitus bonus, quia est boni. Ratio veri ab intellectu ad rem intellectam deriuatur, quia veritas est secundum quod intellectus apprehendit rem vt est. In re est veritas secundum quod habet esse conformabile intellectui: sed sic est in Deo, qui apprehendit suum esse totum vt est. Et illud est conforme suo intellectui, ergo in Deo est veritas. Dicit vero Ricardus quæst. 2. in articul. 5. quod diuina essentia magis proprie dicitur summe idem suo intellectui, quam summe conformis. Modo intellectus est summus, & primus: essentia diuina primum & summum intelligibile, ergo prima & summa veritas. Estque ista proprietas solius Dei, quia veritas inuenitur in creatura sed generaliter prima, & summa in solo Deo.

Veritas prout existit in intellectu secundum propriam rationem est multiplex: quia in multis intellectibus creatis sunt multæ veritates, vnde glossa, super illud psal. 11. Diminutæ sunt veritates. Sicut ab vna facie hominis resultant plures similitudines in speculo: sic ab vna veritate diuina resultant plures veritates. Ex his potes inferre quod Deus neque per se possit mentiri vt est de fide contra Armenios: quia est summa veritas de qua Num. 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur neq; vt filius hominis vt mutetur, quoniã mendacium mutabilitatem arguit. Heb. 6. Abundantius volens Deus ostendere immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum vt per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum solatiũ habeamus. Imo neq; potest mentiri per aliũ, quia tũc posset mētiri per se, cum omne quod potest mediãte causã secunda efficienti possit se solo. Neq; essemus certi & securi de sacra scriptura, vel si vsus potestate absoluta per autores illius nos voluit decipere. Idcirco videtur erroneum dicere quod per aliũ possit mentiri. Fundamentum Armeniorum est, quia Deus dixit ad Cain quod nõ occideretur, & tamẽ ipse occidit seipsum. Sed in li. Gene. 4. neq; alibi inuenit quod Cain se occiderit. Et licet aliqui opinentur fuisse Can-

Proposi. 2.

Corol.

*Argumen.
Solutio.*

illum quem occidit Lamech, tamen neq; Deus dixit quod Cain non occideretur, sed quod qui occidisset Cain septuplum puniretur.

Proposi. 3. Veritas vt est in rebus est vna & prima, scilicet veritas diuini intellectus secundum quam omnes res denominantur vere, & illi assimulantur secundum suam entitatem. Alex. 1. p. q. 15. mem. 5. & 9. & Tho. 1. p. q. 16. arti. 6. Et sic nulla est in rebus formaliter veritas. Si enim nullus esset intellectus nulla res, nullus sensus posset dici verus nisi æquiocè. Vt si non esset sanitas animalis, neque dieta, neq; medicina posset dici sana, quia in ratione veri in rebus cadit veritas intellectus, sicut in ratione sani in dieta cadit sanitas animalis. Ricardus dicit quod veritas dupliciter est in essentia rei. Vno modo in quantum per eam res ostendit quam tū est ex parte sua, id quod est, etiam si nullus intellectus apprehenderet. Et sic veritas est ratio, per quam ens est obiectum intellectus, quamuis illa ratio non sit primo intellecta, sed ens sit primum intellectum. Alio modo in quantum per eam res est conformis intellectui ex sui natura immutabiliter vero & quam per se respicit. Vnde quia res naturales non respiciunt intellectum nostrum nisi per accidens non attenditur in eis veritas è sui conformitate ad intellectum nostrum. Quia etiam intellectus artificis creati non est immutabiliter verus è sui natura sed potest concipere falsum exemplar rei artificialis, ideo licet in conformitate rei artificialis ad intellectum artificis creati sit aliquando veritas non tamen simpliciter, quia non est veritas in tali conformitate, nisi in quantum exemplar artificis creati concordat exemplari quod res habet in intellectu diuino. Hec Ricardus. In creatura igitur non est summa & prima veritas quia eius essentia non est summè ens. Et creata veritas super essentiam non addit nisi prædictam conformitatem. Ita quod ipsa essentia & illa conformitas sunt de ratione veritatis.

Proposi. 4. Veritas diuini intellectus est immutabilis, veritas creati intellectus mutabilis. Alex. citata. q. 15. mem. 8. & Thom. 1. p. q. 16. arti. 8. probatur. Veritas de sui ratione dicit rationem intellectus ergo in eam non cadit mutabilitas, nisi quia cadit in intellectu, sed in diuino non cadit mutabilitas, sicut in creato qui de re eodem modo se habente potest diuersam opinionem accipere, vel eadem

eadem opinione manente potest res mutari. ¶ Contra hanc. Veritas & falsitas opponuntur, ergo habent fieri circa idem, sed in diuino intellectu est veritas, ergo in ipso potest esse falsitas. Et sic eius veritas est mutabilis. ¶ Concessa oppositione dubium est in quo genere sit oppositionis Thom. tenet. 1. par. quæst. 17. art. 4. quod contrariè. Alexan. 1. par. quæst. 16. M. 4. dicit, quod verum & falsum opponuntur sicut bonum & malum, quæ opponuntur priuatiue, quia malum non inuenitur nisi in natura bona, neque falsum nisi in vero: quia equus pictus non est falsus equus, nisi quia est pictura vera. Tragedus est falsus Priamus, quia est verus tragedus. Cum Alexand. tenet Ricard. distinguitq; ibi Alexan. M. 1. falsitatem, in falsitatem rei quæ est in rebus fictis: cognitionis, quæ est in anima psal. 37. Anima mea impleta est illusionibus. Enuntiationis, vel significationis, quæ est in voce. Dico ergo ad argumentum, quod siue contrariè siue priuatiue opponantur in Deo non est falsitas, imo ex eo, quod est summa veritas repugnat, plusquam soli tenebræ, aut igni frigiditas. Ideo neq; in diuino intellectu, neq; in rebus prout sunt ab eo est falsitas. Procedunt enim res à diuino intellectu sicut res artificiales ab intellectu artificis humani: sed res procedunt à Deo conformes ideæ quam in ipso habent; & sic non deficiunt ab exemplari neq; in ipsis est falsitas. In ordine ad intellectum nostrum est falsitas in rebus. Et carentia veritatis natæ conuenire ratione generis, speciei, vel indiuidui. Vt talpa est cæca ratione animalis: ista, homo est irrationalis natæ conuenire non sibi sed propositioni in se & sic in alijs rebus. Idolum est Deus falsus, quia ex quo nominatur Deus caret veritate conuenienti Deo.

*Argum.**Solutio.**Solutio.*

DE IMMUTABILITATE DEI.

Deus est immutabilis, Magister in litera Alex. 1. p. q. 4. M. 2. Probat. Malachie. 3. Ego Dominus & non mutor. Num. 23. Non est Deus vt filius hominis vt mutetur. Iacobi. 1. Apud quē non est transmutatio. Boetius. lib. 3. de cons. metro. 9.

*- Qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum coeliq; sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisq; manens das cuncta moueri.*

F 3

Non

Non mouetur loco, quia est ubiq; per immensitatem. Non tempore, quia æternus. Non secundum formam, quia est purus actus & simplex. Cum dicitur Sap. 7. omnibus mobilibus mobilior est sapientia ab Alex. citato, & à Bona. per causam, quia facit alia moueri, continet enim motum nõ formaliter sed causaliter. Addit Alex. quòd mobile capitur dupliciter, vt sensibile aptum ad sentire & sentiri, mobile ad mouere & moueri. Actiue competit Deo non passiuè. Mutabile, quia semper sonat aptitudinem ad patiendum negatur à Deo. Ricardus hac. d. art. 2. q. 1. & Tho. 1. p. q. 9. art. 1. exponunt per similitudinem, quia eius influenza velocissime descendit attingitq; creaturam. Sicut dicimus, quòd sol velocissime mouetur, quia cito lumen diffundit. Sic per metaphoram Deus appropinquat ad nos Iacobi. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, dando, scilicet, gratiam & liberando ab angustijs, qui sunt effectus in nos.

Propositi. 2.

Solus Deus est immutabilis. Magister in litera. Alex. vbi sup. M. 3. & probatur è psal. 101. refertur à Paulo. Hebr. 1. omnes vt vestimentum veterascent, mutabis eos & mutabuntur. Tu autem idem ipse es. Et. 1. Timoth. 6. solus Deus habet immortalitatem. In omni natura (vt ait August. contra Maximinum & refertur in litera) nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse, quod erat. Vnde & ipsa anima humana, quæ ideo dicitur immortalis, quia secundum modum suum nunquam definit viuere habet tamen quandam mortem suam, quia si iuste vivebat & peccat moritur iustitiæ, si peccatrix erat & iustificatur, moritur peccato. Rom. 8. Vanitati creatura subiecta est, id est, mutabilitati Grego. lib. 5. Moral. cap. 27. Sola natura incomprehensibilis à statu suo nescit moueri, quæ ab eo, quod semper idem est nescit immutari. Exponitur, solus Deus est immutabilis vt aliæ exclusiue, Deus est immutabilis: & nihil aliud à Deo est immutabile quæ æquiualeat affirmatiue de prædicato finito seu opposito, Omne aliud à Deo est mutabile. Scotus hac dist. q. 5. de hac secunda disputat cū philosophis. ¶ Si dicas, quòd de Deo dicuntur diuersa tempora quæ non possunt dici sine mutatione, vide literam Magistri & infra distinctione sequenti.

Argum.

D E

DE SIMPLICITATE DEI.

Deus est summe simplex. Magister in litera. Probat ex Augustino de Trinitat. 6. Deus etsi multiplex dicatur, verè tamen & summe simplex est. Et ex Hilario. 7. de Trinitat. Non ex compositis Deus qui vita est subsistit. Neq; qui virtus est ex infirmis continetur, neque qui lux est, ex obscuris coaptatur, nec qui spiritus est ex disparibus formalis est: totum quod in eo est vnū est. Vbi excluduntur quatuor genera compositionum, scilicet, quæ fieri posset ex duobus quorum ambo, vel aliquod essent vere composita naturaliter quæcumque sint illa, vel quæ sit ex principijs naturalibus rerum, quæ sunt materia & forma, & priuatio, quamuis priuatio melius dicatur principium transmutationis rerum naturalium, quam principium naturale. Materia de se est priuata, informis & infirma, ideo dicitur, ex infirmis. Tertia compositio potest fieri ex miscibilibus, quia in tali mixtione est quasi confusio qualitatum, & velut obscuritas quædam. Quarta in homine ex corpore & spiritu quæ sunt res valde dispare. Ratione probatur. Quod non est compositum ex alijs, neque componibile alijs, neque aliud componibile sibi est summe simplex, sed Deus est huiusmodi, quia omne compositum est posterius suis partibus componentibus & dependens ab eis, sed Deus à nullo dependet: ergo neque est compositus neque componibilis. Secundo sic, omne compositum habet causam adunantem illa diuersa, ex quibus componitur, quia conditio compositionis est, quòd composita distinguantur realiter, quia eiusdem ad seipsum non est compositio: sed Deus non habet causam sui, ergo non est compositus. Tertio, si esset compositus, vel ex partibus finitis, sed omnia finita non possunt facere in perfectione aliquod infinitum, & sic Deus non esset infinitus in perfectione, vel ex partibus infinitis, sed nullum est componibile ex partibus infinitis. Quarto, quia vna conditio compositorum est, quòd vnum sit actus, alterum potentia, sed quod est in potentia nondum vere & realiter est. Deus vere est summum ens, ergo nihil habet potentiale, propter quòd sit in ipso compositio. Vnde dicitur in litera. Solus Deus vere est, cuius essentiæ

Propositi. 1.

com-

comparatum nostrum esse non est. Videantur scholastici hac dist. Alexand. 1. p. quæst. 5. Thom. 1. p. q. 3. art. 2.

Proposi. 2.

Licet aliqua creatura dicatur simplex in comparatione ad aliam vt, verbi gratia, anima respectu corporis, tamen nulla est omnino simplex, quia vel est composita ex alijs: vel componibilis alijs: vel alia componibilis sibi. Patet discurrendo modos compositionis, vt materiæ & formæ: substantiæ cum substantia: subiecti cum accidentibus. Vide August. de Ciuit. Dei lib. 11. c. 10.

Corol.

¶ Atq; ex his patet quomodo Deus non est mutabilis: cum omnes creaturæ sint mutabiles etiam angeli, & beati, qui possunt mutari de loco ad locum, & sunt receptiui intellectuum, & uolitionū: gratiæ & charitatis, quæ sunt accidentia spiritualia secundum fidem. Item patet quomodo Deus non est materia prima: vt fuit error cuiusdam Dauid de Dinando. Neq; principium formale omnium rerum, vt fuit error Almarianorum: Neq; anima mundi vt posuerunt Platonici quos refert August. 10. de Ciuitate Dei cap. 29. & lib. 4. cap. 12. & lib. 7. cap. 23. Et recitat Tho. 1. p. quæst. 3. art. 8. Diuus Bernardus epistol. 190. imponit Petro Abailardo, quod dixerit Spiritum sanctum esse animam mundi. Sed cum omne totum sit maius sua parte Spiritus sanctus foret minor mundo & neq; infinitus neq; immensus, quia circumferberetur à mundo.

Proposi. 3.

Quicquid in Deo est, est ipsemet Deus, verbi gratia, est in Deo sapientia, & ipse est sua sapientia. Magister in litera, & citat in hoc plures sanctorum autoritates quarum vna est Isidori lib. 1. cap. 1. de summo bono. Ideo Deus dicitur simplex, siue non amittendo quod habet, seu quia non aliud est ipse, aliud quod in ipso est. Et aliàs Deus esset compositus, quod est negatum.

Proposi. 4.

Licet ita sit, quod omnia quæ sunt in Deo sint idem realiter cum sua essentia, tamen ex natura rei seclusa omni operatione intellectus est aliqua non identitas formalis inter personam diuinam & essentiam: & inter attributa diuina inter se, & cum essentia diuina. Hanc tenet Scotus hac. d. q. 4. & in. 2. d. huius. 1. q. 7. litera. Hh. Vocatq; non identitatem formalem vbi vnum de ratione sua formali non includit aliud, quamuis realiter sint idē, verbi gratia. Animalitas, & rationalitas quamuis sint idem realiter in homine, tamen ratio animalitatis non includit rationalitatem

tem neq; è conuerso. Hæc est contra multos, tenentes quod attributa & rationes eorum secundum intellectum creatum sunt plures propter plures respectus rationis ad intellectum, ita tenet Ricard. in hoc. 1. d. 2. arti. 1. q. 3. Probatur conclusi. de essentia & personis, quia essentia est communicabilis, persona incommunicabilis seclusa omni operatione intellectus siue creati siue increati. De personis concedit Durandus. d. 2. huius. 1. q. 2. quod aliquo modo ex natura rei est differentia inter relationem & essentiam, & d. 34. q. 2. clare dicit, qd licet sint idem identice, non sunt tamē idem formaliter. De attributis vero negat, quod differant, nisi ratione, quia nō est differentia, seu distinctio media inter distinctionē realē, & rationis. Tho. 1. p. q. 39. ar. 1. tenet, qd licet personæ diuinæ inter se realiter distinguantur, tamē personæ ab essentia nō differunt nisi ratione tantū. Sed probat Sco. de attributis ex Damasc. lib. 1. cap. 12. vbi vult quod inter omnia nomina de Deo dicta propriissimum sit, qui est, quia essentia dicit quoddam pelagus substantiæ infinitum & interminum. Et in. c. 4. dicit quod cetera, vt bonum, iustum non naturam eius, sed quæ circa naturam insinuāt. Istud non videtur nisi esset aliqua non identitas ex parte rei. Non enim est pelagus infinite substantiæ propterea quod multæ relationes rationis possunt causari circa ipsum. Ita enim possunt per actum intellectus causari circa quodlibet. Secundo probat per August. 8. de Trinit. c. 2. vbi probat, quod non sunt aliquid maius duæ personæ, quam vna, quia non aliquid verius, sed ista consequentia non valeret nisi inter magnitudinem, & veritatem esset aliqua non identitas ex parte rei seclusa operatione intellectus. Et nota quod Scotus in. d. 2. prius vocauit non identitatem formalem, qui terminus non sonabat ita dure, sicut distinctio: post modum hac. d. non fuit veritus vocare iam distinctionem formalem, quæ sit minor quam realis, & maior quā rationis.

Dicitur vero attributū quasi alij tributū sicut igni attribuimus calorem, niui candorem. Ab illis que denominatur ea quorum sunt attributa: in Deo sunt attributa conceptus prædicabiles de Deo, qui dicunt perfectionem simpliciter: & in creatura dicunt perfectionem accidentalem, vt bonus: sapiens, & similes conceptus qui non notant perfectionē primā in Deo, sed quasi accidentalem in bene esse vnde August. 15. de Trinit. c. 5. si dicimus sapiens,

G

speciosus,

speciosus, potens, spiritus. Horum quod nouissimum posui videtur significare substantiam; cetera vero huius substantiae qualitates. Videatur Scotus. hac. d. q. 4. litera. B. & quodlib. 5. litera. Q. & sic esse diuinum non est attributum, sed est illud cui attribuuntur: sed neq; intellectus, & voluntas sunt attributa vt dicit Scotus in hoc lib. 1. d. 26. litera. Dd. De histeractat alij. dd. in 2. dist. Alex. 1. p. q. 5 2. M. 4. ponit differentiam inter haec attributa dicta de Deo in concreto, & abstracto: quia in abstracto sonant diuersas quidditates quae non sunt in Deo: & ideo proprie loquendo sunt falsa, Deus est iustitia, est bonitas, tamen admittuntur, quia per improprias locutiones magis exprimitur veritas fidei, quia talia praedicata in abstracto explicant simplicitatem Dei: & sunt verae per identitatem in concreto, Deus est iustus, bonus, quodam modo videtur sonari compositio.

Propos. 5. Quando dicimus, quod creatura est ens per participationem aut quod participat esse diuinum: non sumitur ibi pars proprie pro eo, quod est aliquid rei. Sed extensiuè prout omne minus dicitur pars maioris. Ita Scotus hac. d. q. 2. ad secundum argumentum Thomae, verbi gratia, ens potest esse infinitum quodlibet ens limitatum dicitur participatum, aut per participationem. Sapientia finita dicitur participata: non quia est pars diuinae sapientiae sed quia est finita, cum sapientiae, aut enti per se sumptis non repugnet infinitas. Et hoc esse atq; hanc sapientiam creatura non habet à se, sed aliunde, scilicet, à Deo. Alexand. 1. p. q. 18. M. 7. dicit quod ens per participationem capitur tripliciter. Primo modo cum forma non comitatur totum esse: & sic formae separabiles sunt in subiectis participatione, vt albedo: Gratia, & charitas vie. Secundo modo, quia licet semper insint tamen multiplicantur, vt forma vniuersalis, verbi gratia. Humanitas multiplicatur in multis hominibus. Charitas patrie multiplicatur in multis beatis. Ideo dixit Porphyrius. cap. de specie, quod speciei communicatione complures homines sunt vnus homo. Tertio modo, quia habet esse incompletum respectu alterius completi, à quo dependet. Atq; vt vides hoc tertium conuenit huic quintae propositioni, quia creatura habet à Deo esse incompletum.

Propos. 6. Neq; Deus neq; aliquid dictum formaliter de Deo est in genere ita Magister in litera, ex August. dicente. 7. de Trinitate. intelligi.

ligamus Deum quantum possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, ergo bonitas, & magnitudo Dei non pertinent ad praedicamenta. Subditq; Magister illa praedicamenta artis dialecticae Dei naturae minime conuenire. Ratio ad hanc est, quia quae sunt sub genere conueniunt ratione generis, & differunt ratione differentiae, ergo est in eis aliqua compositio quae Deo repugnat. Cum dicitur Deus esse substantia, dicit August. citatus in litera, id dici abusiue. Sed proprie dicenda est essentia, S. Bonauent. q. literali. nu. 45. dicit, quod duplex est proprietas substantiae. Prima per se stare, & est perfectionis, ratione cuius digne dicitur de Deo. Alia est subesse, quod est imperfectionis neque competit Deo. Idem dicit Ricardus circa literam. Scotus tenens conclusionem dicit nihilominus. q. 3. huius. d. litera. F. quod est aliquis conceptus communis Deo & creaturis. Alexand. 1. p. quaest. 2. M. 3. art. 2. negat esse conceptum vniuocum Deo, & creaturis: sed per analogiam, vt bonum competit Deo per naturam: creaturae per participationem. Vide Thom. 1. p. q. 3. art. 5.

DISTINCTIO IX.

Si generatio filij est aeterna? Si semper generatur & est generatus? Incipit enim Magister personarum distinctionem.



Propos. 1. Generatio filij in diuinis est aeterna. Magister in litera contra Arrianos, dicentes filium patre minorem: & aliquo tempore non fuisse: esse vere creaturam. Probatur e Psal. 109. Ex vtero ante Luciferum genui te, gloss. ordin. id est, e secreta & occulta substantia mea genui te ante Luciferum, id est, ante tempora. Ioann. 1. In principio erat verbum. gloss. quasi in patre subsistit filius. Isaia. 43. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Ambrosius: & habetur in litera. Quis hoc dicit, pater an filius? Si filius ante me inquit non fuit aliud Deo: si pater, post me inquit non erit. Igitur neq; filius habet priorē, neq; pater posteriorē, & sic generatio filij est aeterna. Alioquin filius non esset Deo, quod constat esse hereticum. Isa. 6. dixit.

G 2 Deo.

Dominus prophete. Dices populo huic. Audite audientes & nolite intelligere, videte visionem & nolite cognoscere. Exceca cor populi huius: quia ille visus ab Isaia fuerit filius docet Ioan. 12. cap. referens, hæc dixit Isaia quando vidit gloriam eius, scilicet, Christi domini, & locutus est de eo, quod etiam fuerit Spiritus sanctus Act. vlt. dixit Paul. Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaia. Vade ad populum istum, & dic ad eos, aure audietis. Item Deut. 32. Dominus solus dux eius fuit & non erat cum eo Deus alienus, fuisse tamen cum illis personam filij testatur Paulus. 1. Corint. 10. Bibebant de spiritali consequenti eos petra: petra autem erat Christus.

Propos. 2. Ista est concedenda. Alius est pater, alius filius, alius Spiritus sanctus: Hæc vero neganda: Aliud est pater: aliud filius. Magister in litera. Ratio est, quia masculine ponitur alietas in persona: Neutraliter in natura.


Propos. 3. Ista duæ sunt concedendæ, filius est genitus à patre: filius semper generatur à patre. Magister in litera. Sequuntur scholastici hac. d. Alex. 1. p. q. 42. M. 5. art. 2. Tho. 1. p. quæst. 42. art. 2. ad vlt. vide & literam præcedentis dist. quod de Deo dicuntur diuersa tempora, non distinguuntur esse motus temporales, sed insinuantia essentiam, seu existentiam suæ diuinitatis, aut nunc suæ æternitatis coexistere nostris temporibus. Vnde de essentialibus & notionalibus loquimur per præsens, præteritum & futurum. Apocalypsis. 1. Qui est, & qui erat, & qui venturus est. Vide August. habetur in litera præcedentis dist. de Spiritu sancto, quæcumque audiet: dixit quod audiuit & audit. Dicitur ergo filius natus, nascitur, & nascetur; expressius tamen & melius iuxta Grego. citatum in litera significatur per verbum præteriti, quia significatur natiuitas, vt perfecta: sic dicitur psal. 2. Ego hodie genuite: Quamquam, vt dicit August. & habetur in litera, per hoc, quod dixit, hodie possit intelligi dies ille quo Christus secundum hominem natus est. Sed tunc dicit Bona. q. literalis numero. quod ly, genuite, debet intelligi causaliter, id est, feci te generari. Per verbum de futuro secundum Ricard. hac. d. q. vltim. exprimitur Isaia vltim. dicente persona patris. Si ego qui generationem cæteris tribuo sterilis ero? Qui alios parere facio ipse non pariam? quod idem est, ac generabo, vel sine generatione non ero. Exemplum est de lumine quod semper nascitur, & dum nascitur est, quod fit, vt aer sit

illu-

illuminatus: & illuminetur: & si ignis, aut sol esset æternus lumen ab æterno esset genitum: & semper generaretur.

D I S T I N C T I O X.

De processione Spiritus sancti. Ad hanc vide Alex. 1. p. q. 43. per totam.



Hoc vocabulum, Spiritus sanctus: vno modo dicitur à spiritualitate contra corporeitatem, & materialitatem & sic conuenit tribus personis Ioan. 4. Spiritus est Deus: Alio modo à spiratione. Et sic conuenit tantum tertie personæ. Ita etiam in creatura intellectuali à spiritualitate vocatur spiritus, substantia rationalis. Ecclesi. 3. Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? A spiratione, flatus, seu amor, vnde ibidem. Et quis nouit si spiritus iumentorum descendat deorsum? Id est, flatus, viuunt siquidem iumenta per respirationem, qua deficiente moriuntur. De conclusione videatur Alex. 1. p. q. 63. mem. 1. Bona. & Ricard. hac. d. q. vlti. Atque ex ista potest philosophari circa illa vocabula, seu terminos, qui possunt significare, seu supponere pro essentialibus, aut notionalibus: quoniam in quantum dicunt essentiam conueniunt tribus personis: in quantum notiones, conueniunt illi personæ, quam notificant. Põnit Magister in litera de sapientia, quæ conuenit tribus personis: & dicitur specialiter de filio, qui est sapientia genita: De charitate: quæ conuenit tribus. 1. Ioan. 4. Deus charitas est. Dicitur vero specialiter de Spiritu sancto, qui est amor procedens: Si pater, & filius diligunt se Spiritu sancto quod Magister tangit in litera videbitur infra. d. 32.

Quamuis processio Spiritus sancti sit per modum voluntatis, & libera vt habetur. d. 2. est tamen necessaria: Ita Scotus hac. d. Et sumitur liberum in proposito, prout distinguitur contra naturam, quoniam principiari naturaliter, & libere opponuntur. Prouenit autem necessitas in proposito à duobus, vt dicit Scotus hac. d. litera. N. scilicet ex infinitate voluntatis diuinæ: Et ex

G 3

infini-

*Propos. 1.**Propos. 2.*

in finita bonitate obiecti. Ita quod vnum sine altero non sufficeret. Voluntas igitur infinita non potest non esse recta, neque potest non esse in actu volendi, quia tunc esset in potentia quod est imperfectionis: essentia diuina, quæ est obiectum primum illius voluntatis est ex se volenda, igitur ad hoc vt illa voluntas sit recta debet semper amare obiectum infinite bonum: & ille amor procedens est Spiritus sanctus.

Propos. 3. Quauis Spiritus sanctus sit similis patri, & filio propter eandem essentiam, quia tamen non est similis ex vi productionis, sed talis similitudo ex vi productionis pertinet filio, qui est imago patris, idcirco similitudo appropriatur filio, vide Scotum hac. d. ad primum principale. Et infra. d. 27. de verbo.

DISTINCTIO XI.

Si Spiritus sanctus procedat à patre, & filio.

Propos. 1.



piritum sanctum procedere à patre & filio est de fide contra Græcos. Probatür ex Symbolo. Qui ex patre filioq; procedit: & quamuis Concilium Nicensium nihil definierit de processione Spiritus sancti à patre, & filio: nondum fuerat exortus error, quod Spiritus sanctus non procedebat à filio, & cõcilia contra exortos errores cõgregabantur, & definitiones edebant. Postquam vero à Nestorianis primo introductus fuit error quod Spiritus sanctus à patre procederet, & non à filio, additum fuit ad concilij Niceni Symbolum quod à filio sicut à patre procedat. Sic habetur ex Concilio Lugdunensi, de summa Trinit. & fide catho. in sexto lib. decreta. cui Concilio interfuere Græci cum imperatore suo Paleologo & ante hoc Concilium in Concilio Ephesino, in epistola missa à Cyrillo episcopo Alexandriae presidente Concilij pro Cælestino Papa ad Nestorium habetur assertio hæc Latinorum: Neq; possunt dicere Græci quod fuerit epistola ipsius Cyrilli, & non Concilij, quando quidem in principio epistolæ sic dicitur, Religioso & Deo amabili consacerdoti Nestorio Cyrillus & qui

cun-

eunque sunt apud Ephesi Synodum. Verba pro nostra conclusione ibi posita referuntur à Magistro in litera dicente, spiritus intelligitur per se secundum quod spiritus est, & non filius: sed tamē nō est alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatur, & profluit ex eo sicut ex Deo patre. Afferit Magister pro hac Didyma & Chrysostomū, & Athanasium dicentem in Symbolo. Spiritus sanctus à patre, & filio non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens. Addit vero tam Magister quam Scotus hac. d. quod in re conueniunt Græci cum Latinis: in verbis tantum est differentia. Quicquid verò sit de sapientibus, & antiquis Græcorum, certum est modo Græcos & Armenios in hoc errore esse. Contra quos est Paul. Gal. 2. Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra. Act. 16. Cum venissent Mysiam tentabant ire in Bythiniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.

Potentia spirandi in patre, & filio dicit absolutum, scilicet voluntatem diuinam cum essentia diuina. Recurre ad ea, quæ dicta sunt. d. 7. de potentia generandi. Ricardus hac. d. q. 4. respondet sicut ad potentiam generandi, quod dicit quid, & ad aliquid, formaliter tamen ad aliquid, quia dicit voluntatem diuinam cum modo habendi eam, scilicet non ab alio per spirationem.

Contra has arguitur, & præcipue contra primam autoritate Damasceni lib. 1. ca. 11. dicente. Spiritum vero sanctum, & ex patre, & Spiritum patris nominamus. Ex filio autem Spiritum sanctum non dicimus: sed spiritum filij nominamus, ergo non procedit à filio. Hoc est non procedit à voluntate, & essentia, vt est filij sed vt est tantum patris.

Ad hanc autoritatem respondent quidam negando Damascenum quoniam fuit Græcus, & tenuit hunc errorem, ita respondet Tho. 1. p. q. 36. artic. 2. ad. 3. quamuis quidam dicant quod Damascenus sicut non confitetur Spiritum sanctum esse à filio ita etiam ex vi illorum verborum non negat. Hoc idem, quod Tho. dixit Bona. hac. d. nu. 19. scilicet negando Damasce. Et addendo quod Damascenus caute loquitur, quia non dixit Spiritum sanctum non esse à filio: sed non dicimus, quia tunc Græci non confitebantur esse à filio: nec tamen negabant: sed postmodum sequentes addiderunt ad demeritiam, & negaue

Propos. 2.

Argumen.

Solu.

negauerunt. Caietanus vbi Tho. dicit quod non propter hoc est Damascenus dicendus hæreticus, quia illo fuit tempore quo nondum erat hoc ab ecclesia decisum. Sed quo tempore fuerit Damasc. vide in 4. dist. 46. quoniam vel fuit tempore Theodosij maioris: & sic præcessit Concilium Ephesinum celebratum sub Theodosio iuniori. Vel fuit post Beatum Gregorium, & sic fuit post Ephesinum Concilium & post Nestorianos. Tunc vero est quærenda solutio, quomodo excusetur Damascenus à sententia illius Concilij, vbi docetur quod ex filio profluat. Vel quia non fuit publicata & recepta: aut saltem non recepta vt definitio fidei tam aperta vt modo apud nos est. Quoniam damnare Damascenum neququam expedit, aut licet.

Propos. 3. Si per impossibile Spiritus sanctus non procederet à filio, dubium est si distingueretur à filio. Tho. 1. p. q. 36. artic. 2. in corpore art. & ad. 7. videtur tenere partem negatiuam. Cum eo est Durandus hac. d. q. 2. Potest fundari hæc opinio in eo quod in diuinis est vnitas vbi non obstat opposita relatio: sed si Spiritus sanctus non procederet à filio non esset opposita relatio inter filium & Spiritum sanctum, ergo non distinguerentur inter se. Scotus hac. d. q. 2. tenet partem affirmatiuam. Potestq; fundari in hoc: quod filius eo distinguatur à Spiritu sancto, per quod constituitur in esse filij: sed constituitur in esse filij per generationem passiuam, & non per spirationem actiuam, ergo sicut modo filius distinguitur realiter à Spiritu sancto: sic tunc realiter differret, & distingueretur. Ricardus hac. d. q. 2. vtriusq; opinionis rationes soluit. Addit vero quod opinio negatiua quibusdã videtur ratio nabilior, & fidei fauorabilior.

DISTINCTIO XII.

Qualiter Spiritus sanctus procedat à patre & filio.

Propos. 1.



Pater, & filius sunt vnum principium Spiritus sancti. Hæc est de fide definita in Concilio Lugdunensi habetur in sexto Decretal. de summa Trinit. & fide cathol. vbi dicitur. Fidelias deuota professione fatemur

temur quod Spiritus sanctus æternaliter ex patre & filio, non tamquam ex duobus principijs, sed tamquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit. Hanc conclusionem docent scholastici hac. d. aliqui. Alij præcedenti. Alex. 1. p. q. 70. mem. 3. arti. 3. & 4. Thom. 1. p. q. 36. art. 4. Quò fit vt neque prius, neque plenius: aut magis procedat à patre, quam à filio, vt est videre in litera Magistri. Dicitur vero ab Augustino procedere principaliter à patre: & ab Hieronymo procedere proprie à patre, vt refert Magister, sed exponit ipse Magister quod ideo dictum sit, quoniam pater habet à semetipso virtutem spirandi: filius autem habet illam virtutem spiratiuam à patre: & hæc fuisse mentem Augustini ostendit ex verbis ipsius Augustini. Dicit vero citatus Alex. quod quamuis sint vnum principium non tamen sunt idem principium propter diuersitatem suppositi: neque diuersum propter vnitatem essentia. Thomas dicit quod sunt idem principium.

Propos. 2. Spiritus sanctus procedit à patre per filium: seu sic. Spiritus sanctus procedit à patre mediante filio. Magister in litera citat Hilarium cuius verba sunt ad Deum patrem. Conserua hanc oro fidei meæ religionem: vt quod in regenerationis meæ Symbolo professus sum semper obtineam, te patrem, & filium tuum vnà tecum adorem, Spiritum sanctum tuum, qui ex te per vnigenitum tuum est, promerear. Sequuntur Scholastici hac. d. Alex. 1. p. q. 46. mem. 6. Thom. 1. p. q. 36. arti. 3. Docet eam Ricardus de sancto Victore lib. 5. de Trinit. cap. 8. & 9. dicens quod processio Spiritus sancti à patre est mediata & immediata. Mediata in quantum procedit à filio: qui filius procedit à patre: Immediata quia ab ipso patre spiratur. Potest poni exemplum ipsius Ricardi eodem lib. cap. 6. quanuis non sit multum quadrans. Seth processit immediate ab Adam: & mediate, in quantum exijt ab Eua, quæ fuerat producta è substantia Adæ.

Propos. 3. Pater & filius respectu Spiritus sancti dicuntur vnus spirator: & duo spirantes: sicut respectu creaturarum tres personæ dicuntur vnus creator, & tres creantes. Videatur Scotus hac. d. q. 1. litera. X. Ricardus. dist. præcedenti. q. 5. Thom. 1. p. q. 36. arti. 4. ad vlti. argumen. Ratio potest breuiter dari quod adiectiua participia denominant supposita, & ideo plurale multiplicat

H suppo

Argumen.

supposita quæ in diuinis constat esse tria. Verbalia in. or. deno-
 minant supposita respectu principij agendi. Idcirco vbi est vnū
 principium, quanuis sint plura supposita nō plurificatur nomē
 verbale in. or. Alex. vult quod sint duo spiratores sicut duo spi-
 rantes: quia duæ personæ, non tamen tres creatores. ¶ Contra
 has arguitur. Spiritus sanctus procedit à patre, & filio vt sunt plu-
 res, ergo non sunt vnum principium. Antecedens probatur ex
 August. 6. de Trinit. cap. 5. Spiritus sanctus est communis vnio
 patris & filij. Secundo ex Ricardo lib. 3. de Trinit. cap. 3. & 7.
 vbi vocat Spiritum sanctum mutuum amorem & dicit quod in
 mutuo amore oportet omnino vt sit, & qui amorem impendat,
 & qui amorem rependat. Ex quibus dicimus, quod Spiritus san-
 ctus est nexus patris, & filij: quod est amor reciprocus: ergo est
 ab illis vt à duobus. ¶ De antecedenti & probationibus non est
 parua quæstio, vtrum principium quod, spirationis debeant ne-
 cessario esse duæ personæ. Vt potest quæri de creatione, quæ
 quidem est à tribus personis: sed si per impossibile esset tantum
 vna persona in diuinis, nihilominus esset ab illa & sic de per se
 & necessario non est à tribus: sed quasi de per accidens. De quæ-
 stione sic intellecta est opinio. S. Tho. 1. p. q. 36. ar. 4. ad. 1. Et ita
 eum ibi Caieta interpretatur, quod est necessario ab illis vt à plu-
 ribus: neque solus pater: neque solus filius posset spirare Spiritū
 sanctum consubstantiali & personaliter distinctum. Alij tenēt
 oppositum. Et quod sicut principium quod spirant est vnum: sic
 principium quod non est necessarium quod sint plures. Idcir-
 co non procedit ab illis, vt à pluribus: ista videtur mens Bona. d.
 11. quæst. vlti. Scoti hac. d. q. 1. & præcipue ad primum principa-
 le. Ricardus. d. 11. q. 3. tangit quæstionē sed dicit quod quicquid
 sit de hoc illud tamen est certum quod formaliter procedit ab
 eis in quantum sunt vnum in potentia spiratiua, quam in quan-
 tum sunt plures in persona: Fatetur quidem Ricar. quod proce-
 dit ab illis vt plures sunt in persona: imo videtur esse cum Tho-
 ma, quod necessario procedit in quantum sunt plures. Ad illud
 de mutuo amore seu reciproco, nō sic debet intelligi quasi amor
 patris feratur in filium, & à filio reflectatur in patrem, à qua re-
 flexione sit Spiritus sanctus. Sed quia voluntas patris, & filij dili-
 gendo essentiam spirat Spiritum sanctum, & illam et volunta-
 te

Solutio.

te nati sunt mutuo se diligere pater, & filius vt actu primo, ideo
 dicitur amor mutuus: Et si hoc non sufficit ad intellectum Ricar-
 di exponat eum ait Scotus qui potuerit. Vel possumus dicere quod
 Spiritus sanctus procedit à patre & filio pro vt sua voluntate,
 quæ est vna amant diuinam essentiam: sed quia diuina essentia
 est eadem in ambobus dicitur amor mutuus, quoniam amando
 essentiam quilibet amat alterum, quanuis productio non fit ni-
 si amor essentiæ, vt essentia est, & non amor circa personas, vt
 personæ sunt. Dicitur vero nexus, quia est ab ipsis duobus, qui
 nectuntur in Spiritu sancto, tanquam in communi pro-
 ducto.

DISTINCTIO XIII.

*De processione Spiritus sancti comparata cum genera-
 tione filij.*



Spiritus sanctus non dicitur genitus sed procedens. *Proposi. 1.*
 Magister in litera citat August. 15. de Trinit. quia
 tunc diceretur filius amborum, scilicet patris & filij,
 quod est absurdissimum.

Filius bene dicitur, procedens. Magister in litera probat ex *Proposi. 2.*
 Ioan. 16. ex Deo processu, vel exiui & veni in mūdum. Et. 8. ego
 ex Deo processu & veni, neque enim à me ipso veni, eccle. 24.
 ego ex ore altissimi prodij.

Generatio filij, & processio Spiritus sancti differūt. Magister *Proposi. 3.*
 in litera, patet ex August. 5. de Trinit. c. 14. & refertur in litera
 etiam. Nam Spiritus sanctus procedit non quomodo natus sed
 quomodo datus, vel donū, vbi ly, datus, respectu processionis
 æternæ dicit aptitudinem, seu rationem donandi vt exponunt
 Bona. & Ricar. circa literam. Processit enim tanquam ratio do-
 nandi, seu aptus donari creature vt sequenti. d. Si petas quo distin-
 guatur. Respondet Scotus hac. d. lite. O. quod se ipsis formaliter. Ge-
 neratio seipsa formaliter est generatio: & spiratio etiā seipsa ita
 quod circūscripto per impossibile omni alio est impossibile quod
 generatio sit spiratio. Magister fatetur non posse explicari quid

H 2 inter-

inter sit inter nasci & procedere quia sicut generationē filij qui s enarrabit? Esaiæ. 53. ita processionem Spiritus sancti quis enarrabit?

Proposi. 4. Capiendo ingenitum prout dicit illud quod non generatur Spiritus sanctus, imo & essentia diuina dicuntur ingeniti. Capiēdo vero pro vt dicit illum, qui de alio non est propriè conuenit patri. Magister in litera. Per quam distinctionem concordat Augustinū dicentē Spiritū sanctū neq; genitū neq; ingenitū esse dicendum, & Hieronymum dicentem esse ingenitum. Sanctus Bona. quæst. literali num. 5. dicit quod Magister, non posuit totum intellectum Augustini, quia ad hoc quod ingenitum sit proprietas patris non sufficit quod prius est ab alio, aliàs conueniret essentia, sed consequenter debet dicere quod alius sit ab eo. De essentia vt est filij bene posset dici qd est à patre: pro vt est Spiritus sancti, quod est à patre & filio. Ricard. hac. dist. q. 4. ad vlti. dicit quod ista: pater est ingenitus: est affirmatiua non de prædicato priuatiuo, quia ibi priuatio non habet locum, sed de prædicato infinito. Quoniam vero Magister. ponit quandam diuisionē Hieronymi, videlicet. Omne quod est, aut ingenitum est, aut genitum, aut factum, & Arius contendebat filium genitum, esse factum Refert Alex. 1. p. q. 42. mem. 5. art. 3. & Bona. quæst. literali, atque Ricardus circa literam duodecim modos quos ponebat hæreticus disputans contra Victorinū quibus nitebatur probare omne genitum esse factum. Refert eos & Tho. 1. p. quæstio. 42. artic. 2.

D I S T I N C T I O X I I I I .

De temporalis processione Spiritus sancti.

Proposi. 1. **T**emporalis processio Spiritus sancti est qua à patre, & filio ad sanctificandam creaturam procedit. Magister in litera citato Augustino. ¶ Si contra dicas ergo vbi nō sanctificaretur creatura non daretur Spiritus sanctus, verbi gratia quando dantur gratia gratis data vt prophetia, quoniam tales gratia dantur & peccatoribus. ¶ *Solutio.* Respondeo

spondeo, quod non dantur ibi proprie sed impropiè, ita dicit Alexand. 1. p. quæst. 73. M. 4. art. 2. Nam vt dicitur, Sap. 7. Per nationes in animas sanctas se transfert, & amicos Dei & prophetas constituit. Idcirco nisi creatura sanctificetur fiendo ex non sancta sancta: aut ex sancta magis sancta non debet simpliciter concedi datus illi Spiritus sanctus. Sed cum determinatione, datus spiritus prophetia, datus Spiritus sanctus ad miracula: ita Ricard. hac dist. art. 2. quæst. 2. Bona. num. 40. in sequenti dist. Qui Bona. hac. d. in. q. literali dicit, quod Magister in præfata ratione non diffinit generaliter processionem temporalem. Sed specialiter prout est idem quod missio inuisibilis. Nam & sub specie columbæ missus fuit super Christum dominum, quem tamen tunc non sanctificauit, neq; etiam sanctificauit columbam: vel secundo dicit, quod potest sanctificatio sumi nō solum pro de nō sancto facere sanctum: aut iam sanctum in sanctitate confirmare, verum etiam pro sanctum iam & confirmatum manifestare. Et secundum aliquem istorum modorum inuenitur sanctificatio in processione temporali Spiritus sancti ratione termini ad quem. Alexand. citatus non admittit per quodcumq; augmentum gratia dari, aut mitti Spiritum sanctum vt est in proficientibus de virtute in virtutem: sed tunc quando est profectus, seu augmentum per collationem noui doni, vel effectus vt in sacramento confirmationis, vt in die pentecostes, vt quando superuenit in virginem ad conceptionem filij Dei.

Hæc processio importat super processionem æternam respectum ad creaturam, vt ad terminum ad quem, in qua est respectus realis quo incipit aliter se habere ad Spiritum sanctum: in Spiritu sancto est respectus rationis. *Proposi. 2.*

In hac processione non solum dantur dona Spiritus sancti, sed etiam ipse Spiritus sanctus. Magister in litera. Bona. & Ricard. hac. d. Alexand. 1. p. q. 73. M. 4. artic. 1. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. Probatur Rom. 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Simile dicitur de filio qui est sapientia patris Sap. 8. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Dari vero Spiritum sanctum creaturae intellectuali vere & propriè est facere, quod ipsa habeat facultatem ad fruendum eo. Dat simile Ricardus de pecunia diuitis in domo *Proposi. 3.*

pauperis, qui non habet ut rem suam, sed si det diues, ut habeat tãquam propriam utetur libere. Spiritus sanctus qui est ubiq; incipit esse per gratiam in creatura ut illo fruatur habendo quasi obiectum cognitum & amatum. Hęc est contra aliquos quos Magister refert dicentes, quod tantum dantur dona Spiritus sancti. Quos impugnat Durand. hac. d. q. 1. ¶ Ex his infertur, quod quãuis sint duę processiones, temporalis videlicet & æterna, non tamen realiter differunt, quia temporalis non ponit in Spiritu sancto nisi respectum rationis, si tantum darentur dona realiter differrent.]

Corol.

Propos. 4. Si processio temporalis Spiritus sancti, Donatio, & missio eius differant duplex opinio refertur à Ricardo hac. d. art. 1. quæst. 3. Vna dicit, quod non differunt realiter, sed ratione. Nam processio principaliter importat respectum ad terminum ad quem: Missio ad principium à quo. Donatio vero ad effectum. Alia opinio ponit maiorem differentiam dicens, quod processio temporalis de principali significato significat processionem seu emanationem æternam cum respectu rationis personæ diuinæ ad creaturam connotando nouum respectum realem in creatura ut dictum est. Donatio de principali significato non dicit emanationem, quia tota Trinitas donat seipsam. Sed dicit emanationem doni quod appropriatur personæ, in quo dono ipsamet persona vere datur recipienti donum. Missio dicit representationem personæ emanantis per aliquam rem appropriatam illi personæ. Et ita de principali significato missionis non est emanatio sed cointelligitur. Sicut nasus non est de principali significato similitudinis, quamuis intelligatur.

Propos. 5. Viri sancti, aut prælati, siue alij ministri sacramentorum non possunt dare Spiritum sanctum per modum autoritatis, quia hoc est proprium Dei, dant tamen illum ministerialiter. Magister in litera. Possunt etiam illum dare per modum impetrationis orando. Act. 8. orauerunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum. Vide Alexand. 1. p. quæst.

72. M. 4.

DIS-

DISTINCTIO XV.

De missione diuinarum personarum, & si Spiritus sanctus detur à seipso.



N diuinis est missio. Probat. Sap. 9. Mitte illam de coelis, id est, sapientiam qui est filius. Galat. 4. Misit Deus filium suum. Ioann. 6. Misit me uiuens pater. De Spiritu sancto. ibi. 14. Quem mittet pater in nomine meo. 15. Mittam vobis à patre Spiritum veritatis. Propos. 1.

Secundum vsum autorum. Mittere est essentialiter & competit tribus personis: Mitti dicit respectum ad creaturam connotando tamen respectum emanationis: ita quod missio est manifestatio personæ procedentis. Manifestare personam conuenit toti Trinitati. Vnde August. refertur in litera. Solus pater nunquam legitur missus. ¶ Sequitur ex hoc, quod missio est temporalis, quia licet de principali significet quid æternum & increatum, tamen de connotato significat temporale, & debet proprie iudicari secundum connotatum, ut ex necessario & contingenti sequitur contingens ita Alex. 1. p. q. 71. M. 4. Quem ad hanc diff. vide in illa. q. & q. 72. ¶ Sequitur etiam, quod filius misit & dedit se, similiter & Spiritus sanctus, & se, & etiam filium. Qui conceptus est de Spiritu sancto. Isai. 6. dixit filius. Spiritus domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me, quamuis ut dicit Ricar. hac diff. art. 3. q. 2. quia missio connotat emanationem personæ magis proprie dicitur filius missus à patre quam à Spiritu sancto. Dari & inhabitare, quia non connotat respectum emanationis conuenit Trinitati. Vnde August. ad Dardanum. Quælibet persona dat, & datur. Ioan. 14. dixit Christus. Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.

Filij duplex est missio, vna visibilis, qua mundo apparuit homo factus: Alia inuisibilis cum se in pijs animas sic transfert, ut ab eis percipiatur & cognoscatur, secundum primam semel tantum est missus, secundum alteram sæpe missus est, & mittitur quotidie. Magister in litera, ubi & dicit, quod secundum æternam gene-

Propos. 3.

generationem filius dicitur genitus nō missus, licet aliquibus videatur, quod etiam secundum illam possit dici missus. Addit quod secundum missionem inuisibilem non dicitur missus in mundum, quia omnium iustorum spiritus etiam in carne uentium, in quantum diuina sapiunt non sunt in mundo. Concludit que Magister, quod filius & Spiritus sanctus non sunt minores patre, ex eo quod illis conueniat mitti, & non patri.

DISTINCTIO XVI.

De uisibili missione Spiritus sancti.

Proposi. 1.



Missio uisibilis passiva est cum signo sensibili cognosci personam procedere. Alexand. 1. p. quæst. 74. M. ubi & dicit quod non omnis apparitio est missio uisibilis, quia missio addit super apparitionem personæ manifestationem, ut emanantis ab alio, & inhabitantis in alio. Apparitio est manifestatio diuinæ essentiæ, uel personæ in aliqua specie uisibili. Unde missio uisibilis non dicitur de patre.

Proposi. 2.

Spiritus sanctus fuit sæpe missus uisibiliter. Matth. 3. in columbæ specie Ioann. 20. in flatu super Apostolos. In die Pentecostes. Act. 2.

Proposi. 3.

Species uisibiles in quibus Spiritus sanctus uisus est licet uerè fuerint res corporales, dubium tamen est si fuit uera columba & uerus ignis. Bona. hac. d. num. 25. dicit, quod non. Sequuntur Ricard. quæst. 5. & Durand. quæst. 3. Quia Matth. 3. dicitur. Vidi spiritum descendantem tanquam columbam. Act. 2. Dispertitæ linguæ tanquam ignis, igitur non fuere ueri sed similes. Nam fuere similes flammæ Rubi, quæ apparuit Moyse, & columnæ nubis ut dicit Augustinus. 2. de Trinitat. cap. 6. & quamuis esse potuissent ueri subito apparentes, & disparentes, magis decuit fieri per similitudines sicut apparitiones angelorum in corporibus quasi humanis, ut pateret miraculum. Neque ibi fuit illusio aut mendacium, quia non fuerunt ad ostendendum rerum apparentium ueritatem, sed ad designandum mysterium aliquod, ideo

peracto signi officio esse deserunt. Flatus uero Christi uidetur, quod fuerit uerus flatus, uox patris non fuit uera uox.

Ille species formatæ sunt angelico ministerio. Alexand. 1. p. q. 74. M. 4. Bona. hac. d. nu. 6. Ricard. q. 4. contra aliquos qui dixerunt apparitiones ueteris testamenti factas ministerio angelorum: sed in nouo immediate à Deo. Afferunt August. 4. de Tri. cap. vlti. dicentem. Post incarnationem si quæritur quomodo facta sit uox patris, uel species quia Spiritus sanctus demonstratus est: per creaturam facta ista non dubito, & paulò post. Quomodo tamen sine rationali uel intellectuali creatura potuerunt fieri non uideo. Gregorius. 28. Moral. cap. 2. dicit illam uocem patris Ioan. 12. Clarificaui, & cætera formatam per angelos. De ueteri testamento. Paulus Galat. 3. lex ordinata est per angelos. Hebr. 2. Qui per angelos dictus est sermo uideatur Alexand. 2. p. q. 34. M. 7. ubi & annotat, quod ante diluuium legitur dominus apparuisse non facta mentione de angelo: post diluuium ante incarnationem non legitur apparuisse in se, sed in angelo ad denotandum, quod postquam caro corruperat uiam suam magis erat elongatus ab homine quam ante: uel ad denotandum quod appropinquabat apparitio filij Dei in carne qui est angelus magni consilij. Non tamen per hoc intelligas quod aliquando apparuit in sua essentia. Sed in speciebus formatis per angelos.

In his apparitionibus Spiritus sanctus non uenit sibi illas creaturas in uinitatem suppositi. Ideo non conceditur minor patre, sicut filius qui & conceditur minor Spiritu sancto: imo & seipso in quantum homo ut est Deus. Magister in litera & Alexand. 1. p. q. 74. M. 4. ad. 3. argum. Ratio est, quia ex uinitate suppositi fit communicatio idiomatum.

In ueteri testamento facta fuit missio inuisibilis Spiritus sancti alioquin non fuisset tunc collata gratia. Missio tamen uisibilis nunquam fuit. Probatu Ioan. 7. Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Bene habuerunt apparitiones ad designanda alia mysteria. Nō tamen ad designandam inhabitationem per gratiam.

Missio uisibilis fit propter ecclesiam: sicut inuisibilis fit homini propter seipsum. 1. Cor. 12. Manifestatio spiritus dat unicuique ad utilitatē, scilicet, ecclesiæ. Proportionaturque fini ad quē est,

I vt

vt colūba quæ foecunda est, & dabatur in redēptionū primogenitorum. Leu. 12. signabat redēptionē, & regenerationem per Christum. Dicit vero Scotus. hac. d. quod illa apparitio visibilis non distrahebat animam, quia intellectus & sensus occupati circa idem obiectum se inuicem confortant. Dat Scotus exemplū de præsentia imaginis crucifixi cum volumus eius passionem recolare. Vide & Bona. nu. 16.

Proposi. 8.

Ad manifestandam inhabitationem filij non est facta Missio per species formatas. Rationē dat Bona. nu. 19. Quoniam ad Missionem in carnem non fuit necessaria, quia ipsa persona filij inhabitabat humanitatem: & se per sua opera manifestabat. Missio filij inuisibilis non fit proprie sine sanctificatione: quamuis dentur dona appropriata filio vt supra. d. 14. p. 1. de Spiritu sancti donis: sed habita sanctificatione appropriata Spiritui sancto & manifestata, manifestatur inhabitatio filij, quia Missio inuisibilis vtriusq; non est distincta. Hoc patet, nam de filio dicitur Ioan. 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem. Sed hæc illuminatio filio appropriata dicitur etiam fieri per Spiritum sanctum 1. Corinth. 12. vbi sermo sapientiæ & scientiæ dicitur haberi per Spiritum sanctum. Et Ioan. 16. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Neq; tamen est intelligendum quod mittatur filius ad cognoscendum ea, quæ naturali ratione aut lumine cognoscimus, vel ad augmentum scientiæ habitum per acquisitionem: sed tunc mittitur quando est cognitio infusa de necessarijs & vtilibus ad salutem, quia tunc habetur effectus supernaturalis appropriatus filio.

DISTINCTIO XVII.

De missione inuisibili Spiritus sancti: Et de augmento charitatis.

Proposi. 1.



Charitas quæ nos diligimus Deū est habitus infusus animæ à Deo, & nō est ipsemet Spiritus sanctus. Hęc est cōmunis contra Magistrū, & prima de qua illi notauit vniuersitas Parisiensis. Atq; est iam de fide, quod

quod non sit Spiritus sanctus. Quamuis enim in Clementina de summa Trinit. §. Ad hoc baptisma. vnicum Viennense Concil. solum eligat tanquam probabiliorem opinionē & dictis sanctorum magis consonā illam quæ dicebat conferri in baptismo gratiam informantē & virtutes quo ad habitū, Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. de iustificatione definit in ipsa iustificatione cū remissione peccatorū q̄ hæc simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, sp̄ & charitatē. Et cano. 11. Si quis dixerit hominē iustificari vel sola imputatione iustitię Christi, vel sola peccatorū remissione exclusa gratia & charitate quæ in cordibus illorū per Spiritū sanctum diffundatur, atq; illis inhæreat anathema sit. Et cum inhærerere sit accidentiū, videtur definisse, q̄ charitas est accidens, & similiter gratia: scio nō nullos dubitare si conciliū voluerit definire tāquā de fide, q̄ gratia sit qualitas, p̄ducta per modū habitus distincta ab anima: aut solū cōtra Lutheranos q̄ nō iustificamur sola imputatione iustitię Christi. At vero cū conciliū dicat ipsas inhærerere & infundi: & conc. Viennense approbet opinionē q̄ gratia informantis & virtutes quo ad habitū cōferunt nō videtur sine scrupulo & periculo negare eas esse qualitates & habitus si sunt distincta. De quo in. 2. d. 26. p. 5. sed de charitatē quæ ab omnibus ponitur virtus Theologica magis apparet, quia virtutes sunt habitus. Atq; hinc arbitror sapere fidē q̄ charitas est habitus: & cōtradiatoriā sapere heresin ad minus. Ex his patet Paulū Roman. 5. dicentē, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, loqui de isto habitu infuso. Ratione arguit Scotus hac. d. q. 1. litera. Dd. quia cū in Deo non sit mutatio & peccator sit indignus vita æterna, & post poenitentia dignus, ergo per aliquod positium factus est dignus. Tum etiam, quia peccator est iniustus & iniustitia formaliter est priuatio, ergo vt fiat iustus debet in illo poni habitus: quia priuare priuationem est ponere habitum. Sunt enim immediate opposita circa aptum natū. 10. Metaph. Ponitur autē hic & alibi caritas sine aspiratione, quia ita scribenda videtur aliquibus studiosis, ijsq; doctissimis.

Charitas est diligenda ex charitate. Bona. hac. d. nu. 20. Ricar. Proposi. 2. art. 1. q. 2. Thomas. 2. 2. q. 25. ar. 2. Probāt ex Augustino refertur in litera. Nemo dicat nō noui quid diligā, diligat fratrem, & diligat eandē dilectionē. Magis enim nouit dilectionē qua diligit, quā

fratrem quem diligit. Quæ autoritas quauis loquatur de actu charitatis, tamen & ipse habitus est etiã diligendus. Quia non solum Deus & proximus est diligendus sed etiã est diligenda charitas seu principium quo diliguntur. Neq; diligitur vt obiectum cui velimus bñũ, sed diligitur vt bonũ, quod amamus alicui. Atque hæc est excellentiã intellectus & voluntatis, quod reflectuntur super se & super suos actus, quod non faciunt potentia organica. Excedit etiã charitas fidem, & spem in hoc: quia cũ spes sit de non habito: fides de non apparenti, sunt de absentibus propterea non possunt reflecti super suos actus, quos homo habens scit esse præsentis, vide si vis Scotum in. 3. d. 26. litera. K.

Propos. 3.

Nemo nisi per diuinam reuelationem potest certitudinaliter cognoscere se habere hunc habitum charitatis. Ita docent Alex. 3. p. q. 71. M. 3. art. 1. Bonauent. hac. d. num. 25. Ricard. att. 1. q. 5. Thom. 1. 2. q. 112. art. 5. Atq; hæc est de fide, contra Lutherum. Sed oportet scire quid sit certitudo in presenti. Et dico, quod est firma adhæsiõ sine dubitatione qua intellectus assentit alicui veritati. Et hæc est triplex vna euidentiã quæ habetur de per se notis, aut de illis quæ ex per se notis demonstrantur: vel quæ habetur de notis per experientiam. Altera est certitudo fidei catholica, quæ est cognitio certa & firma de reuelatis à Deo. Alia est fidei humanæ, idest, coniecturalis & habetur per signa sed fallibilia. Non de hac tertia sed de primis duabus loquitur conclusio. Quæ probatur Ecclesi. 9. Nescit homo vtrum odio vel amore dignus sit Iob. 9. Si venerit ad me non videbo eum si abierit non intelligam. Vnde Innocentius tertius, de purgat. cano. cap. vltimo dicit, quod iurans se esse immunem à criminibus quasi per penitentiam dimisisse temerarie iurat. Cum dixerit Iob. 9. Si simplex fuero hoc ipsum ignorat anima mea. Sed si sciretur certitudine fidei catholice, aut euidentiã non iuraretur temerarie. Accessit & concilium Triden. Sess. 6. de iustificatione cap. 9. dicens. Quilibet dum seipsum suamq; propriam infirmitatem & indispõsitionem respicit de sua gratia formidare & timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum se gratiam Dei esse consecutum. Sunt etiã scripturæ testimonia, vt Psalm. 18. Delicta quis intelligit. Ab occultis meis munda me, ergo non habebat certitudinem de sua

sua gratia. Prouer. 20. Quis potest dicere mundũ est cor meũ purus sum à peccato? & 28. Beatus homo qui semper est pavidus. Ecclesi. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. Ratione. Habere charitatem est contingens pendens ex diuina voluntate, atque ex operibus nostris: Sed diuina voluntas nõ constat nobis absque reuelatione, neq; de operibus nostris esse possumus certi an habuerint omnes circumstantias requisitas & necessarias, ergo non possumus esse certi de isto habitu charitatis quãdo nobis inest. Vide pro hac conclusione & ad probationem, huius minoris in præsentis argumento infra in. 4. d. 16. propositione. 3. de contritione. Scotus hac. d. q. 1. litera. FF. manifeste docet hanc fidei veritatem dum ait, quod ex nullo actu quem experimur in nobis potest concludi habitus supernaturalis in esse, & deducit pro inconuenienti, quia alias posset habens charitatem cognoscere certitudinaliter se esse in charitate. Et in. 3. dist. 27. litera. H. deducit idem pro inconuenienti. In. 4. d. 5. q. 1. litera. A. argumẽ. 2. dicit quod quasi nullus potest esse certus de bonitate propria. Et dist. 9. litera. B. clare dicit quod facta examinatione ad communicandum qui non est sibi conscius de mortali securus communicat, alias quilibet se exponeret periculo communicando, quia dicit psal. Delicta quis intelligit, & ecclesi. 9. Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit. Hæc Scotus. Vnde de falso illi fuit imposita contraria sententiã. Neque propterea quod in. 3. dist. 24. litera. B. arguendo contra Henricum dixit: charitas potest ostendi & actu interiori quo inuenit se homo promptum ad diligendum Deum, & exteriori quo feruet in actibus extrinsecis pro aliquo dilecto: debet haberi vt assertor contrarię sententię, quæ vt est dictum est hæretica, & Lutheri atq; sequacium. Nam dubium est an illa argumenta sint Scoti, vel aliorum contra Henricum, quia ante illa dixerat. Alij arguunt cõtra eũ. Secundo, quoniam ad ea quæ ibi, aut aliàs dixerit in hoc tendentiã, satis respondetur intelligendo illa de certitudine coniecturę, vnde ibidem contra eundem Henricum de habente fidem arguit, quod habentem fidem nõ latet se habere fidem aliquam. Nota aliquam. Et quando supra citato loco dixit quasi nullus est certus de bonitate propria, dixit quasi nullus propter eos, qui ex reuelatione fuerunt certi facti de sua gratia. Ad hanc vide in

Argum.

fra. d. 41. par. 9. auctoritatem Pauli & Gregorij. Et si cōtra arguas ex August. citato ad præcedentem. Magis nouit dilectionem, quam fratrem. Exponitur à Ricardo: & à Bona. supra citatis quod verum est de charitate in quantum est dilectio, scilicet in generali: Non tamen ut est dilectio charitatiua, & gratuita. De qua loquimur in proposito. Vel potest intelligi de actu ipso dilectionis quem actum quisque videt, & in se experitur. Aliam quaestionem mouet Bona. & Ricar. in proposito, scilicet si possit charitas cognosci à non habente charitatem. Cui breuiter dico, quod ipsa est cognoscibilis à Christianis peccatoribus, quemadmodum sunt ab illis cognoscibiles aliæ veritates Theologicae, atque de fide. Ab infidelibus autem ipsa non est cognoscibilis.

DE AVGMENTO CHARITATIS.

Propos. 1.

Habitudo charitatis potest augeri. Sic docēt scholastici hac. d. præcipue Bona. Scotus & Ricar. Thom. 2. 2. quaest. 24. artic. 4. & 1. 2. quaest. 52. arti. 1. docet idem de omnibus habitibus. Probatur ex Paulo. Philip. 1. Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet. Ephes. 4. Veritatem autem faciētes in charitate crescimus in illo, & 2. Petri capit. 3. Crescite in gratia & cognitione Domini nostri, & saluatoris Iesu Christi. Augustinus ad Bonifacium. Charitas meretur augeri ut aucta mereatur perfici. Est autem aduertendum quod augmentum sequitur quantitatem: quantitas autem dicitur dupliciter proprie: & metaphoricè. Proprie, est quantitas molis, metaphoricè quantitas virtutis: De qua August. 6. de Trinit. capi. 8. his quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse quod melius esse. Sic & augmentum dicitur proprie, & metaphoricè.

Propos. 2.

Charitas non augetur per depurationem, seu per impermixtionem cum contrario, scilicet cum concupiscentia. Ita docet Bona. hac. dist. num. 40. contra aliquos, qui moti sunt ad id dicendum propter sententiā August. 83. quaest. dicentis, quod sicut minuitur concupiscentia, crescit charitas, probatur, quia in Angelis est maior & minor charitas, in quibus tamen nulla est concupiscentia. Ad eandem sunt Scotus hac. dist. quaest. 5. Paulo ante lite-

te literam. XX. Ricar. artic. 2. quaest. 2. Ad August. respondet Bona. quod intelligit de intensione per feruorem: quoniam remissa concupiscentia magis feruet charitas, non tamen quantum ad substantiam.

In augmento charitatis, charitas præcedens seu præexistens omnino manet, neque aliquid eius corrumpitur. Hanc tenet Scotus hac. d. q. 3. Gabriel eadem. d. q. 5. Est contra Godofredū ab eis citatum quodlib. 7. q. 7. Probatur ab eis multipliciter. Sed facio tantum hanc rationem, quia dato opposito, idem esset causa corruptionis & generationis qualitatum eiusdem rationis, nā generans posteriorem charitatem corrumpere priorem, quæ tamen sunt eiusdem rationis.

Ex hac infertur quod generatio vnius tunc est corruptio alterius: quando fit generatio cum abiectioe contrarij, aut repugnantis. Durandus hac. dist. quaest. 7. tenens cum Godofredo, dicit quod forma remissa & intensa, quæ intenditur per alterationem (quæ alteratio est verus motus continuus) quanuis sit vna forma numero, est quidem vna vnitatis continuitatis, quia terminus motus acquiritur successiue, non tamen est vna vnitatis indiuisibilitatis, quia indiuisibile non potest acquiri successiue sed acquiritur totum simul. Et dicit quod sicut partes motus non sunt simul duratione, sed vna superueniente alia definit esse: ita in partibus formæ, quæ intenditur, vna abijcit aliam ab eodem subiecto. Dicit ergo de charitate quod si Deus augmentet eam per verum motum continuum, sicut potest si vult, idem est tunc dicendum, sicut de qualitatibus corporalibus. Si autem augmentet eam per subitam influentiam, sicut probabile est dicere, Charitas remissa & intensa sunt omnino numero distinctæ. Cuius ratio est quia sola continuitas motus est ratio vnitatis partium formæ acquisite per motum. Cum ergo tollitur motus, tollitur ratio vnitatis, & continuitatis partium formæ. Et concedit quod sicut in motu quolibet, vniuersaliter in quolibet continuo sunt infinitæ partes in potentia: sic in forma quæ per motum acquiritur sunt infinitæ formæ partiales, quæ in sua continuitate confluunt vnam totalem.

De modo

Proposi. 4.

De modo quo augetur charitas duæ versantur opiniones celebres: & probabiles. Vna quod charitas non augetur per additionem alterius charitatis: sed per hoc quod subiectum magis ac magis participat ipsam charitatem, id est, secundum quod magis reducitur in actum illius ac magis subditur illi, eo quod esse formæ intensibilis totaliter consistit in eo, quod inhæret susceptibili: quia secundum philosophum. 7. Metaph. text. comm. 27 qualitas proprie non generatur, sed quale, & ideo charitas nō augetur sed char⁹ fit magis charus: fit autē magis charus per hoc quod forma, qua fit char⁹ perfectius inest ei, quia quāto forma & subiectum magis accedunt ad vnitatē, tāto subiectum perfectius operatur per illam, ideo quanto charitas perfectius inest animæ tanto anima potest in perfectiorem dilectionem, & per consequens est magis chara, & sic augetur per maiorē radicationem in subiecto. Hanc tenet Thom. 1. 2. quæst. 72. arti. 1. & 2. & 2. 2. q. 24. art. 5.

Alia opinio tenet quod augetur per additionem alterius charitatis. Hoc est per additionē gradus ad gradum. Hanc tenet sanctus Bona. 2. parte huius. d. quæst. 2. Ricard. hac. d. arti. 2. q. 2. Sco. hac. d. q. 3. litera. XX. & in reportatis. quæst. 6. Concedit que ista opinio hæc per ordinem.

Primo, quod charitas intensa, & remissa sunt eiusdem speciei. Ita quod solo numero differunt.

Secundo quod realitas intensæ includit in se realitatem remissæ, & aliam additam.

Tertio quod charitas est forma simplex, & nihilominus augmentabilis quia non habet quantitatem molis, sed virtutis: & sicut quātitate molis aliquid potest augeri, ita quātitate virtutis. Neq; est simile de pūcto, quoniā vt ait Bona. pūctū est simplicissimum in quantitate molis: & ideo non potest augeri. Charitas autem creata licet sit simplex non est tamen simplicissima: ideo potest augeri. Ricardus vero dicit quod licet secundum philosoph. 3. Metaph. indiuisibile additum indiuisibili non faciāt maius, tamen facit plus: & sic charitas aucta fit plus in essentia, & consequenter melius iuxta citatum August. in. 1. propositione.

Quarto quod in infusione gratiæ est duplex mutatio: vna à non esse gratiæ, vel charitatis, ad esse illius: & hæc est proprie creatio. Alia à subiecto non charo, ad esse charū (quamuis vtraq;

obten. 1. 2.

fit

fit simul tempore) & hæc secunda non est creatio, quia præsupponit susceptiuum: ideo secundum quid potest dici generatio.

Quinto ista opinio negat hanc consequentiā. Subiectum exit de potentia ad actum, ergo forma educitur de potētia ad actum: Quoniam semper subiectum exit vniformiter de potentia subiectiua ad actum, siue forma educatur naturaliter, siue infundatur, non tamen ipsa forma exit: & in hac opinione subiectum est terminus primus mutationis, siue augmentationis: forma terminus proximus, & formalis.

Sexto quod vnibilitas caritatis præexistentis, & additæ, est sicut duarum partium omogenearum: vt duæ aquæ ad inuicem diuisæ differunt, & fiunt vnum. Do simile: albedines duarum hostiarum consecratarum, quia possunt à Deo sine subiecto conseruari possent sine subiecto creari: sunt itaque duo indiuidua, poterunt ergo vniri, & vna intendi ab alia per additionem. Hæc de præfatis opinionibus.

Probabilius existimo quod habitus caritatis augetur in anima per quemlibet actum à caritate procedentem nempe actum meritorium. Hanc tenet Gabriel hac. dist. quæst. 4. artic. 3. dubio. 2. ita quod per talem actum meretur homo quod Deus illi de facto augeat caritatem: & licet addita sit minor præexistenti, tamen cum ipsa fit totum maius. Probat, quia cuiusque actui meritorio etiam remisso debetur gloria, ergo & caritas. Antecedens patet Matth. 10. Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam. Sed non dixit quod dā dus esset actu intenso: sed quocunque. De hoc antecedenti nulla credo est controuersia: sed tantum de conclusione. Ricardus hac. dist. artic. 2. quæst. 3. & Thom. 2. 2. quæst. 24. artic. 6. licet teneāt quod per quemlibet actum meretur homo, tenent tamen quod caritas non augetur nisi per actum ita intensum & perfectum, quod voluntas per caritatem habitam non potest elicere intensiorem, & perfectiorem: & si talem eliciat augetur à Deo, ita Ricard. addens, quod cum voluntas tot actus remissos elicuerit, quod omnes simul æquiualeant vni, quem habere posset ex toto conatu caritas augebitur à Deo. Ad idem est Thomas cōcedens quolibet actu mereri & gloriam & augmentum caritatis, sed non

Proposi. 5.

K

protinus

protinus daturum, sed quando habilitate crescente prorumpet in actum feruentiorem, quousque conatus fuerit ad caritatis profectum. Scotus in. 4. dist. 22. dicit caritatem in fine vite dandam: frater Franciscus de Victoria Magister doctissimus in Salmanticensi academia ex ordine prædicatorum relectionem fecit de augmento caritatis super hanc propositionem, in qua concedit quolibet actu augeri gratiam sed non caritatem. Vide in. 2. dist. 26. si gratia, & caritas differant. vide & in. 4. dist. 16. de remissione venialium propositione. 4. ad hoc propositum, & in eodem. 4. dist. 22. p. 6.

DE DIMINVTIONE CARITATIS.

- Proposi. 1.* Caritas potest diminui: quia sicut potest augeri sic poterit minui cum contraria nata sint fieri circa idem. Ita tenet Ricar. hac. d. artic. 2. quæst. 5. Scotus in reportatis q. 7.
- Proposi. 2.* Caritas de facto non minuitur: sed per peccatum mortale demeremur quod Deus illam conseruet, & sic tota tollitur. Hanc docet Bona Ricar. & Scotus hac. dist. Thom. 22. quæst. 24. artic. 10. Quoniam solum mortale contrariatur caritati: & secundum leges positas, vbi non est peccatum mortale Deus nihil aufert caritatis.
- Proposi. 3.* Veniale solum opponitur feruori, aut habitui acquisito caritatis. Hæc est communis contra Altisiodorensem. Cuius tamen opinio posset defensari per duo fundamenta. Vnum est, quod licet quodlibet veniale diminuat caritatem: si talis homo duret sine mortali: impossibile est quin faciat alia opera meritoria per quæ reparabitur caritas diminuta per venialia: secundo quod si cut augmentum gratiæ est præmium: sic diminutio est poena, & quia si per vnum veniale tota gratia etiam minima tolleretur esset maior poena illi habenti illam minimam priuari tota illa, quã habenti ducentos gradus gratiæ priuari centum remanentibus alijs: idcirco nunquam per venialia Deus totam gratiam priuat, vel saltem peccata venialia sunt finita quæ potest homo facere per diem, aut annum: & gratia quæcumque plures habet particulas aut gradus, quam sunt peccata possibilia & venialia per totam hominis vitam. Quamuis enim caritas sit forma simplex per

per exclusionem compositionis ex materia & forma, tamē sunt in ea plures gradus actualitatis in potentia & ita diminuibilis: vult Altisiodorensis.

D I S T I N C T I O X V I I I .

De Spiritu sancto in quantum est donum.

Donum est datio irredibilis, id est datio liberalis, quæ fit sine intentione retributionis, & hæc ratio quia conuenit omnibus datis à Deo creaturæ rationali, omnia illa sunt dona. Deus quippe bonorum nostrorum nõ indiget Psal. 15.

Esse donum in diuinis ex appropriatione conuenit Spiritui sancto. Alex. i. p. q. 64. mem. 1. Acceptum est enim à Theologis donum in diuinis, vt dicat personam procedentem cui ex modo procedendi conuenit prima ratio doni, quæ est amor, & ista est propria Spiritus sancti. Omnia enim quæ donantur ex amore donantur: & ideo primo donatus est ipse amor. Dicitur autem Spiritus sanctus propter spirationem passiuam: Amor propter modum procedendi à voluntate liberali: Donum ex respectu ad donabilitatem: Qui respectus in Spiritu sancto est rationis. Includitur ergo in dono, donans: cui donatur, & modus liberalis. ¶ Ex his patet quod neq; Spiritus sanctus dono est Deus, sed deitate: neq; filius Natiuitate Deus, sed filius: & deitate Deus. Ita Magister in litera & Doctores hac. d. Ratio est, quia est alia ratio propter quam deitas denominat, & alia propter quam donum: Neque etiam aliqua diuina persona constituitur in esse personali: aut in esse diuino per respectum ad creaturas.

Secundo infertur quod esse donum ab æterno conuenit Spiritui sancto quia donum non dicit esse actu donatum, sed aptitudinem ad donari, & ab æterno conueniebat Spiritui sancto habere istum respectum aptitudinis, qua daretur ex tempore. ¶ Si contra arguas quod essentia diuina est donum. Ioan. 10. Pater meus quæ dedit mihi maius omnibus est, & loquitur de essentia quam pater filio communicauit, ergo non est appropriatum

Solutio.

Spiritui sancto. ¶ Haic argumento potest dici dupliciter; primo quod in diuinis donum dicitur personaliter non essentialiter. Datum vero dicitur & personaliter & essentialiter, vt dicit Bona. hac. dist. nume. 22. estque datum de ratione sua, idem quod communicatum. Dico ergo quod Christus non vocauit diuinam essentiam donum: sed dixit illam sibi datam à patre, idest, communicatam. Vel secundo dico quod donum oportet esse aliquo modo dantis: esse vero aliquid alicuius dicitur multipliciter, vno modo per modum identitatis, & sic non distinguitur à donante, sed ab eo cui datur. Sic Spiritus sanctus dicitur dare se. Alio modo vt possessio, vel seruus, & sic realiter distinguitur à dante: & sic donum Dei est aliquid creatum. Tertio modo dicitur esse alicuius per originem tantum, & sic filius est patris: Spiritus sanctus vtriusq;. Et hoc tertio modo donum distinguitur personaliter à dante, & est nomen personale: essentia autem diuina est donum patris primo modo, scilicet, per modum identitatis. ita Tho. 1. p. q. 38. arti. 1. ad. 1. & 2.

Proposi. 3. Spiritus sanctus est donū per quod donātur nobis omnia que ab ipsa sancta Trinitate nobis donātur. Huius ratio est quia Spiritui sancto cōuenit prima ratio doni, quæ est amor: & omnia donantur nobis per amorē. A deo quod appropriata filio, vt sapientia: scientia: intellectus considerata sub ratione doni donātur per Spiritum sanctum: Imo ipsa incarnatio filij attribuitur Spiritui sancto sub ratione doni. De quo Isaias. 9. paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Ioan. 3. sic Deus dilexit mundum vt filium suū vnigenitum daret. ¶ Spiritus sanctus potest dici donum nostrum: accipiendo donum pro donato, vel dato: quia in eo quod est donum à patre & filio procedens non potest dici hominis: sicut filius dicitur noster redemptor: noster panis: nō tamen noster filius: ita neq; dicitur noster Spiritus sanctus. Ad hanc vide Alex. 1. p. q. 63. mem. 3. Bene tamē dicitur Spiritus noster. Sicut. 4. reg. 2. dixit Helile⁹ ad Heliā. Obsecro vt fiat Spiritus tuus duplex in me, & loquebatur de Spiritu sancto. Quod exponens Ricardus circa literā præcedentis dist. ait quod hoc nō petiuit ex inordinato appetitu propriæ excellētiae: sed pro vtilitate ecclesiæ. Neq; petiuit habere Spiritū sanctū perfectius q̄ Helias, sed duplex officiū Sp̄s sancti q̄ erat in Heliā. scilicet, ad p̄phetiā, & ad mira

miracula. Itē de Ioanne Luc. 1. præcedet in spiritu, & virtute Helix. Num. 11. dictū fuit Mose. Auferam de spiritu tuo: & tradā septuaginta senioribus vt sustentent tecum onus populi. Quod non est intelligendum de partitione substantiæ spiritus: aut gratiæ gratis datæ quæ fuit in Mose. Sed quia sine diminutione datus est illis spiritus propter merita Mosis. Vnde glossa ordinaria super illa verba infra eodem cap. Auferens de spiritu qui erat in Mose ait Mose, & spiritus qui erat in eo, quasi clarissimi luminis lucerna fuit, ex qua septuaginta Deus accendit. Ecce, ergo quomodo multæ lucernæ de lumine vnus accipientes illuminantur, sine diminutione alterius. Bona. & Ricardus circa literam dicunt, ideo dictum auferri de spiritu Mosis, quia cum in Mose fuerit abundantius: in alijs secundum proportionem, habebat quasi rationem partis: vel quod loquebatur de diminutione sollicitudinis, quæ fuit diminuta ipsi Mose ex cura alijs commissa. Potest secundum aliquos, quos Ricardus refert. q. 6. dici Spiritus sanctus est noster. Itaq; in his, & similibus attendendus est respectus importatus ad nos: vnde bene dicimus, Deus est creator noster: est patientia nostra ex causalitate, quia ipsam in nos efficit, & causat. Secundum vero respectum quem habent diuinæ personæ inter se: non dicuntur nostræ. Neq; nomina abstracta dicuntur nostræ, quoniam de ratione sua denominant, sicut in creaturis nominant secundum informationem: ideo non dicitur Deitas nostra: Essentia diuina nostra: Æternitas nostra, loquendo de ipsa diuina æternitate. Vide Bona. q. vltim.

DISTINCTIO XIX.

De æqualitate diuinarum personarum: Et de circuminceptione.



E fide est, quod omnes tres personæ sunt æquales in æternitate: Magnitudine, & potestate: ita docet Magister in litera, & scholastici hac. d. Alexan. 1. p. q. 47. M. 5. Thom. 1. p. q. 42. art. 1. Probatur ex Athanasio

Proposi. 1.

in symbolo. Tres personæ coæternæ sibi sunt, & coequales. Pro huius intellectu ex prædicamentis est rememorandum quod æqualitas, & inæqualitas est proprium quantitatis, quarto modo: Tum supra. d. 17. p. 1. de augmento caritatis quomodo dicatur quantitas in diuinis. Et in præsentī sumitur Magnitudo non prout opponitur multitudini, sed prout opponitur paruitati: & sic dicit perfectionem diuinæ naturæ. Tam pro præsentī distinctiōe quam sequenti reuocanda est in memoriam Arriana hæresis dicens filium esse creaturam: & patre minorem. Contra quā vide supra. d. 9. & d. 2. de personarum Trinitate. Fuit etiā hæresis Macedonij, & Eunomij negans Spiritum sanctum esse patri, & filio æqualem: sed quod erat creatura, & illis minor. Contra has ambas hæreses sunt hæc. d. & sequens: Magister de filij æqualitate semper refert Augustinum contra Maximinum Arrianum. De Spiritu sancto, quod sit illis equalis probatur, Spiritus sanctus est Deus, ergo æqualis patri, & filio. Antecedens probatur Act. 5. dixit Petrus. Anania cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto: atq; vt probaret Spiritum sanctū esse Deum, subdidit: non es mētitus hominibus, sed Deo. Consequentia probatur, sicut de filio. d. 9. quoniam ante Spiritum sanctum nō fuit Deus, ergo Spiritus sanctus nō est pater, & filio minor. ¶ Ex hac infertur quod Deus quāuis sit concedendus esse trinus non tamen est concedendus esse triplex. Ita Magister in litera, ratio est, quia triplex dicit aliquam distinctionem in termino cui additur vel quantum ad formam vel quantum ad partium multiplicationem: in diuinis personis neq; deitas distinguitur, neq; in personis numeratur, sed est vna simplex, & æqualis. Vide, & infra. d. 24.

Corol.

Proposi. 2.

Quælibet diuina persona est in alia. Hunc essendi modum vocant Theologi circuminceptionem. Hanc docet Magister in litera: & doctores scholastici hac. d. Thom. 1. par. quæst. 42. art. 5. Probatur Ioann. 14. Ego in patre, & pater in me est. Ambrosius in hymno qui canitur in laudibus secundæ ferix. In patre totus filius, & totus in verbo pater. Ratio huius inexistentiæ est vnitas diuinæ essentiæ, & distinctio personarum: ita quod ambæ simul, & neutra sine alia. Neq; inuenitur in creaturis similis modus essendi: in Scotus hac. d. q. 2. litera. F. ponit aliqua exempla quamuis non omnino quadrantia ex quibus dicit esse melius, si cor-

pus

pus gloriosum posset inexistere corpori alij glorioso æquè subtili: in quibus si imaginemur quod esset vnitas naturæ quodlibet esset in alio, quia quodlibet esset sua essentia: quæ essentia similiter in alio esset corpore.

Ex istis duabus infertur quod in diuinis non est ponenda aliqua prioritas, aut posterioritas eo modo quo ponitur in creaturis: ponitur tamen prioritas, siue ordo originis, qua vna persona originat aliā. Et sic Scotus hac. d. q. 1. litera. L. dicit quod aliquis ordo, vt originis stat cum perfectione. Aliquis non, vt ordo in æqualitatis. Et in hoc. 1. dist. 6. quæst. 1. litera. E. Et. d. 12. quæst. 1. litera. I. dicit, quod pater aliquo modo prius origine intelligit, quam filius sit generatus. Et in quodlibeto. 16. litera. O. ponit quadruplicem ordinem necessitatis. Prima, qua Deus necessario viuit, secunda qua necessario intelligit, tertia qua necessario spirat, quarta, qua necessario diligit se. Vide Alexand. 1. part. q. 46. Thom. 1. part. quæst. 42. art. 3. Ricardum sequenti dist. q. 3. & 4. Bona. eadem. d. quæstionibus vltimis.

Proposi. 3.

DISTINCTIO XX.

De æqualitate in potentia: in qua est quedam consequentia diuini Augustini contra Maximinum, quod pater non genuit filium minorem.



Consequentia facta à diuino Augustino quæ refertur in litera. f. Si pater nō potuit generare filium equalem fuit impotens: Si noluit inuidus, non tenet formaliter, & per locum intrinsecum. De potentia docet Scotus hac. d. quia potentia, actiua, de qua in præsentī est sermo, est principiū transmutandi aliud in quantum aliud vt habetur 5. Metaph. & habet p termino obiectiuo omne possibile prout opponitur necessario, & includenti contradictionem vt est videre in eodem Scoto. dist. 42. huius. Et isto modo potentia patris ad generandum non accipitur proprie pro potentia. Sed ampliando rationem potentiæ ad rationem principij. Vnde argumentum non tenet, quasi per locum à toto in quantitate

Proposi. vna.

ad

ad partem totius: quasi posse generare sit aliquid posse: sed est reducendus syllogismus ad alios: quia Maximinus cōcessit, quod pater dedit filio deitatem: sed deitatem minorem, ergo deitas nō esset infinita ex se, ergo pater habens eam non est omnipotens: sed est omnipotens: & habet infinitam essentiam, & ita communicabilitatem in equalitate. Hæc Scotus. Ricardus hac. d. quæst. 2. ad idem de invidia dicit sic. Illa consequentia valet ratione materia: quia filij natura coegit, ut æquetur patri nec poterat filiū producere in æqualem quin esset imperfectio in ipso patre generante. Quod autem aliquis neget alicui rei perfectionem quam natura rei exigit cum possit eam sine difficultate dare, sine invidia esse non potest. Alij autem dicunt, quod forma argumenti non valet realiter sed tantummodo apparenter: & sic voluit arguere Augustinus, quia quandoq; per argumentum apparens magis confunduntur obstinati, quam per argumentum magis exiltens. Hæc Ricardus.

DISTINCTIO XXI.

De dictionibus exclusiuis additis terminis diuinis.

Propo. 1.



Dictio, solus, aut alia similis sumpta categorematice non adiungitur alicui termino in diuinis: quia solus significat nō cum alio: & categorematice ponit solitudinem: & in Trinitate, seu in diuinis nihil est solitarium, quia neq; essentia sine personis, aut è contra neq; vna persona sine alia. Syncategorematice cōsignificat, sicut omnis, & nullus: & negat associationem vnus ab altero respectu prædicati. Hoc modo ponitur in diuinis, atq; ex modo quo exponitur exclusiua constat veritas aut falsitas propositionum. Inde ista est falsa, solus pater est Deus & negatur à Magistro in litera quia sic exponitur pater est Deus: & nullus alius à patre est Deus: & ista secunda est falsa, & exponitur copulatiue. Ista autem est vera, solus pater, est pater.

Propo. 2.

Dictio exclusiua addita vni personæ in diuinis respectu termini essentialis secundum aliquos nō excludit aliam personam sed

sed potius includit: ita tenet Lyranus supra. 1. 1. caput Matthei, in illis verbis. Nemo nouit filium nisi pater. Et iuxta istum modum illa esset vera, solus pater est Deus, quia sic erit exponenda pater est Deus: & nihil aliud à patre est Deus: quia licet filius sit alius non tamen aliud. Bonau. hac dist. quæst. vltim. tenet contra hunc modum dicendi, & dicit, quod exclusio addita termino personali excludit aliam personam: propterea illa exclusio est per aliquid determinanda sicut in cantico angelorum. Tu solus altissime Iesu Christe, determinatur tamen, Cum Sancto spiritu in gloria Dei patris, ne pater, & Spiritus sanctus excludantur: & dicit quod ly, nemo nisi pater, non æquipollet huic: solus pater, quia nemo distribuit: solus excludit. Et ibi ly, nemo, distribuit faciens hunc sensum, id est, nulla creatura, nisi ille qui est eiusdem naturæ. Vide Thom. 1. par. quæst. 31. artic. 4. dantem vtramque expositionem exclusiua, sed dicit, quod magis proprie excludit alium masculine, quam neutraliter addita termino personali: ideo vbi huiusmodi locutio fuerit inuenta non est extendenda. Sed pie exponenda. Dicitque idem quod Bonau. quod ly, Nemo, distribuit, id est nullus homo: vel nulla rationalis natura. Aut possumus dicere quod distribuit pro quocunque supposito, intellectualis naturæ: ut includantur etiam angeli, qui magis proprie dicuntur intellectuales, quam rationales: Et ly, Nouit, stat ibi absolute supponens pro notitia essentiali in diuinis. Ad hanc dist. vide Alexand. 1. p. quæst. 51. & quæst. 65. Origenes ut dicit Epiphanius dicebat, quod Spiritus sanctus, nō poterat videre filium: imo neq; filius patrem, qui per hanc auctoritatem sane intellectam reuincitur de vtroq;.

DISTINCTIO XXII.

De diuinis nominibus.



Deus est nominabilis à nobis: idq; pluribus nominibus. *Propo. 1.*
 Probat, ex .1. per hermenias. c. 1. ea quæ sunt in voce, sunt earum quæ sunt in anima, passionum notæ: sed Deus potest à nobis cognosci, ergo & nominari:
 L proba-

Probatur minor, quia in psal. 45. dicitur, vacate & videre quoniam ego sum Deus. Hieremias. 9. in hoc gloriatur, qui gloriatur scire & nosse me. Secundo, quia beatus Dionysius composuit librum de diuinis nominibus, ergo vel Deus est nominabilis: vel scientia ibi tradita est nulla. Tertio, quia eum scriptura diuersis nominibus vocat Exod. 15. Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius, Psal. 67. Dominus nomen illi. Exod. 3. Ego sum qui sum, hoc nomen mihi est in æternum. Et. 6. Nomen meum Adonai non indicaui eis, Isaia. 33. Dominus iudex noster: dominus legifer noster: dominus rex noster: Hieremias. 33. Hoc est nomen quod vocabunt eum, dominus iustus noster. Vide supra. d. 3. quia secundum illum triplicem modum: tripliciter dicuntur nomina Dei. Vide & Alexand. 1. part. quæst. 48. M. 1. & M. 2. art. 1.

Propos. 2. Magister in litera assignat sex differentias nominum. Prima est. Quædam nomina distincte pertinent ad singulas personas.

Secunda. Quædam significant unitatem essentie: Et hæc dicuntur de singulis sigillatim, & de omnibus simul, vt Deus: omnipotens.

Tertia. Alia dicuntur translative, & per similitudinē: vt splendor, speculum: character.

Quarta. Quædam ex tempore, & relative ad creaturam: quorū alia de omnibus personis: vt dominus, creator: Alia non de omnibus vt donatus, datus, Missus.

Quinta. Hoc nomen Trinitas est quasi collectivum pluralitatem personarum designans, quod sigillatim de nulla persona dicitur.

Sexta. Sunt quædam nomina, quæ ex tempore conueniunt Deo, neque relative dicuntur: vt humanatus: incarnatus. Hæc Magister.

Propos. 3. Ex his differentiis à Magistro assignatis constat non omnia nomina dici de Deo per translationem: sed esse illi multa nomina propria. Alex. vbi supra. Probatur. Ephes. 4. A quo omnis paternitas in celo & in terra nominatur: cui dicto innitentes Dionysius, & Damascenus, vt refert Bona. hac. d. q. 3. dicunt quod non est translatum à nobis paternitatis, filiationis & processions nomen

men. Per idem patet aliqua nomina dici de Deo substantialiter, id est, dicere eius substantiam. Alia vero relationes & appropriata. Patet item, quod nomina quæ dicuntur translative & per similitudinem per prius dicuntur de creaturis quam de Deo, quia nihil aliud significant in Deo, quam similitudinem ad creaturas. Quæ autem dicuntur proprie de Deo, vt bonus, sapiens quantum ad id quod significant, cum sint perfectiones per prius dicuntur de Deo à quo manant illæ perfectiones in creaturas, quam de ipsis creaturis: bene tamen impositio talium nominum facta est à nobis ex ijs quæ prius cognouimus in creaturis. Ex quo item constat falsitas Rabbi Moyfis, qui posuit nomina magis dici de Deo ad aliquid remouendum ab ipso quam ad aliquid ponendum in eo. Vt cum dicitur, viuens remouetur, quod non est vt res inanimata. Et sic de alijs. Patet etiam falsitas dicentium quod omnia dicuntur habitudinem ad creaturas, vt bonus, quia est causa bonitatis rerum creaturarum, quia si ita esset posset Deus dici corpus, quia est causa corporum.

Si Deus possit nominari à viatoribus aliquo nomine distincte significante diuinam essentiam, hoc est dicente rationem rei quam significat, duæ sunt opiniones, vna negatiua, quam tenet Thom. 1. part. quæst. 13. artic. 1. & ibi Caietanus. Sequitur, Durand. hac dist. quæst. 1. Ratio est, quia Deum nominamus sicut eum intelligimus: sed in statu viæ non intelligimus Deum secundum propriam eius rationem, & quasi diffinitiuam. Alia est opinio Scoti hac dist. & in reportatis, quæst. 1. affirmatiua: imo quod de facto tali nomine Deus à nobis nominetur. Quia potuit Deus tale nomen sibi imponere quandoquidem comprehendit se, & potuit nobis reuelare, quia non implicat contradictionem. Negatque illam propositionem communem. Sicut aliquid intelligitur, ita & nominatur, quoniam potest distinctius significare, quam intelligatur, vel saltem ista est falsa. Nullus potest vti nomine distinctius significante, quam ipse possit intelligere. Verisimile ergo dicit, quod multa nomina sint illam essentiam distincte significantia. Sicut Iudæi dicunt de nomine domini tetragrammaton. Et affert illud Exodi. 3. Qui est misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum.

Propo. 4.

Lu. 2. in æternum.

æternum. Sed Moyſes de nomine proprio Dei quærebat. Atq; exodi. 6. Nomen meum Adonai non indicaui eis, vbi in Hebræo ponitur nomen Dei tetragrammaton. Ex quibus habetur, quod nomen domini tetragrammaton ſignificat diſtincte diuinam eſſentiam, vt eſt ſententia Rabbi Moyſis, quem in hoc cap. 6. refert Lyranus. Marſilius Ficinus in argumento ad Cratylum Platonis annotauit, quod omnes gentes & linguæ præcipuum nomē Dei quatuor literis pronunciant, Ægyptij, Theut: Perſæ, Syre: Magi, Orſi: Græci, Theos: Arabes, Alla. Dat rationem, forſitan, quia & ipſe Deus per quatuor gradus cuncta diſponit: eſſentia, eſſe, virtute, actione. Cœleſtia triplicitatibus ſignorum quatuor: ignea, aerea, aquea, terrea: inferiora quatuor ſimiliter elementis. Theologicè melius dicemus, quòd ſicut diuina ordinatione diuiſæ ſunt linguæ Genef. 11. ita & factum eſt, quòd ad deſignandam vnitatem eſſentiæ: & Trinitatem perſonarum, omnes vterentur nomine quatuor literarum. Vbi & obiter annota, quòd Philaſter reputat hæreticū dicere, quòd ante turrim Babel fuerit vna ſola lingua: ſed quòd erant plures, quas quia omnes loquebantur dicta eſt terra labij vnus. Alſonſus Caſtro ecōtra ipſam Philaſtri ſententiā iudicat hæreticā. Si dicas quòd apud Hebræos nomē tetragrammaton erat ineffabile reſpondet Scotus in reportatis q̄ eſt Deus ineffabilis, quantum ad illum cui fit expreſſio, quia non poteſt audiens complete intelligere Dei eſſentiam per quòdcunq; nomen. Aduertes, quòd apud Hebræos illud nomē tetragrammaton vocabatur ineffabile, non quia exprimi nō poſſet, ſed quia vulgus ipſum nō audebat propter eius ſanctimoniā nominare. Sed ſummus ſacerdos illo tantum nomine vtebatur iuxta literarum & punctorum proprietatem, idq; quando intra bat Sancta ſanctorum & in benedictione plebis. Alex. 1. p. q. 49. M. 4. Ricard. q. 6. fatentur quòd nomen, qui eſt, ſit maxime proprium Dei. Probant ex Damasceno citato. d. 8. p. 4. De ſimplicitate Dei. Eſt que triplex ratio. Prima, quia ſignificat ipſum eſſe, quæ eſt ſua eſſentia, & non aliquam formam. Secunda, quia alia nomina addunt aliquid ſuper ens, vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem. Hoc dicit totum pelagus infinitæ ſubſtantiæ ſine determinatione. Tertia, quia ſignificat eſſe in præſenti per quòd maxime exprimitur eternitas. Sed quia dicit Dionyſius de

bono:

bono: quòd nominatio boni eſt manifeſtatiua omnium Dei proceſſionum, addit Alex. quòd intendebat Dionyſius nomē quòd eſt prius quo ad nos: Damascenus, quòd eſt prius ſimpliciter. Bonitas enim quaſi mouit eū facere creaturas, vt eſſent participes ſuæ bonitatis: quia enim bonus eſt, ſumus nos: & ſic eſt cauſa omnium: ſed quia eſſe præintelligitur cauſæ, eſſe eſt primum.

Nomen Ieſus excedit alia diuina nomina in tribus. In poteſtate Marci vltimo, In nomine meo dæmonia eiſcient. In vtilitate Act. 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Ioan. 16. Siquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. In ſua uitate. Cant. 1. Oleum effuſum nomen tuum. Vide Bernar. ſerm. 15. ſuper Cantica. Imo abſolute eſt nomen ſuper omne nomen cui ſectitur omne genu. Philipp. 2. Vide eundem Bernar. ſerm. 2. circuncisionis. Et in cap. Decet domum, de immunitate eccleſiarum. lib. 6. iubemur cordis genua ſectere nominato Ieſu. Quòd vel capitis inclinatione teſtandum eſt præcipue in Miſſa.

Propoſi. 5.

DISTINCTIO XXIII.

De nominibus, perſona, ſubſtantia, & eſſentia.



Perſona ſic definitur à Ricardo de ſancto Viſto. 4. de Trinit. cap. 22. Eſt intellectualis naturæ incomunicabilis eſſentia. Et corrigit illā Boetij quòd, ſcilicet, eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia ab Ocham hac diſt. Perſona eſt ſuppoſitum intellectuale & dicit quòd eſt eadem cum definitione Boetij & Ricardi: & in. 3. quæſt. 1. Perſona eſt natura intellectualis completa: quæ nec ſuſtentatur ab alio: neque eſt nata facere per ſe vnum cum alio, ſicut pars. A Ricardo de Media villa hac. d. art. 1. quæſt. 1. Perſona eſt ſuppoſitum rationalis, vel intellectualis naturæ diſtinctū proprietate ad dignitatem pertinente. Eandem dat Bona. hac. diſt. quæſt. 1. dicens, quòd perſona ſumpta eſt ab æquipollenti in lingua Græca quòd eſt proſopon, quòd ſignificabat hominem laruatum in tragœdijs, quia talis homo repræſentabat aliquam perſonam

Propoſi. 1.

sonam habentem dignitatem: & quia in ecclesijs maxime attenditur distinctio dignitatum tractum est primo hoc nomen persona ad significandum honorem in ecclesijs, in quibus illi vocantur personæ, qui habent aliquam dignitatē. Deinde extensum est nomen ad supposita intellectualis naturæ, quoniam est magna dignitas subsistere in natura rationali siue intellectuali. De illo autem quod addit suppositum ultra naturam magna est quæstio. Scotus hac dist. & in. 3. dist. 1. dicit quod addit duplicem incommunicabilitatem: vt quò: & vt quod: Communicabile vt quo est forma, quia est qua aliquid est tale. Ideo anima separata non est suppositum quia licet non sit communicata: est tamen communicabilis, vt quo. Communicabile, vt quod, est quod communicatum pluribus est idem cuilibet illorum, sicut vniuersale communicatur suis inferioribus. Ad hanc vide Alex. p. 1. quæst. 56. M. 3. & quæst. 57. M. 2.

Propos. 2. Hoc nomen persona, est, ponendum in diuinis. Probat, ex capi. firmiter. de summa Trinit. & fide catho. Vbi dicit, pater, & filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia. Concilium Toletanum, primum in confessione fidei, Credimus Trinitatem personis distinctam, substantia vnitatem. Toletanū vndecimum Spiritum sanctum credimus, qui est tertia in Trinitate persona. Afferit Magister in litera autoritates Augustini ponentis personam in diuinis. Contrarium huius tenuit Laurentius Vallensis lib. 6. elegantiarum cap. 34. irrisitq; Bœtium hominē Romanum quasi Romanè loqui nescientem. Dixitq; quod non est magis ponenda in Deo, quam in bruto, quia persona in homine significat qualitatem. qua alius ab alio differunt, tum in animo, tum in corpore, vt gerit personam hominis irati, pulchri. Et quando histriones in scenis accipiunt personas, vt seruus regis, & sic. Cum Laurentio dicunt tenuisse Salmanticæ quemdam Theologiæ Magistrum Ioannem Doria nomine virum aliàs doctissimum. Qui tamen coactus fuit retractare.

Propos. 3. Sicut nos Latini dicimus vnā essentiam, & tres personas ita Græci dicunt, vnā vsiam, & tres hypostasēs, id est, tres substantias. Magister, in litera, & dicit quod bene possent dicere tres personas in propria lingua, per tria profopa, illud tamen maluerunt dicere, quia fortasse secundū linguæ suæ consuetudinem aptius dicitur

dicitur. Si Deus possit dici substantia vide supra. d. 3. p. vlti. & Bona. & Ricardum hac. d. Et illic citatos. Diuus Thomas. 1. p. q. 29. art. 2. ad. 1. & 2. argumen. dicit, quod hypostasis significat quodcunq; indiuiduum substantiæ, sed tamen ex vsu loquendi stat pro indiuiduo rationalis naturæ, & quia nomē substantiæ apud nos æquiocatur pro essentia, & hypostasi, transfertur in Latinum potius subsistentia, quam substantia, vitandi erroris causa. Ex hac arguit Magister, si possumus dicere tres personas, ergo quare non possemus dicere tres Deos? Responso sua est quia scriptura contradicit, vt dicantur tres dii, non tamen contradicit vt dicantur tres personæ. Respondendo tamen realiter ad quæstionem, persona non dicit aliquid commune, & idem numero, in quo plures conueniant & cōmunicent, imo dicit aliquid in quo plures differunt, sed Deus, & alia nomina similia dicunt aliquid commune in quo tres diuinæ personæ conueniunt. Nempe deitatem, quasi formam denominantem, quæ est vna, & non numerabilis, aut multiplicabilis. Idem de æternitate, immensitate, potentia, dicendum est. De hypostasi. Alex. 1. p. quæst. 58.

DISTINCTIO XXIII.

De nominibus numeralibus quid significant in diuinis.



Magister dicens, qd nomina numeralia in diuinis sunt *Propos. 1.* introducta ratione remouēdi, atq; excludendi potius quā ponendi aliqua in Deo, ex quo fit quod non dicatur de Deo nisi priuatiue, aut negatiue, vt cū dicitur vnus, sit ad excludendum multitudinem deorum, non tenetur à Parisiensibus, ita Bona. hac. d. quæst. 1. & impugnatur ab Alex. 1. p. quæst. 65. M. 2. ar. 1.

Termini numerales secundum quod dicuntur de Deo non sumuntur à numero, qui est species quantitatis, probatur, quia sicut quantitas non ponitur in Deo proprie, vt habes. d. 19. ita neque numerus. Secundo, quia numerus species quantitatis sequitur diuisionem continui, quæ solum in materialibus inuenitur, vide Alex. 1. p. quæstio. 45. Mem. 2. & 3. Ex hac infertur quod *Propos. 2.* vnitatis

vnitas Dei, & creaturæ non constituunt numerum simpliciter, quia quæ constituunt numerum vniuocant: sed vnitas, & numerus non dicitur vniuoce de Deo, & creatura, vt potes videre in Alexan. vbi supra. M. 2. Ideo non debet concedi quod Deus: & lapis sunt duo: Nisi eo modo quo aliqua sub vno communi de eis analogicè dicto numerantur: & Boetium dicentem li. 1. de Trinita. cap. 3. in Deo nullus est numerus, intellige simpliciter & proprie. A simili est negandum quod Deus, & mundus sint plura. Imo Deus & mundus non sunt quid melius: aut perfectius, quam ipse Deus solus: neque sunt plura bona. Ratio datur à Scoto quod lib. 5. littera. G. quia bonitas & perfectio creaturæ continetur eminenter in bonitate infinita Dei: & ideo bonitas creata non auget bonitatem Dei. Neque etiam est Deus pars integrans aliquod totum.

Proposi. 3. Termini numerales dicti de Deo sumuntur à multitudine prout est transcendens: secundum quod, ens, quod est transcendens diuiditur per vnum, & multa: & talis diuisio entis, inuenitur in separatis à materia. Significant autem in diuinis illa de quibus dicunt: & super hoc nihil addunt, nisi negationem diuisionis tantum. Vide Thom. 1. p. quæst. 30. art. 3. Ricard. hac. d. ar. 1. quæst. 2. & arti. 2. quæst. 2. Aliqui vt idem Ricardus refert, dixerunt, quod vnitas essentialis addit super essentiam rei rationem aliam positiuam, scilicet, identitatem rei ad seipsam: non differentem realiter ab ipsa re, sed tantum secundum rationem: At vero secundum Thomam citatum, & Ricardum nihil addit positiuum nisi tantum negatiuum: & sic est media ista positio inter præfatam opinionem, & opinionem Magistri. Nam dicitur quod significant illa, de quibus dicuntur, & super addunt negationem: ita essentia diuina est vna, scilicet indiuisa: personæ sunt plures: significantur illæ personæ, & indiuisio circa vnāquamque illarum, quia est de ratione multitudinis quod constet ex vnitatibus.

Proposi. 4. Ista non est concedenda, Deus est multiplex. Magister in littera tam huius, quam præcedentis. Et quando dixit Isidorus, Trinitas est multiplex & numerabilis, exponit Magister, quod dixit pro eo quod alij dicunt trinum. Nam improprie locutus est vt dixit Bona. d. 19. num. 32. Et ideo exponendus est: Et cum sapientia: 7. dicitur est spiritus intelligentiæ sanctus multiplex: intelligi-

telligitur causaliter siue, effectiue, quia est effectiuus plurimum donorum. Neque debet ista concedi, in diuinis est ternarius personarum, aut ternarius vnitatum, quia vt dictum est, ibi neque est numerus simpliciter, neque totum integrale.

D I S T I N C T I O XXV.

Quid significet persona.



Proposi. 1. Persona non dicitur vniuocè de Deo, & creaturis, imo neque pure æquiuoce, sed analogice. Ita docet Bona. hac. d. q. vlti. Ricard. hac. d. art. 2. q. 1. Tho. 1. p. q. 29. art. vlti. ad vlti. argum. quia nihil vt ipse tenet dicitur de Deo & creaturis vniuocè. Quicquid tamen sit de alijs, de persona satis probatur, quia per aliud constituuntur personæ diuinæ in esse personali, quam creatæ, vt patebit. d. sequenti. Ricardus dicit, quod persona principaliter conuenit personis increatis: deinde personis creatis secundum quod habent habitudinem ad personas increatas. Bona. dicit quod persona secundum nomen prius dicitur de personis creatis, secundum rem nominis per prius de personis increatis.

Proposi. 2. Persona de suo formali significato significat illud, quo constituitur in esse personali. De materiali vero indiuiduam substantiam intellectualem. Hæc potest deduci ex Doct. Subtili hac. d. Atque per eam nescio si possint fortasse concordari opiniones, quod si non possunt concordari saltem ex ea poterunt intelligi. Quia enim personæ diuinæ constituuntur in esse personali per relationes vt. d. sequenti. Thomas. 1. p. q. 29. arti. vlt. dixit, quod persona significat relationem per modum substantiæ, seu subsistentis, quia dicitur ad se, & non relatiue ad alteram, significat ergo relationem in recto, & essentiam diuinam in obliquo, non tamen relationem in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis, licet subsistens in natura diuina nihil aliud sit, quam ipsa natura diuina. Scotus ponens illam duplicem incommunicabilitatem, negat personam diuinam dicere relationem neque propriam alicui personæ diuinæ, neque communem

M nem

nem tribus. Neq; substantiam secundam, id est, quidditatē, quia illa non numeratur in tribus personis, persona autem numeratur. Concedit tamen quod ibi connotatur, pater, filius, & Spiritus sanctus: & connotantur relatio, qua cuique personae conuenit praedicta negatio communicabilitatis, similiter connotatur essentia diuina. Magister. d. 23. dicit quod persona secundum substantiam dicitur, distinguens secundum substantiam, contra relatiue, quia ut patet ait. Ad se quippe persona dicitur, sicut ad se Deus dicitur. Ita quod omnia praedicabilia de Deo reducuntur ad hanc diuisionem bimembrem, secundum substantiam, aut relatiue: Ricardus de sancto Victore lib. 4. de Trinit. cap. 19. fateatur personas dici secundum substantiam: & substantiam significare: eō significare tamē aliquid. S. Bona. hac. d. q. 1. fateatur q; utrūq; dicit, & secundum substantiam quia dicit suppositum certum substantiae: & secundum relationem, quia dicit suppositum distinctum proprietate, quae est relatio. Principalius tamen secundum substantiam, quantum est de generali, & primo nominis intellectu.

Proposi. 3. Hoc nomen. Quid, quandoq; querit definitionem, ut patet ex. 1. Topico. cap. 4. Definitio est oratio indicans quid est esse rei. Aliquando querit illud de quo aliquid dicitur. 10. Metaph. Tex. com. 7. Querendum est quid vnum, scilicet illud de quo dicitur vnum. Inde cum catholici fateamur secundum Ioan. cap. 5. 1. Canonice, tres dare testimonium in coelo, quarentibus haereticis, quid tres respondemus, personae: ita respondit Augustinus, quia ibi, quid, non petebat essentiam, sed substantium de quo dicebatur illud adiectiuum. Vide Magistrū in litera & Bona. hac. d. num. 11. & Scotum hac eadem. d. Tho. 1. p. q. 29. arti. vlti. ad. 2. argum.

Proposi. 4. Quamuis debeamus concedere tres personas eiusdem essentiae in genituo, non tamen ex eadem essentia: quia praepositio, ex, importat habitudinem causae efficientis, vel materialis: genitius, causae formalis, vel ei similis: essentia se habet quasi forma ad supposita non quasi materia aut efficiens. Vide ad hanc Augustinum in litera dist. 5. huius primi, & quae dicta sunt ibi. dist. 5. p. 2. vide & literam dist. 19.

Dist.

DISTINCTIO XXVI.

De proprietatibus, à quibus nomina relatiua imponuntur.



Proposi. 1. Vb nomine hypostasis Arriani suum occultabāt errorem. Ita docet Magister citato in hoc diuo Hieronymo, nam illud pro essentia, & pro persona usurpabant ut seducerent simplices.

Proposi. 2. In diuinis ponunt Theologi communiter quinque notiones, id est, quinque rationes importantes dignitatem personarum, quibus & personarum distinctio innotescit. Hae sunt, in patre innascibilitas: & paternitas: in filio, filiatio. In patre, & filio spiratio actiua: in Spiritu sancto spiratio passiua. Harum quatuor sunt relationes positivae: quia prima scilicet innascibilitas non est proprie relatio, nisi per reductionem: sicut negatio reducitur ad idem genus cum affirmatione sibi opposita. Tres harum sunt proprietates, scilicet, paternitas: filiatio, spiratio passiua. Nam spiratio actiua non est constitutiua proprietatis personae: quoniam est duarum personarum, neque per illam sunt personae, itaque relatio est in plus quam proprietate. Notio in plus quam relatio proprie sumpta. Inspirabilitas quamuis ab aliis ponatur notio, tamen communiter non ponitur notio in patre, neque in filio, quia in patre non dicit aliquid, quod non includatur in innascibilitate, aut in esse ingenitum, quod idem est. Neque in filio, quia licet non sit spiratus, sed genitus, non tamen est simpliciter improductus videantur Bona. & Ricard. hac. dist. Alexan. 1. par. quaestio 68. Tho. 1. par. quaest. 32. articulo. 3. Scotus in reportatis. dist. 29. quaest. 1.

Proposi. 3. Personae diuinae constituuntur in esse personali per proprietates relatiuas, & non per absolutas. Probatur quia vbiq; scriptura & sancti exprimunt Trinitatem est nominibus relatiuis. Matth. vlti. Baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Ioan. 1. capit. 5. Tres dant testimonium in coelo, pater, verbum, & Spiritus sanctus. Ita in symbolis apostolorum, Niceno, & Athanasij, & in re tam ardua periculosum est

M 2 asse-

asserere, quod non habeatur per sacram scripturam, aut per ecclesiam & sanctos. Quod si per absolutas constitueretur pie credendum est, quod reuelasset illas Deus ecclesie, & voluisset sacramenta conferri inuocata Trinitate nominibus proprijs personarum. Ratione sic. Omnis proprietas absoluta conuenit Deo, quatenus est Deus. Sed si essent tres proprietates absolutæ essent tres dii habentes tres deitates: quod est hæreticum. Hæc est doctrina Scoti hac. d. Thomæ. 1. p. q. 40. ar. 1. & S. Bonauenturæ, cui falso imponitur contraria opinio.

Propo. 4.

Personæ diuinæ constituuntur per relationes in quantum relationes & non in quantum origines. Ita tenent Scotus, Thomas, & Ricardus ar. 3. q. 2. Estq; cōtra S. Bona. qui hac. dist. q. 3. videtur sentire quod per relationes in quantum origines. Pro intellectu aduerte q; relatio, & origo, licet sint idem realiter in Deo, differunt tamen penes modum significandi. Nam origo significat ut via à re, vel ad rem, ut generatio. Relatio significat per modum formæ. Probatur modo conclusio, Origo significatur ut via, seu ut actus progrediens à re, vel ad rem, ergo præsupponit esse illius à quo progreditur. Et Origō passiuā significatur ut via ad personam nondum constitutam, ergo non constituuntur per relationes in quantum origines. ¶ *Authoritas Prouer. 30. Quod nomen eius, & quod nomen filij eius si nosti? Quæ videtur esse contraria, quoniam quæstio aliquid certum supponit, & aliquod dubium quærit ex. 7. Metaph. ergo filij nomine præsupposito, aliud plus quæritur quā relatio filiationis, exponitur tripliciter.* ¶ Primo ab Scoto in reportatis hac. d. q. 1. ad primum principale esse nomen filij incarnandi, scilicet Iesus. Quasi nesciret mundus quo nomine esset nominandus filius Dei incarnandus. Sic dixit Isaias. 62. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os dñi nominauit, cui tamen idem Isaias multa nomina posuerat prius in cap. 9. Admirabilis consiliarius, princeps pacis, pater futuri sæculi, & cap. 7. vocauerat eum Emmanuel. Nec erat inconueniens petendo nomen filij, scilicet Iesus: immiscere nomen patris, quanuis nō esset aliud quam pater. Secūdo exponitur à Lyrano, quia Salomō præuidit reuelanda mysteria simplicibus Matth. 11. Abscōdisti à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Confutans itaq; Salomon sciētiam philosophorū, & præferēs sciētiam sanctorū petit à philosophis myste

Argum.

Solutio.

mysterium Trinitatis quod non cognoscebant physice disciplinæ. Tertio exponitur à Caetano. 1. p. q. 40. art. 2. quod est æquiuocatio de nomine filij Dei. Dupliciter enim potest nominari, sicut & concipi: vno modo secundum suum, ut ita dicatur, quod quid est, id est, secundum nomen proprie, & distincte ipsum significans. Alio modo secundum conceptus & nomina abstrahibilia à creaturis. Primo modo, est ineffabile Isai. 54. Generationem eius quis enarrabit? Vel possumus dicere quarto, quod nomen proprium secundæ personæ est verbum Ioann. 1. In principio erat Verbum: quod nomen non fuit in mundo cognitum, & quod sicut filius est relatiuum, ita & verbum.

Filius Dei in diuinis dicitur ex alia ratione, qua homines dicuntur filij Dei. Magister in litera. Vide & Alexand. 1. p. q. 60. & 3. p. q. 8. M. 3. art. 4. Ratio quia homines sunt filij adoptione: Christus autem natiuitate. Quam distinctionem ipse insinuauit Ioan. 20. Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum. Alias si ex eadem ratione dicerentur, dixisset nostrum. Vide in. 3. d. 4. p. 1. Ex qua adoptione potest homo dici filius Trinitatis: & Trinitas pater: idem Magister in litera. Vide & in. 3. d. 10.

Proposi. 5.

Trinitas ipsa, & quælibet diuina persona potest dici Spiritus sanctus: & tunc spiritus supponit pro essentia. Magister in litera: vide supra. d. 10. p. 1.

Proposi. 6.

DISTINCTIO XXVII.

De eisdem proprietatibus personalibus: & Specialiter de verbo: & imagine.



Patrem esse & genuisse: filium esse & genitum esse: Spiritum sanctum esse, & procedere ab utroq; sunt eadem proprietates. Magister in litera docens easdem proprietates, sub alijs tamen nominibus assignari ab Augustino, & Hilario.

Proposi. 1.

Quantum ad significatum pater, filius, & Spiritus sanctus significant hypostases, id est, personas subsistentes: paternitas: filiatio:

Proposi. 2.

liatio: processio vel gignere, gigni, & procedere significant relationes. Magister in litera. Propter quod dicit, quod non sunt omnino idem.

Propos. 3. De intellectu paternitatis sunt per se subsistentia, & ipsa generatio, & ipsa habitudo ad filium. Quæ differunt secundum rationem tantum. Ita Ricard. hac. d. art. 1. q. 2. Atq; idem debet dici de alijs respectuè. Et sic paternitas in quantum est constitutiva personæ præcedit ipsum generare, in quantum est habitudo sequitur. Hæc Ricard. Generari, & spirari, quia significantur ut viæ ad personas, quæ producuntur præcedunt secundum intellectum proprietates constitutivas, quæ ut sunt habitudines sequuntur ipsas personas. Vide Tho. 1. p. q. 40. art. 4. Et ibi Caieta. Qui Caietanus. q. 42. art. 3. ad secundum ostendit non esse contradictionem in diuo Thoma ponente prioritatem in paternitate secundum quod constituit personam, ad se ipsam ut est relatio, & in præfata. q. 42. art. 3. ad. 2. dicente. Neq; ex parte nature, neq; ex parte relationum vna persona potest esse prior alia neq; etiã secundum naturam & intellectum. Quoniã licet principiũ coæuum suo principiatio sit prius natura, & intellectu ipsomet principiatio, relationes tamen causæ & causati, principij & principiatij, sunt simul natura, & intellectu. Quam contradictionem Scotus d. 28. q. vlt. redarguebat. Distinguit igitur Caieta. quod est loqui dupliciter: vno modo secundum rem purè, & sic nulla est prioritas. Alio modo sub aliquo partiali conceptu, seu modo concipiendi: & sic ponitur prioritas. Dat exemplum. q. 40. art. 4. Sicut apud logicos relatio dupliciter significatur, ut concepta, & ut exercita: quæ tamen est vna metuita paternitas ut exercita sequitur actum generationis, & sub expressa ratione paternitatis ut concepta præcedit generationem, & constituit hypostasim.

Corol. Ex his infertur quod ista prædicantur de se in concreto, & in abstracto: pater generat, paternitas est generatio, & sic de alijs: quia sunt idem in re. Similiter paternitas est pater: filiatio est filius, quia in diuinis non differunt abstractum & concretum. Quæ prædicatio non teneret in positione Gilberti Porretani ponentis relationes in diuinis esse extrinsecus assistentes non inistentes: & ideo proprietates relatiuas non dicere rem aliquam in persona, neq; esse Deum. Quem tamen errorem retractauit in concilio

concilio Remensi, ut ex Bernardo refert Bona. hac. d. num. 17. Adorat enim ecclesia proprietates in præfatione Trinitatis dicens. In personis proprietates in essentia vnitas, in maiestate adoratur equalitas. Vide infra. d. 33. contra hunc errorem. Magistrũ & Alex. 1. p. q. 68. M. 5. ar. 1. & 2.

DE VERBO ET IMAGINE.

In nobis est triplex verbum. Intelligibile, imaginabile, & sensibile. Hanc est videre, in Alex. 1. p. q. 62. M. 1. Et in Bona. hac. d. q. vlt. Ricard. ar. 2. q. 1. In Tho. 1. p. q. 34. art. 1. Deducunt illam ex Damasceno lib. 1. cap. penult. ex Anselmo. cap. 9. Monologij, ex August. lib. 9. de Trinit. cap. 10. Verbum intelligibile est, vel species intelligibilis, per quam intellectus intelligit: vel ipsa cogitatio intelligit, dicente Augustino in ser. Ioannis Baptistæ, Vox est sonus, & index cogitationis: verbum ipsa cogitatio. Verbum imaginabile est cum imaginamur sonum proferendum: quo nostrum verbum intelligibile alijs significamus. Sensibile est ipsa vox, quæ exterius profertur Scotus hac. d. q. 1. litera. E. sic describit, Verbum est actus intelligentiæ productus à memoria perfectà, non habens esse sine actuali intelligentiæ, representans verbum diuinum. Et sic notitia producta ab obiecto intelligibili, & ab intellectu est verbum, ipsum verò intelligibile cum intellectu est memoria fecunda, & parens verbi: seu notitiæ. Addit etiam litera. H. quod de essentia verbi non est actus voluntatis, neq; formaliter, neq; ut causa: concomitatur autem duplex actus voluntatis, vnus præuius, quo imperatur actus ille. Voluntas enim copulat parentem cum prole, idest, memoriam cum notitia: alius, quo intellectus quiescit in intellectuali notitia iam habita, ipsam continuando. Quia si intellectus non complaceret voluntati, non permaneret intellectus in ea. Et loquitur Scotus in nobis, sicut & propositio ista loquitur.

In diuinis est verbum. Patet Ioann. 1. In principio erat Verbum. Apocalyp. 19. de illo, qui erat vestitus veste aspersa sanguine, & nomen eius vocabatur, verbum Dei Psalm. 44. Eructauit cor meum verbum bonum: & loquitur de filio, de quo mox ait., Speciosus forma præ filijs hominum. Hæc

Hæc est contra hæreticos Alogianos, sic dictos ab A. id est non, & Logos, verbum, quasi sine verbo: qui neque euangelium Ioannis, neque Apocalypsin recipiebant, ex quibus reuincuntur. Et ita verbum in diuinis non capitur, neque dicitur essentialiter, sed personaliter. Dicit enim respectum ad illum, à quo emanat, & à quo dicitur. Vnde Magister in litera citato Augustino dicit, quod verbum non est pater. Et verbum relatiuè dicitur sicut filius. Hunc respectum Scotus citatus litera. I. dicit, quod si esset nomen impositum posset dici, verbatio, in abstracto. Et in litera. G. dicit, quod non quælibet intellectio actualis est verbum, sed notitia genita, quoniam filius, & Spiritus sanctus habent notitiam actualem, quæ non est verbum, quia non est genita, sed essentialis communis tribus.

Propos. 6.

Verbum diuinum importat, siue connotat respectum ad creaturas. Probat ex August. lib. 1. confessio. loquenti ad patrem, Verbo tibi coæterno simul, & sempiterno dicis omnia, quæ dicis, & sic quicquid dicis, vt fiat, nec aliter quam dicendo facis. Ratio huius est, quia cum pater vno actu intelligendi intelligat se, & omnia, vno verbo se & alia dicit. Est autem dicere proferre verbum, quod non conuenit, nisi soli patri. Nos, quia non simul omnia intelligimus tot habemus verba quot intellecta. Dicit autem conuenit omnibus illis, quæ per verbum intelliguntur, aut significantur. Ex quo fit, quod dicere principaliter importat relationem ad verbum, & mediante verbo ad res alias intellectas, & in verbo manifestatas. Quæ sunt non solum creaturæ, verum essentia ipsa diuina, & personæ diuinæ: ita quæ pater verbo dicit se, & Spiritum sanctum, & suam essentiam, atque creaturas. Et sic quauis soli filio conueniat dici, vt sit verbum, tamen dici verbo conuenit essentiæ, personis, & creaturis. Sed est aduertendum, quod in quantum est essentiæ & personarum, est expressiuum tantum in quantum creaturarum est expressiuum, & operatiuum, seu factiuum. Artifex enim in verbo suo disponit agenda. Respectus expressiuus est rationis, tam in verbo, quam in creaturis, quia nondum sunt creaturæ. Respectus operatiui est realis non in actu, sed in potentia, scilicet, dicit respectum realem possibilem. Qui respectus conuenit verbo ab æterno, quia non transit in exteriorum effectum, sed est intrinsecus in agente. Ponit S. Bon. hac d. num.

d. nu. 34. exemplum de, Dono, de quo dictum fuit. d. 18. quod ab æterno conuenit Spiritui sancto, quia non dicit actu, donatum: ita verbum, quia non connotat effectum actualem, vt creaturæ actu sint, ab æterno est expressiuum, & operatiuum creaturarum quia dicit respectum in habitu. Et quauis creaturæ contingenter sint, tamen scientia, & potentia illas producendi, est necessaria, & impossibile est Deum non posse, & non scire illas producere. Inde verbum dicitur ars, sapientia, & virtus patris. Et Ioan. 1. omnia per ipsum facta sunt. Vide de hac Alex. citata. q. 62. M. 1. ar. 4. & M. 3. ar. 2. ¶ Contra hanc arguitur. Primo, quia si verbum diceret respectum ad creaturas posset dici Verbum creaturarum: sicut dicitur Spiritus sanctus, Helix spiritus & aliorum Sanctorum, vt supra. d. 18. Sed hoc est falsum, quia solum dicitur verbum patris. ¶ Secundo arguitur, quia supra. d. 18. dictum est, quod nulla diuina persona constituitur in esse personali per respectum ad creaturas. Sed si verbum diceret respectum proprium in persona filij ad creaturas, qui non esset communis alijs personis, filius constitueretur in esse suo per respectum ad creaturas.

Argument.

Argum. 2.

¶ Ad primum negatur sequela. Ad probationem dicit Bonau. hac. d. nu. 38. quod est discrimen: quia verbum dicit respectum ad producentem, & creaturæ non producunt verbum diuinum. Spiritus illic non sumitur, vt dicit respectum ad producentem, sed ab effectu spirandi, quem operatur in creatura, & sic non accipitur, illic personaliter: sicut quando dicitur Deus noster, ab actu fouendi, & creandi nos.

Solu. ad. 1.

¶ Secundum argumentum, tangit difficultatem. An verbum diuinum procedat sic ab intellectu patris, quod ex vi productionis tantum sit ab essentia, tanquam ab obiecto intelligibili: an sic producat, quod non tantum ab essentia, verum etiam ab omnibus illis intelligibilibus, quæ pater in essentia sua intelligit. Diuus Thomas. 1. p. q. 34. art. 1. ad tertium tenet, quod verbum Dei procedit & nascitur ex omnibus, quæ sunt, & continentur in scientia patris, scilicet, essentia, personis, & alio quocumque intelligibili. Et Caiet. illa. q. ar. 3. exponit scientiam illam debere intelligi, scientiam simplicis intelligentiæ: non autem scientiam visionis. De quibus quæ sint vide infra. d. 36. Neque propter hoc verbum procedit à creaturis, neque à persona Spiritus sancti:

Ad. 2.

N licet

licet sit expressiuum earum, quia creaturæ non cognoscuntur per scientiam acceptam ab ipsis creaturis, sed cognoscuntur per diuinam essentiam. Scotus hac dist. quæst. 3. præcipue litera L. & dist. 32. quæst. 1. & quodlibeto. 8. art. 3. & in reportatis hac dist. quæst. 6. tenet quod realiter loquendo verbum non includit in proprietate sua personali aliquem respectum per se proprium ad creaturas. Quia ille respectus est rationis, & quicquid includitur per se in constitutio personæ diuinæ est reale, prout reale distinguitur contra ens rationis, & quicumq; respectus ad creaturas est communis tribus diuinis personis. Sed loquendo de significato huius nominis, verbum, quia in ipso importatur respectus realis ad patrem, si importatur respectus ad creaturam, vt dictam vel causatam, quia ille est rationis, & respectus realis, & rationis, non faciunt aliquid per se vnum, sequitur, quod verbum, aut non significat vnum per se conceptum, quia significat præfatos duos respectus, aut, si habet vnum tantum conceptum alterum illorum respectuum significat, alterum solum connotat. Et sic in opinione Scoti verbum non procedet à scientia creaturarum, sed ab essentia ex vi suæ productionis. Neque esse declaratiuum, aut expressiuum erit illi proprium, sed appropriatum.

Propos. 7. Filius Dei dicitur verbum in quantum procedit per modum intellectus. Sed in quantum procedit per modum naturæ dicitur filius. Idcirco habendo respectum ad æternam emanationem, & ad creaturas modo exposito in præcedenti, nominatur nomine verbis: sed habendo respectum ad incarnationem expressius nominatur filius, vt in eo consideretur filiatio æterna, & temporalis: quanuis vtroque modo dici possit, vt Ioan. 1. Verbum caro factum est.

Propos. 8. Imago in diuinis est nomen personale, & secundum doctores Latinos est proprium filio, quia imago est similitudo totius & hoc ex vi suæ productionis: ideo dicitur in litera, filius solus est imago patris, iuxta id Heb. 1. Cum sit splendor & figura substantiæ patris. Ex quo fit, quod non dicitur ad se, sed dicitur relati-
uè. Vide sequentem dist. & de imagine Thom. 1.

p. q. 35. Alex. 1. p. q. 61.

DIS-

DISTINCTIO XXVIII.

De proprietatibus notionalibus.



Ngenitus dicitur relatiuè de solo patre. Magister in litera. Vide supra. d. 13. p. 4. Annotat & Magister ex Ambrosio, quomodo Arriani ex hoc probare nitentur patrem, & filium alterius esse substantiæ. Propter quos hæreticos Ambrosius volebat vt hoc vocabulo, seu termino. Vide ad hanc & Alex. 1. p. q. 69. M. 3. & 4.

Sapientia genita, vel nata, idem est, quod verbum: filius, & imago, atq; ibi sapientia non sumitur pro essentia, sed pro hypostasi cum sua proprietate. Vide literam.

Imago aliquando dicitur secundum essentiam. Vt Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Probat Magister ex Augustino de fide ad Petrum dicente, Vna est sanctæ Trinitatis essentialiter diuinitas, & imago, ad quam factus est homo. Citat etiam & Hilarium. Vbi tamen aduerte, quod ibi sumitur imago, non pro exemplato, quod ad similitudinem alterius producitur: cum Trinitas ad nullius similitudinẽ fuerit producta: sed sumitur pro exemplari, ad cuius similitudinem factus est homo, qui homo bene dicitur imago Trinitatis. Et ad imaginem: filius dicitur imago non ad imaginem. Alexan. p. 1. q. 61. M. 3.

DISTINCTIO XXIX.

De principio, quod dicitur multipliciter.



N diuinis vtimur nomine principij respectu diuinarum, non autem nomine causæ. Ratio est, quia principium est, vnde est aliquid: & vna persona diuina est ab alia. Causa videtur importare diuersitatem

N 2

substan-

Propos. 1.

Propos. 2.

Propos. 3.

Propos. 1.

substantiæ causæ ad causatū. Doctores tamen Græci utuntur indifferēter nomine causæ, sicut & principij. Vide Tho. 1. p. q. 33. ar. 1.

Proposi. 2. Pater est principium filij, pater & filius principium Spiritus sancti, ipsa Trinitas creaturarum. Inde Ioan. 8. quærētibus, Quis esset, respondit Christus, principium, qui & loquor vobis, id est, creator. Et in cap. 1. In principio erat verbum, id est, in patre filius. Quod pater sit principium filij, & pater & filius Spiritus sancti, est ab æterno: quod Spiritus sanctus sit principium habet ex tempore, quia nō dicitur principium, nisi creaturarū, quæ sunt ex tempore. Non sunt autem pater & filius duo principia Spiritus sancti, sed vnum, & Trinitas vnum principium creaturarum. Hæc omnia Magister in litera, Alex. 1. p. q. 70. M. 1. & 2. Et cum dicit Magister ex Augustino, quod pater est principium totius deitatis, vel diuinitatis, intelligitur omnium personarum in deitate, se tamen excepto. Sicut dicimus, cælum continet omnia, videlicet, se excepto. Vide ad hanc sup. d. 12. Ex his infertur, quod non est idem esse principium æternum, & ab æterno: quia in prima se tenet principium ex parte suppositi, seu ipsius principij. In secūda se tenet ex parte principij, quod si est ex tempore est falsa. Itā docet citatus Alex. Item sequitur, quod principium dicitur notionaliter, seu personaliter: & essentialiter, & quod analogicè dicitur de Deo respectu personarum, & creaturarum: quia vt ad intra dicit relationem realem, ad creaturas rationis. Sumpto personaliter concedimus. Principium est de principio, id est, Filius de Patre.

DISTINCTIO XXX.

De nominibus relatiuis, quæ dicuntur de Deo ex tempore.

Proposi. 1. **N**OMINA Importancia respectum Dei ad creaturas dicuntur de Deo ex tempore: vt creator, Dominus, & similia. Ratio est, quia cū relatio sit inter duo extrema, vno illorum non existente definit esse relatio: hoc est destructo fundamēto, aut termino relationis ipsa nō est. Cum

Cum igitur creaturæ non fuerint ab æterno, sed ex tempore, Dei ad illas non est relatio, nisi ex tempore.

Hæc nomina in Deo non ponunt aliquam mutationem, sed in ipsis creaturis: & sic in Deo est relatio rationis. Exemplum est de nummo, qui sine sui mutatione fit pignus, pretium, & donū: ita ex mutatione creaturarū dicitur Deus, Dominus, Creator, & Pater noster. Videatur Magister in litera. Qui & dicit, quod quāuis Deus non coeperit esse Dominus temporis ex tempore, quia non semper fuit tempus: coepit tamen esse Dominus temporis. In ipsis creaturis est relatio realis, sicut in Deo rationis.

Proposi. 2.

DISTINCTIO XXXI.

Quid significant hæc nomina relatiua, æquale, & simile in diuinis: item de appropriatis personarum.



Neo, quod dicit Magister quod æquale, & simile nihil ponunt in diuinis, sed tantum remouent, hoc est, dicuntur priuatiuè, sicut. d. 24. de nominibus numeralibus, non tenetur.

Proposi. 1.

Æqualitas in diuinis, quæ est relatio fundata super vnitatem quantitatis virtualis, & similitudo, quæ fundatur in creaturis super vnitatem in qualitate, & in diuinis respondent attributa, denotant distinctionem personarum, & vnitatem essentiæ. Atq; ista est mutua relatio inter diuinas personas, itā quod pater est æqualis & similis filio, & è conuerso. In quantum vero addunt super hoc rationem originis, vt æqualis dicatur quasi adæquatus: & similis quasi assimilatus, non est mutua relatio, & æquiparantia. Quoniam per verba significantia motum non fit relatio mutua. Nam dicimus, quod filius coæquatur patri non tamen è conuerso. Vide Bona. hac. d. num. 14. & Alex. 1. p. q. 54. & Tho. 1. p. q. 42. arti. 1. ad. 3.

Proposi. 2.

Æqualitas, & similitudo in diuinis si dicat relationem realem, aut tantum rationis duplex opinio est. Magister in litera dicit quod est appellatio tantum relatiua, id est, quod formaliter nominat

Proposi. 3.

N 3 respe-

respectum secundum rationem; ita ibi exponit Ricardus. Hanc sequitur Thomas citato loco ad quartum. Quia æqualitas in diuinis tria includit, vnitatem essentia, realem distinctionem personarum, & relatiuam appellationem, qua formaliter denominantur æquales. Prima duo ponunt aliquid in Deo. Appellatio relatiua nihil reale ponit in Deo: quia præter essentiam & personas nihil aliud est considerare in Deo reale. Et Caieta ibi, in fine dicit, esse concedendam in diuinis æqualitatem veram, perfectam, primam & summam, sed non in quantum est relatio realis. Eandem tenet Ricar. arti. 1. quæst. 2. Et per hoc in quæst. 1. ad. 3. vult saluare Magist. quod velit dicere, quod hæc nomina non ponunt in Deo aliquid reale, sed rationis, licet ipsa æqualitas ponat in Deo veram rem, quæ est quantitas virtualis tanquam fundamentum relationis. Scotus hac dist. dicit, quod identitas, similitudo, æqualitas, sunt relationes reales in Deo: quoniam secundum Scotum ad relationem realem tria sufficiunt, fundamentum reale, & terminus realis. Secundum est distinctio realis extremorum. Tertiū, quod ex natura extremorum, scilicet fundamenti & termini sequatur illa relatio sine opere alterius potentia. Quæ tria videntur esse in proposito.

Propo. 4.

Proprium, & appropriatum differunt: quia proprium ita est vnius personæ, quod non alterius: appropriatum conuenit tribus personis sed appropriatur vni propter conuenientiam cum eius proprietate, & notificat proprium illius personæ. Ex Hilario in litera appropriatur æternitas patri, quia patris proprietatis est non habere principium. Speciei pulchritudo filio, qui est patris imago. Vfus, qui est actus voluntatis muneri, id est Spiritui sancto, ex Augustino. Vnitas patri: quia vnitas est principium numeri, & inter tres intentiones generales prima, quæ sunt, vnitas veritas, bonitas. Æqualitas filio, quia est imago, & secunda persona in Trinitate, & æqualitas ad minus requirit duo extrema. Concordia, quæ pertinet ad voluntatem Spiritui sancto, qui procedit per modum voluntatis. Appropriatur etiam patri potentia: quia à nullo principiatur, sapientia filio, qui procedit per modum intellectus. Bonitas Spiritui sancto, qui procedit per modum voluntatis. Aliam appropriationem potentia, sapientia, & bonitatis per dissimilitudinem, vide infra in litera dist.

34. ex

34. ex Augustino. Appropriationem illius ex ipso, per ipsum, & in ipso, vide in dist. 36. Doctores scholasticos tam hac distinctionem. 34. & 36. Alexan. 1. part. quæst. 67. Thomā. 1. par. quæst. 39. artic. 7. & 8.

Propo. 5.

Pater, Filius, & Spiritus sanctus dicuntur esse vnum, non tamen vnus, nisi cum additione, scilicet vnus Deus, aut simile. Magister in litera. Ratio est, quia vnum neutraliter denotat essentiam: vnus masculinè personam, cum illo addito, scilicet, Deus, denotatur quid est ille vnus: vel foemininè dicendo sunt vna essentia. Afferit Magister illud Ioan. 10. Ego & pater vnum sumus. Per quod, vt dicit Augustinus, liberamur ab Arrio, qui posuit patrem, & filium diuersæ naturæ: & à Sabellio, qui posuit tantum vnā personam in diuinis. Citatur in litera. Bona. hac. dist. num. 45. dicit, quod, vt possit dici vnum simpliciter, requiritur cōformitas simpliciter, & illa consistit in tribus, scilicet, in natura, in voluntate, & in operatione. Ideo. 1. Corinth. 3. Paulus, & Apollo, quia erant eiusdem naturæ homines: eiusdem intentionis: & eiusdem prædicationis dicuntur vnum. Si autem sit conformitas solum in natura, dicuntur vnum secundum aliquā determinationem, vt vnum specie: aut genere. Si sit conformitas in voluntate, dicuntur vnus spiritus: qui dicit amorem. Si in operatione & natura dicuntur etiam cum addito vnum, vt fornicator, & meretrix vnum corpus. 1. Corinth. 6.

DISTINCTIO XXXII.

Si pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto? Si pater est sapiens, sapientia genita? Et similiter Filius?



Sta non est concedenda: Pater est sapiens sapientia genita. Sic docet Magister ex Augustino: Alex. 1. p. q. 67. M. 3. ar. 2. §. 3. Et aduerte, quod in his potius est quæstio de modo dicendi, quā de re. Ratio, quare ista negatur, est, quia ille ablatius notat habitudinem principij. Quod principium potest se habere tripliciter: vel, vt efficiens

Propo. 1.

efficiens: vel, vt formale: vel vt principians Filius nullo modo est principium patris, neque, vt efficiens, vel principians: neque, vt formale, quo pater sit: quia tale vt formale est essentia. Et sic, q̄ est tribus personis essentialiter, æquè tribus conuenit per essentiã vt quo. Nam si petas, quo pater est Deus? respondetur, deitate, seu essentia. Quò pater sapit? essentia. Similiter de alijs personis.

Proposi. 2. Ista bene conceditur, Pater verbo creat, pater verbo dicit omnia, vt habes. d. 27. p. 6. Annotat Scotus hac. d. quod dicere potest capi tripliciter. Vno modo essentialiter: & sic tribus personis conuenit. Isto modo sumpsit Anselmus, Monologij. 63. cū ait, Nihil aliud est summo spiritui dicere, quam quasi cogitando intueri. Et sic omnes tres sunt vnus dicens: sicut sunt vnus Deus. Alio modo notionaliter: & sic conuenit soli patri. Tertio modo partim essentialiter, & partim notionaliter: essentialiter in quantum conuenit tribus: notionaliter, quoniam vni personæ appropriatur. Nam secundum Scotum esse declaratiuum, seu expressiui conuenit verbo ex appropriatione: ex qua appropriatione dicitur potentia operatiua patris.

Proposi. 3. Ista potest concedi. Filius est sapiens sapientia ingenita, capiẽdo ingenitum notionaliter pro patre. Et tunc ille ablatius dicit principium principiatium, à quo est filius, & habet hunc sensum, filius est sapiens de sapientia ingenita, hoc est, habet à patre quod sapiens sit. Vide Magistrum in litera, vide Alex. vbi supra. §. 4. Inde Ioan. 7. dixit Christus. Mea doctrina non est mea, id est non habeo illam à me, sed à patre. Conceditur etiam, quod filius est sapiens seipso: per seipsum, & sapientia genita, quæ omnia idem sunt: non tamen quod sit à seipso. Vide in litera.

Proposi. 4. De ista, pater & filius diligunt se Spiritu sancto, quæ visa est Magistro tam difficilis, quod eam indeterminatam reliquit, variaz sententiæ sunt, vt est videre in Scoto hac. d. & in Bona. q. 1. in Tho. 1. p. q. 37. arti. 2. Propter reuerentiam Augustini, qui illã asseruit, vt est videre in litera, dico quod est concedenda. Cuius hæc est interpretatio: Diligere sumitur essentialiter: & isto modo non se diligunt Spiritu sancto, sed sua essentia. Et hoc vult dicere Augustinus, In illa Trinitate quis audeat dicere patrem nec se, neq; filium, neque Spiritum sanctum diligere, nisi per Spiritum sanctum?

sanctum? Alio modo sumitur notionaliter: & sic diligere est spirare amorem, sicut dicere est producere verbum: florere in arboribus est producere flores, Spiritus sanctus, vt ait Scotus, ex vi sue productionis non proprie sed appropriate est amor omnis amati, & ideo habet aliquam relationem rationis ad sic amatũ. A qua habitudine denominari possunt pater & filius, qui sunt principium Spiritus sancti importaturque illa habitudine per hoc verbum diligere. Valet igitur propositio. Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, cui Spiritui sancto appropriatur amor. Pater, & filius diligunt nos amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto: sicut cõceditur, pater verbo dicit se, & creaturas. Eadẽ quæstio potest esse de Spiritu sancto, si procedat, vt amor essentiæ, aut, vt omnis diligibilis: sicut fuit quæstio de Verbo. d. 27. Scotus negat in. 2. d. 1. art. 2. Caiet. 1. p. q. 34. art. 3. non reputat inconueniens concedere, sicut de verbo. Secundo dicit nõ esse simile, quia amor respicit res amabiles in seipsis: verbum in intellectu.

DISTINCTIO. XXXIII. De Proprietatibus, an sint idem quod personæ? Et an sint idem quod diuina essentia? Ad hanc vide in. d. 8. de simplicitate Dei & d. 26. Et in. 27. errorem Gilberti Porretani, contra quem est Magister hîc.

DISTINCTIO XXXIII.

Comparat personas ad essentiam, quantum ad entitatem & prædicationem: & de nomine, homouision: Et de nominibus translatis.

Istæ propositiones nõ sunt cõcedendæ: Vnus Deus trium personarum, vel tres personæ vnus Dei. Quoniã cum hæc vox, Deus, significet rationem principij effectiui forte acciperetur in diuinis, sicut cum dicitur, Deus Abraham, Isaac, & Iacob propter seruitutem, & subiectionem. Quam rationem, quia non significat essentiã, con-

concedimus tres personas vnius essentia, vnam essentiam trium personarum.

Propos. 2. Potentia attribuitur Patri, sapientia Filio: ne sicut in creaturis, quia pater est prior, solet ex antiquitate notari defectus & impotentia: in filio ex posteritate imperfectio, & insipientia, ita putaretur esse in diuinis. Bonitas Spiritui sancto, quia nomen spiritus videtur esse inflationis, & tumoris, ne ergo putaretur Spiritus sanctus esse crudelis, aut inflatus. Petrus Abailardus haereticè asseruit, potentiam esse propriam patris, sapientiam filij, benignitatem Spiritus sancti, & non appropriatas.

Propos. 3. Hoc nomen homouision valet in Græco, quod in Latino eiusdem substantiæ: & fuit in ecclesia defensum contra Arrianos. De his tribus vide in litera.

Propos. 4. Translatio nominum ad diuina debet fieri secundum piam similitudinem & catholicam. Magister in litera. Vnde annotat Bona. hac distin. nume. 32. quod finis translationis est duplex. Vnus laus Dei, vt ex omni creatura laudetur, & ne inopia vocabulorum cessaretur à laude: imò qui excellit omne nomen laudetur ex omni nomine. Alius est manu ductio intellectus nostri ex creaturis in cognitionem Dei. Sed quoniam finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem, nomina importantia deformitatem non transferuntur, quia non facerent ad laudem. vt bufo, vulpes. Neque similiter nomina propria angelorum, ne angelus credatur esse Deus: quoniam magna similitudo mater est falsitatis. Hæc Bona. Vide & Alex. 1. p. quæst. 1. M. 4. arti. 5. & q. 55. & Thom. 1. p. quæst. 1. artic. 9. & q. 13. artic. 3.

DISTINCTIO XXXV.

De scientia Dei.

Propos. 1.



B hac distin. tractat Magister de potētia, sapiētia, bonitate, vt sunt essentialia. Sapientia & scientia Dei cū sit vna propter diuersos rerum status, & effectus diuersos habet plura nomina. De omnibus futuris vocatur

catur præscientia: de faciendis dispositio: de saluandis prædestinatio: de gubernandis prouidentia. Magister in litera. & Alex. 1. par. quæst. 23. M. 1. Qui Alex. q. 26. M. 2. dicit, quod sumendo communiter idem est prouidentia quod dispositio. Strictè dispositio respicit res, vt fiant in numero, pondere & mensura sap. 11. alia sursum, alia deorsum. Prouidentia respicit res postquã sunt factæ, vt perficiantur, permaneant & gubernentur. Atque hæc quatuor, vt dicit Magister dicuntur ad aliquid: quia si nihil esset futurum non dicerentur de Deo.

Deus habet scientiam certam & immutabilem sui & omniū. *Propos. 2.* Hæc est contra Albanenses dicentes quod Deus non præscit, aliquid quod malum ex se: sed præscit per aduersarium, id est, per dæmonem: neque distinguunt de malo culpæ, vel pœnæ. Probatum conclusio, per scripturas vtriusque testamenti. Genes. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat psal. 93. Vocantur insipientes, qui dixerunt, Non videbit, neque intelliget Deus Iacob. psal. 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me, Iob. 12. Apud ipsum est sapientia, & fortitudo: ipse habet consilium, & intelligentiam: ipse nouit & decipientem, & eum, qui decipitur, adducit consiliarios in stultum finem. Ecclesi. 16. Non dicas à Deo abscondar. Rom. 4. Vocat ea, quæ non sunt. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, Hebr. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. De malis tam culpæ, quam pœnæ. Exod. 6. Sciebat peccatum Pharaonis: & illius peccati pœnas: Ioan. 6. Ab initio sciebat Iesus, qui essent credentes: & quis traditurus esset eum. Lucæ. 16. Præuidens pœnam venturam fleuit super Hierusalem. Hanc è solo lumine naturali confitentur & barbaræ nationes, quæ suas orationes ad Deum, siue verum siue falsum dirigunt: iniurias ab illo vindicandas credunt. Vnde est illud Ilionei ad Didonem. 1. Aneid. Si genus humanum, & mortalia temnitis arma, At sperate Deos memores fandi, atque nefandi. De his duabus vide Magistrum.

Hæc scientia non est discursiua, quia esset imperfecta, & Deus esset potentialis, Vide Alexan. vbi supra. q. 23. M. 2. Sed quia Deus cognoscit se quantum est cognoscibilis, hoc est, comprehendit se: ita quod suum intelligere adæquatur suo intellectui, sic quod

Corol. 1.

Corol. 2.

neq; excedat, neq; excedatur, cum suum intelligere sit suum esse. Cognoscendo ergo se & suam virtutem, cognoscit omnia, ad quæ sua virtus se extendit vna, & eadem notitia, qua se ipsum cognoscit. Et sic scientia Dei, neq; est dicenda, scientia, quia: neque, propter quid, vt in rigore physico sumuntur hi termini: quoniã præfati termini exigunt discursum, in quo est motus de vno ad aliud. Deus verò est primum mouens, non motum. Habet verò aliquam similitudinem cum scientia, propter quid, quoniam cognoscit Deus ex semetipso tanquam ex causa omnes effectus. ¶ Inde etiam constat, neque dicendam esse vniuersalem: neque particularem: cum eius obiectum, neque sit vniuersale, neque sit particulare, sed vna & simplicissima essentia. Ita docet Thom. 1. par. quæst. 14. artic. 1. ad. 3. Contrarium tamen tenet Durandus hac dist. quæst. 4. volens, quod sit vniuersalis ab obiecto secundario, scilicet, à scibilibus ad quæ se extendit. Imò vult, quod non sit vna scientia, sed plures secundum rationem: quia scientia quæ in nobis sunt plures secundum rem, in Deo sint plures secundum rationem. Secundo infertur, quod sicut de Deo dicuntur diuersa tempora, vt supra. dist. 9. similiter scientia Dei, quia cognoscit principia, vocatur intelligentia: propter conclusiones, scientia: quia cognoscit altissimam causam, sapientia, quia cognoscit agibilia, prudentia, & consilium. Thomas vbi supra ad secundum. Durandus hac. dist. quæst. 3. ad. 1. dicit, quod non est scientia respectu omnium, quia non respectu sui, neque respectu particulariũ, quod licet sit verum in rigore physico, tamen sancti & scriptura eam vocant simpliciter scientiam, intelligendo nomine scientiæ notitiam certam, euidentem, inuariabilem. Quod si quæras, an scientia Dei sit practica, vel speculatiua? dictum fuit in. 13. p. prologi, quod respectu sui ipsa est speculatiua: respectu aliorum dicunt aliqui Doctores quod nec est purè speculatiua neque purè practica: sed participat cum vtraque. Nam respectu rerũ cognitarũ ipsa est practica, quoniã est respectu operabilium, maximè illarum, quæ aliquo tempore fiunt. In quibus vltra hoc, quod sunt res operabiles de se, accedit ratio finis practicæ, qui est opus. Quoniam autem modus illas cognoscendi est speculatiuus, videlicet, cognoscendo diuisiones, diffinitiones, habitudines, & vniuersa prædicata, vt

quan-

quando artifex humanus considerat in sua arte operabilia, sed tantum vt cognoscat, illa cognitio est speculatiua, quanuis de re operabili: ita in Deo per prius consideramus scientiam simplicis intelligentiæ, qua cognoscit omnia, quam voluntatem, qua vult illa fieri. Quæ postquam voluntas determinat fienda consideramus, quòd intellectus diuinus dicet rectum quod fiant. Et sic voluntas diuina non determinatur per scientiam practicam, sicut determinatur voluntas creata. Vide Ricard. hac. d. q. 5. Scot. infra. d. 38. tenet quòd simpliciter est speculatiua.

DE IDEIS.

Iuxta communem sententiam omnium catholicorum in Deo sunt ideæ rerum illarum, quæ sunt extra ipsum. Ita docent communiter scholastici hac. d. Ricard. d. sequenti. Tho. 1. p. q. 15. per totam. Primus qui ideas nominauit fuit Plato. Videatur dialogus, cui titulus Parmenides, siue, de vno omnium principio. Seneca lib. 8. epistolarum, epistola. 1. quæ est in ordine. 59. ponit definitionem ideæ secundum Platonem, & eius interpretationem. Definitio est: idea est eorum, quæ naturaliter fiunt, exemplar æternum: vt artifex facturus imaginem facit ad exemplar quod in mente habet. Et ponit differentiam inter ideam, & idos. Quoniam idea exemplar est: idos forma ab exemplari sumpta. Alteram artifex imitatur, alteram facit. Idos in opere est: idea extra opus, nec tantum extra opus, sed ante opus. Aristoteles imponit Platoni, quòd posuerit has ideas per se existentes. Quidam dicunt id falso imponi Platoni. Inter nostros Theologos additur præfate definitioni, quod sit exemplar, ad quod aspiciat agens liberum, determinans sibi finem. Quoniam pater generans non est idea filij geniti: quoniam licet sit in potestate hominis tendere ad actum generationis, non tamen est in eius potestate dare genito naturam, & qualitates ipsam consequentes. Et definitur sic. Idea est forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. Ex qua infertur, quòd nos non habemus ideam eorum, quæ à casu fiunt, neq; eorum, quæ ex necessitate, & præter libertatem nostram. Scotus hac. d. litera. I. de-

Propos. 4.

Corol.

finit ideam, sed ut est in Deo: Est ratio aeterna in mente diuina, secundum quam aliquid est formabile extra, secundum propriam eius rationem.

Propos. 5. Cui competat in Deo dici ideam, opiniones sunt. Quæstio verò duntaxat est de nomine, quia in re omnes cōueniunt, scilicet, quòd Deus sit omnium causa, quòd se & omnia vnica, & simplicissima notitia cognoscat, quòd omnia alia in Deo non habeant aliud esse, quam habent effectus in causa illos eminentissime cōtinenti. Scotus hac. d. tenet, quòd dici ideam conuenit ipsis creaturis cognitis à mente diuina: ita quòd homo cognitus est idea, & exemplar, ad quod fit homo. Cum eo est Gabriel hac. d. q. 5. art. 1. conclus. 4. Citat pro ea Gersonem in lib. de vita spirituali: Petrum de Aliaco in. 1. q. 6. art. 3. dicentem, quod Ocham hanc materiam, valde pulchrè determinauit, qui Ocham fuit huius opinionis hac. d. q. 5. quoniã Plato, cuius sententiam tenet August. 83. q. q. 43. ideam hominis dixit esse hominem, vel quidditatem hominis. Neq; Augustinus differt à Platone, nisi, quia Plato ponit illas per se existentes, Augustinus ponit illas in mēte diuina. Item communiter ponuntur plures ideæ. Vnde idem August. dicit, qd alia ratione conditus est homo, alia equus. Cū eis est Durandus hac. d. q. 3. ar. 8. dicēs, qd intellectus diuini est duplex obiectū. Primū & principale, quod est essentia. Aliud secundariū, id est, res creabiles, & hoc est idea. Et sic patet quomodo sint plures ideæ.

Alia opinio tenet, quod essentia diuina imitabilis à creatura est idea. Hæc est mens Alex. 1. p. q. 14. M. 4. ita, quòd nō dicit solam essentiam, sed ipsam cum relatione ad exemplatum, sicut saluator, & creator. Est q; essentia & ista relatio, non ut partes componentes vnā communem rationem, sed ut res & modus: ut determinabile, & determinatio, ut commune & proprium. Hæc autem opinio diuiditur, quia potest considerari essentia diuina, ut in se imitabilis à creatura, alio modo, ut cognita, ut imitabilis. Et isti duo modi differunt, ut dicit Ricard. d. 36. art. 2. q. 2. quoniam primus præcedit secundum rationem intelligendi. Quia enim diuina essentia est imitabilis, ideò cognoscitur, ut imitabilis, & non è conuerso. Et hic modus ponit in Deo respectum rationis, ut in potētia ad creaturā, in creatura respectū realem in potentia ad Deū, & sic Deus cognosceret creaturam per ideam. Ad hunc

hunc sensum videtur tenere S. Bona. hac. d. q. 1. dicens, Deus cognoscit per ideas, & habet in se rationes & similitudines rerum, quas cognoscit, in quibus non tantū ipse cognoscit, sed etiā aspicientes in eum, & has rationes vocat August. ideas & causas primordiales. In. q. 2. & 3. apertè dicit, quòd idea significat diuinam essentiam in respectu ad creaturam. Secundus modus (scilicet, essentia cognita, ut imitabilis) ponit in Deo respectum rationis in actu ad creaturam, & connotat in creatura respectum rationis ad Deum in actu, & respectum realem in potentia. Et sic Deus non cognoscit per ideam, quia respectus ideales non ponuntur necessarij, etiā in opinione Scoti, & nominaliū, ad hoc, ut Deus distinctè intelligat creaturas, quia vilesceret eius intellectus mendicando cognitionem à respectibus rationis, sed ponuntur ad producendas creaturas. In hoc sensu videtur hanc secundam opinionem tenere Thomas. 1. p. q. 15. art. 1. ad tertium, & clarius ar. 2. ad 3. dicens. Respectus, quibus ideæ multiplicantur, non causantur à rebus, sed ab intellectu diuino comparate essentiam suā ad res. Et ibi Caieta. Ad hunc sensum interpretatur Thomam. Ricardus pro utroq; horum intellectuum facit rationes, & soluit. ¶ Ex dictis patet, quomodo in ista opinione sint in Deo plures ideæ, quia sunt plures respectus rationis in diuina essentia ad creaturas producibiles.

Corol.

In Deo sunt ideæ omnium factibilium etiam si nunquā fiant. Hanc tenet Tho. 1. p. q. 15. ar. 3. Probat ex Platone, qui posuit ideas esse principium cognitionis rerum, & generationis ipsarum. Secundum, quod idea est principium factionis dicitur exemplar, secundum quod principium cognitionis proprie dicitur ratio. Ad utrumq; igitur se habens idea, ut est exemplar se habet ad omnia, quæ sunt: secundum quod ratio ad omnia, etiam si nunquam fiant.

Propos. 6.

Mala, & priuationes non habēt ideam in Deo. Ita tenet Alex. 1. p. q. 23. M. 4. ar. 2. Ricard. d. 36. ar. 2. q. 4. Vbi & tenet, quod neq; bonorum possibilibus, quæ nunquam fient, sint ideæ in Deo, in quo contradicit præcedenti. Sed concordatur per hoc, quòd negat ideam proprie loquendo de idea, ut est exemplar, non tamē rationem cognitionis, quæ includitur in idea, & pertinet ad speculationem: idēa verò ad practicam Dei cognitionē. Sed probatur

Propos. 7.

propositio

propositio, quoniam respectu cognitionis malum cognoscitur per bonum: & priuationes per habitus. Respectu factionis, Deus non est autor malorum, ergo nullo modo est in Deo idea illorum, quamuis cadant sub cognitione eius in quantum mala permittit, & ordinat, sicut cadunt ægritudines sub scientia practica, medici in quantum per illam curantur.

Proposi. 8. Materia prima & accidentia habent in Deo ideam distinctam ab idea totius compositi. Hæc est contra Thomam ubi supra, ad tertium argumentum. Sed docetur à Ricardo ubi supra, ad primum argumentum dicente, quod non tantum est idea rerum per se factibilium, sed cuiuscunque creaturæ, etiam si concreetur ut accidentia. Sed probatur propositio. Quoniam accidentia sunt factibilia sine subiecto, sicut sunt conseruabilia in sacramento altaris. De genere, specie, differentia, Thomas citatus apertè dicit, quod genera non habent ideam aliam ab idea speciei, quia nunquam genus fit, nisi in aliqua specie. Gabriel hac dist. quæst. 5. art. 1. conclus. 5. dicit, quod si tantum habent esse obiectiuum in mente non sunt ideæ illorum. Si tamen sunt qualitates mentis singulares in existendo, communes tantum in prædicando, sunt illorum ideæ, sicut aliorum singularium.

Proposi. 9. In Deo sunt ideæ infinitorum, sed extendendo nomen ideæ ad rationes rerum cognoscitiuas, ut exponit Ricard. ar. 2. quæst. 5. Et ita dixit Bonauent. hac dist. quæstio. 5. quod sicut diuinæ sapientiæ non est numerus Psalm. 146. ita neque rationum, per quas diuina sapientia cognoscit. Sumendo tamen ideam proprie, & secundum vtramque rationem, quam dicit, ut supra p. 6. quia Deus non producet infinita, videtur aliquibus, quod non sint infinitæ: alijs è contrario ex triplici suppositione. Prima, quia in Deo sunt ideæ singularium. Secunda, quia in Deo nulla est idea de nouo. Tertia, quia singularia, sicut cognitiones creaturæ rationalis, succedent sine fine, quia respectu rerum in proprio genere beati habebunt cogitationum alterationes.

DIS-

DISTINCTIO XXXVI.

Quomodo sint res in Deo illas cognoscente.



Scientia Dei, ultra ea, quæ dicta sunt, tripliciter nominatur. Videlicet, simplicis intelligentiæ, propterea, quod vnica & simplicissima notitia nouit omnia. Scientia visionis, ex eo, quod sicut nos ea, quæ habemus præsentia, dicimus, videre, ita Deus, cuius æternitas coexistit temporibus nostris videt præterita, præsentia, & futura. Et hæc scientia non est de possibilibus, quæ nunquam erunt, vide infra. d. 39. Tertia acceptio est de scientia approbationis. De qua loquitur Magister hic in litera: ubi docet, quod Deus non cognoscit mala. Vnde est illud psal. 137. Alta à longe cognoscit. Et psal. 16. De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Vbi dicit August. Abscondita peccata sunt, quæ à lumine tuæ veritatis absconduntur Matth. 25. Nescio vos, id est, non approbo. De hac vide Alex. 1. p. q. 23. M. 4. ar. 5.

Creaturæ, siue creaturarum perfectio essentialis, quæ eadem est cum creatura, continetur in Deo tripliciter. Obiectiuè, quod nihil aliud est, quam à Deo cognosci. Virtualiter, quod est contineri, sicut, effectū producibilem in sua causa: hoc est, produci, vel posse produci à Deo. Eminenter, & est Deum esse perfectiorem illo, quod continetur. Hanc vide in Gabriele hac. d. ar. 1. conclus. 2. Vbi respectu primi modi ait, quod si vsitatum esset ista posset concedi, Albedo, quæ est in pariete, continetur in oculo.

¶ Ex hac infertur, quid velint dicere sancti quando dicunt, omnia esse in Deo, quia valet tantum, sicut cognosci esse producibilia, & esse imperfectiora Deo. Nam dicere, quod relucent in ipso, tanquam in speculo, est metaphora. Non enim Deus est verum speculum, ut aliqui falso imaginantur, & probè docet Ocham in 4. q. 13. prope finem, quia creatura in Deo non habet, nisi duplex esse prædictum, sicut in causa, scilicet, virtualiter, hoc est, potente causare, aliud in cognitione, & volitione, quæ idem sunt, scilicet, obiective, ut dictum est.

Ista non est concedenda, Omnia sunt in Deo per essentialiam.

P

tiam.

tiam. Neq; ista, Omnia sunt in diuina essentia. Magister in litera, Dat rationem, ne, scilicet, intelligantur esse eiusdem essentiaē cū eo. Breuib; verbis ab scholasticis id isto modo negatur. Creaturæ non sunt in Deo formaliter, neq; essentialiter. Item ex alia ratione negatur sic. Creaturæ non sunt in Deo subiectiue, id est, Deus non est subiectum illarum. Vide & Alexand. 1. p. quæst. 23. M. 4. ar. 1.

Propos. 4. In illis verbis apostoli Romanorum. 1. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ly, ex, per, & in, pro eodem sumuntur. Magister in litera. Quod est, ab ipso sunt tanquam à cognoscente, & autore. Vide sanctum Basilium lib. de Spiritu sancto ad Amphilochem cap. 5. docentem has tres particulas tribus personis conuenire, hoc est, iuxta nostram Theologiam dici de Deo essentialiter: ita quod ly, ex, non est propria patris. Dicitur enim de filio, Coloss. 2. Nemo vos seducat, non tenens caput. 1. Christum, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum crescit in augmentum Dei. Luca. 8. Noui virtutem de me exisse. Dicitur & de Spiritu sancto. Matth. 1. Quod in ea natum est de Spiritu sancto est. Galat. 6. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Neq; ly, per, est propria filio. Dicitur de patre. 1. Corinth. 1. Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem filij eius Iesu Christi Rom. 6. Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vite ambulemus. De Spiritu sancto. 2. Timoth. 1. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Et. 1. Corin. 12. Alij per spiritum datur sermo sapientiaē & cætera. Neq; ly, in, est propria Spiritus sancti. Dicitur enim de patre. 1. Thessa. 1. Paulus, & Siluanus, & Timotheus ecclesie Thessalonicensium in Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Ecce tam de patre, quam de filio. Coloss. 1. De filio loquens. Qui est imago Dei primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso cõdita sunt vniuersa. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis ecclesie. Idem sine his autoritatibus docet Magister in litera.

Propos. 5. Quamuis hæ particulae dicantur essentialiter, in eis tamen distinctio personarum indicatur. Magister in litera. Ita quod ly, ex, quia notat principium appropriatur patri ly, per, filio: quia est

est nota principij, quo artifex per artem operatur. Ly, in, notat continentiam, quæ pertinet ad bonitatem & appropriatur Spiritui sancto: vt sit sensus. Ex patre per filium in summa bonitate sunt omnia.

Non omnia, quæ dicuntur esse ex Deo, debent dici esse de Deo. Magister in litera. Probat ex Augustino, quia non idem significat ex ipso, & de ipso. Potest enim dici, ex ipso, quod est de ipso, non tamen è conuerso. Quia ly, de, notat consubstantialitatem, vt ibi, Deus de Deo, lumen de lumine: & potest dici De⁹ ex Deo: creaturæ tantum dicuntur esse ex ipso.

Ex eo, quod omnia sunt in Deo, dicuntur esse vita in eo, quia scilicet, semper sunt in eius scientia, quæ vita est. Magister in litera. d. 35. Vide Bona. d. 36. num. 18. Ricard. eadem. d. art. 1. q. 3. Thom. 1. p. q. 18, art. 4. Asserunt illud Ioan. 1. Quod factum est, in ipso vita erat. In quo legendi modo sunt secuti August. Chrysostomus, hom. 4. super Ioan. deridet hanc lectionem & dicit esse hæreticorum: sed quod legendum sit: sine ipso factum est nihil quod factum est, & ibi sistendum: deinde, in ipso vita erat, &c. At verò alium sensum hæretici, alium prætendebat Augustinus.

¶ Ex dictis sequitur decisio huius. Vbi habent creaturæ verius esse, in Deo, an in semetipsis? Quia comparando creaturam ad semetipsam, secundum diuersum modum existendi, verius esse habent in semetipsis quam in Deo, quia in semetipsis sunt secundum entitatem, & verum esse reale, in Deo autem secundum similitudinem. Si autem considerentur comparando ipsas ad suam similitudinem, verius, & nobilius esse habent in Deo, quia similitudo creaturæ in Deo est ipse Deus. Ita Bonauent. hac dist. ar. 2. q. 2. Vide Tho. 1. p. quæst. 18. ar. 4. ad tertium principale. Durand. hac dist. quæst. 2. Qui distinguit ly, verius, quod sit adiectiuum de ly esse, & tunc verius esse habent in Deo:

aut aduerbium, & tunc veriori modo sunt in semetipsis.

P 2 D I S

Propos. 6.

Propos. 7.

Corol.

Vide Scot.

lib. 4. d. 1.

q. 1. lit. 2.

Q.

DISTINCTIO XXXVII.

Quomodo est Deus in rebus: & de motu creaturarum spiritualium.

Propos. 1.



Deus est in rebus duobus modis. Vno generali, quo est in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam. Alio speciali per habitationem. Magister in litera ex Gregorio, & Augustino. Ad primū Hier. 23. Coelum & terram ego impleo. psal. 138. Si ascendero in coelum tu illic es, quantum ad essentiam, vt dicit Alex. 1. p. q. 10. M. 2. Si descendero in infernum ades: quantum ad præsentiam. Et habitauero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, quantum ad potentiam. Et sic sunt expliciti ibi tres hi modi generales. Ad secundū sap. 7. In animas sanctas se transfert. Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hos duos modos Tho. 1. p. q. 8. ar. 3. breuiter, & scholasticè sic distinxit: Deus est in rebus dupliciter. Causaliter, siue effectiue: & obiectiue. Vbi annotauit Caieta. quòd modus essendi Dei per gratiam non distinguitur contra modum essendi obiectiue, sed est pars eius, & importat Deum esse obiectum cognitum, & amatum, siue actu, vt in adultis, siue habitu, vt in paruulis: qui per fidei habitum habitualiter cognoscunt, & per habitum caritatis diligunt. Et addit ibidem, quòd S. Thomas hunc modum formaliter descripsit. Augustinus, & Magister illum causaliter, descripserunt: quoniam ex hoc, quòd Deus intensius operatur in creatura rationali dando gratiam, qua fit deiformis, consurgit ipsum ab ea cognosci, & amari. Mali, vt Magister dicit, aliqui Deū cognoscunt: sed quia non sicut Deum glorificant, ab eo nō inhabitantur. Hoc est dicere, habent Deum, vt obiectū cognitū, sed nō amatū. Alex. 1. p. q. 11. M. 6. explicat de malis, quòd per gratias gratis datas non habent Deum inhabitantem.

Propos. 2.

Modo excellentissimo est Deus in homine Christo per gratiā vnionis, de quo dixit Paulus Colos. 1. In ipso complacuit omnē plenitudinē diuinitatis inhabitare. Et cap. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Modus

Modus essendi Deo in rebus per præsentiam sic declarat: quia omnia sunt ei præsentia, & aperta oculis eius. Per potētiam: quia omnia eius potestati subduntur: neque cessat in eis aliquid operari. Per essentiam, quia omnis creatura per eū habet esse: adest enim omnibus, vt causa essendi. Magister in litera. Quāuis in modo essendi per essentiam dicat plus contineri credendum, quòd homo viuens capere non valet. Est enim Deus, vt Magister deducit ex Augustino, totus in toto mundo, & totus in qualibet parte & creatura mundi: sicut anima est tota in toto corpore, & tota in qualibet etiam minima particula. Si contra modum per præsentiam dicas, quòd eo, quòd nouit omnia potius dicendæ sunt res esse in cognoscente, quam ipse in rebus, respondet Caieta. Aureolo sic deducenti contra Thomam, quòd duo sunt in cognitione: modus cognoscendi, & vis cognitionis. Quantum ad modum, concedit argumentum. Sed quia vis consistit in penetratione omnium vsque ad intima. Heb. 4. de sermone Dei, qui est signum intellectus, dicitur quòd pertingit vsque ad diuisionē animę ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, cognitio numque, & intentionum cordis, ideò dicitur Deus per præsentiam esse in omnibus. Aliter etiam interpretatur. Quia aliud est de notitia absolute, de qua procedit argumentum: aliud de intuitiua, de qua est sermo præsens: quoniam ex propria ratione sua tendit ad res.

Propos. 3.

Esse vbique per suam immensitatem est proprium solius Dei. Probatur exclusiua per suas exponētes. Deus est vbique: & nullus alius à Deo est vbique. Prima est iam probata. Secunda patet. Quia cætera, vel sunt corpora, habentia quantitatem magnitudinis, per quam continentur circumscriptiue à loco: vel non habent quantitatem molis, vt angeli, & anima rationalis, qui nō continentur circumscriptiue, de finiunt tamen sibi, & determinant certum aliquem terminum finitum, in quo sint toti in toto & toti in qualibet parte operantes: idcirco dicuntur esse in loco definitiue.

Propos. 4.

Antequam mundus fieret Deus in se erat, & in se habitabat. Magister in litera. Fuere de hoc quidam versus ita dicentes.

Propos. 5.

*Dic vbi tunc esset, cum præter eum nihil esset?
Tunc vbi nunc est: in se: nam sibi sufficit ipse.*

P 3

Quid

Quid significet per, Deum esse in se, exponit Thom. 1. p. q. 14. artic. 3. ad. 1. quod huiusmodi locutiones sunt per negationem exponendæ. Dicitur esse in se, quia à nullo exteriori continetur. Dicitur comprehendi à se ipso, quia nihil est sui quod lateat ipsum. Ex his inferitur, quod Deus est extra mundum ad hunc sensum, quod eius Immenitas excedit mundum. Et si alius mundus fieret, in ipso erit Deus, ad modum expositum, quia ei est angusta omnis creatura. Non tamen intelligendo, quod sit dare aliquem locum extra mundum, ut fuit falsitas opinantium ultra ultimum cælum esse spatium infinitum. Ricardus hac. d. art. 1. q. 4. Nec etiam Deus à sordibus creaturarum inquinatur, sicut neque solis radij à locis, per quæ transeunt. Magister in litera.

¶ De motu creaturarum spiritualium vide lib. 2. d. 10. p. 4.

DISTINCTIO XXXVIII.

Si præscientia Dei sit causa rerum? Vel res sint causa præscientiæ Dei.

Scientia simplicis intelligentiæ non est causa rerum: sed scientia appropriationis, seu beneplaciti. Et hoc est quod dicit Magister in litera: videlicet, quod sola notitia Dei non est causa rerum, sed notitia cum beneplacito. Concurrunt enim ad omnem effectum Dei, ut ex Hugo ne. 2. li. de sacramētis. p. 2. ca. 6. refert Ricardus. hac. d. q. 2. tria hæc, potentia: sapientia: & voluntas. Voluntas mouet: scientia disponit: potentia operatur. Et sic Deus non est causa rerum ratione scientiæ tantum, sed ratione scientiæ dirigentis, & voluntatis imperantis, & potentiæ exequentis simul. Sicut in artificialibus, scientia artificis est causa eo quod artifex operatur per suum intellectum: requiritur tamen voluntas imperans, & potentia exequens. Hæc non videtur distingui à voluntate in Deo. Ad hanc vide Alex. 1. p. q. 24. M. 2. & q. 67. M. 3. artic. 5. 5. & 6.

Propos. 1. Res futuræ non causant in Deo se ipsas præscientiam. Patet, quia ex se neq; in seipsis aliquid sunt. Imo dicitur in litera ex Augustino, quod Deus non aliter nouit creata, quam creanda, quia eius sapiētia nihil ex eis accessit. Quod intelligitur quo ad modum

cum cognitionis ex parte cognoscentis: vilesceret namq; diuinus intellectus. Ex parte tamē ipsarum rerum cognoscibiliū creanda cognoscit esse futura per cōparationē ad præsens creatū. Creata cognoscit esse præsentia per cōparationē ad præsens creatū, ut dicit Ricardus. circa literā. Hęc. 2. docet ab Alex. citata. q. 24. M. 3.

Præscientia Dei, & res futuræ mutuo se inferunt. Unde istæ *Propos. 3.* sunt bonæ cōsequentia, Deus præscit me sessurū, ergo sedebo: & è cōuerso. Cum hoc tamē stat cōtingentia in mea sessione: & quæ potero nō sedere. Si dicas, ergo præscientia Dei est fallibilis, & incerta, negandum est: illeq; propositiones de possibili intelligēde sunt in sensu diuiso, non tamē in sensu composito: quos sensus vocat Magister coniunctim: aut disiunctim. Autoritas Origenis citata à Magistro, Nō propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est ideo scitur à Deo antequā fiat, intelligitur quod ex notitia Dei, & beneplacito cōsurgat præscientia rerum, quādo quidē dicitur præsciētia ad aliquid, ut. d. 35. est dictū. Quomodo autē sit cōtingētia in rebus stāte diuina præsciētia, vide Scotū. d. 39. Dico ergo breuiter, quod diuina volūtas est libera nō ad diuersos actus volēdi, & nolēdi, sicut nostra, quæ est imperfectio nis, & mutabilitatis, sed est libera ad obiecta opposita, ut vna simplici volitione tēdat in quæcūq; volibilia. Est etiā libera ad diuersos effectus. Dico secūdo, quod quasi ante actū diuinæ volūtatē intellectus diuinus offert volūtati simplicia, quorum vnio est cōtingens: aut si offert complexionē illorum offert, ut neutram, & volūtas eligens vnā partē facit illam determinate verā. Quia ergo diuina voluntas nil respicit pro obiecto necessario, nisi suā essentiam, cōtingenter, & non necessario vult illam partem, quam determinauit: quæ pars determinata pro aliquo tempore representat à diuina essentia ipsi intellectui, cui essētia est ratio cognoscēdi omnia. Et sic stat certitudo sciētiae cū cōtingentia illius effectus. Nā licet posita diuina determinatione necessario effectus erit, tamē, quia illa nō est necessitas simpliciter, sed ex suppositiōe, effectus simpliciter cōtingēs est. V. g. si curro necessario moueor: sed quia cursus est cōtingēs, ita motus. Hæc vocatur necessitas cōsequētiae: quia dato antecedēti, necessario sequit cōsequēs. Sic dixit Chrs Mat. 18. Necessē est ut veniāt scādala. s. supposita nra libertate. Pōt & in humanis ostēdi cōtingētia: quia Deus præuidens *inclu-*

inclinationem hominis determinat illū relinquere in manu consilij sui, non cogendo cum illo ad vnam partem, qui ex libertate voluntatis alteram eliget. Ecce stat contingentia, & tamen cū præscientia, quoniam illa contingentia se tenet ex parte causæ proximæ, scilicet, humanæ voluntatis. Sit exemplum in naturalibus de sole, cuius motus est necessarius, sed effectus in germinatione plantarum contingens à causa proxima, à qua potest, vel per actionem contrarij, vel per indispositionem materiæ impedi: & tamen motus solis, qui est causa prima, est necessarius: ita & scientia Dei est necessaria, effectus verò contingens. Facit exemplum, quod ponit Bona. d. 39. num. 27. Si cogitetur oculus fixus in pariete, qui seipso videat transeuntes sine alicuius specie receptione, qui vnico aspectu videat omnes, & omnes illorum motus: visio talis oculi non imponet necessitatem in motibus transeuntium, & tamen erit visio certā & infallibilis omnium talium motuum: imo erit immutabilis, quanuis illi motus per se mutentur, & succedant. Vide Alex. 1. p. 24. M. 4. & 7.

DISTINCTIO XXXIX.

De immutabilitate diuinæ scientiæ: atque de diuina providentia.

Propos. 1.



Scientia Dei omnino est immutabilis, neque augeri potest, aut minui: quia scientia Dei est sua essentia. Quo non obstante potest Deus scire quod non scit: & potest non scire quod scit. Magister in litera. Ad hanc facit, quod modo in præcedenti. d. est dictum.

Propos. 2.

Scientia Dei non est nisi de his, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt. Magister in litera: & intelligitur de scientia visionis, vt exponunt Bona. num. 3. & Ricar. circa literam. Vbi annotare libet, quod vir doctissimus frater Andreas Vega ordinis nostri, videlicet, Minorum in scripto quodam suo super. 1. sent. d. 35. impugnabat hanc distinctionem scientiæ in scientiam visionis. Quem aliqui eius discipuli secuti sunt: quorum vnus fuit Magister meus frater

ter Ioannes Ramirez provinciæ sancti Iacobi iam bis minister. Duo tamē dicam, vt angustia breuiloquij concedit quibus eorū argumenta possint dilui. Primū, qd distinctio seu diuisio in scientia visionis nō est solius diui Thomæ. 1. p. q. 14. ar. 9. Est nāq; Bona. & Ricar. & ex eo antiquior diuo Thom. Quoniā S. Bona. adhuc in ordine existens subditus, vt ipse fatetur in. d. 40. tertij ad finem, super sententias scripsit: postea generalis Minister & Cardinalis factus præfuit legatus Lugdunensi concilio, in cuius itinere Thomas obiit. Vbi, ergo sūt illa Doctores antiqui. Imo credo erat tunc Parilijs ista doctrina communis, ad interpretandū hīc Magistrū neq; à Thoma, aut Bona. adinuenta. Quod clarius apparet, quia Alex. 1. p. q. 23. M. 4. ar. 5. vtitur eadē scientia visionis respectu eorū, quæ secūdū aliquod tēpus præsens, præteritū, aut futurū sunt, id est iuxta id ecclesi. 23. Domino Deo antequā crearetur oīa sunt agnita: sic & post perfectū respicit omnia. Secūdo dico, qd sicut ex eo qd in Deo posuim⁹. d. 9. diuersa tēpora quoniā eternitas sua tota simul existēs sine aliqua successione coexistit tēporib⁹ nris, inde videt sciētia visionis poni, quia scientia suę simplicis intelligētiae coexistit nostrę sciētiae, atq; visioni: quę nostra scientia & visio, seu intuitio nō erit nisi præsentū alicui tēpori præterito, præsentī, aut futuro, qd varij homines rationales semper creatur, & succedūt vsq; ad finē sæculi. Neq; hoc nos magis ducit in errorē, quā illud Apocalyp. 1. Qui est, & qui erat, & qui vēturus est: & illud Ioan. 16. Quæcunq; audiet loquetur multa; alia in scriptura difficillima, quæ interpretatione egent. Et sic nō assigno rationē totā scientiæ visionis, propterea, quod apud nos quæ vidētur habent esse distinctū extravidētē. Et ita res quę aliquo tēpore fiunt, post quā factæ sunt habēt esse extra Deum, vt possit argui, quod res antequam fiant sunt æquales in essendo rebus, quæ nunquā fiunt, vt inferri possit, qd scientia visionis sit etiā possibiliū nūquā futurorum: quoniā visio in proposito etiam sumitur ex correspondentia rerū visioni nostrę: quia ab aliquo intellectu creato videbuntur: aut saltem erunt visibiles aptitudine, esto quod à creatura nunquam videantur. Cui nostræ visioni, quia coexistit, scientia Dei vocatur visionis. Alexā. citatus refert dicentes ex hoc vocabulo, significari scientiam Dei, & visionem quasi transitum super rem.

Q

De pro-

DE PROVIDENTIA DIVINA.

Proposi. 3. **S**cientia Dei, quæ dicitur providentia (vt supra. d. 3. s.) est de omnibus quantumcunq; minimis, & magnis. Dicitur enim sap. 8. de illa. Attingit à fine vsq; ad finē fortiter & disponit omnia suaviter. Sed providentia est ratio ordinans res, & disponens in finē: igitur cum diuina sapientia disponat omnia, ipsa est providentia, & de omnibus. Dicitur etiam ibidem. 14. Tua autē pater, providentia ab initio cuncta gubernat. De quibusdam speciatim dicitur Iudith. 9. Tua iudicia in tua providentia disposuisti. De gloria futuræ resurrectionis Paulus. Heb. 11. loquens de patribus veteris testamenti. Hi testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem Deo pro nobis melius aliquid providente, vt non sine nobis consummarentur. Vbi etiam obiter annotabis quod sicut diuina providentia est generaliter de omnibus, plus attendit vniuersale bonū quā particulare. Et pro bono generali distulit aperire gloriam patribus veteris testamenti, vt simul cum aliquibus de nouo testamento intrarent, quoniam bonus latro ad nouum pertinet. Alijque sunt credendi obijisse baptizati ante resurrectionem, & ascensionem. Similiter pro eodem bono vniuersali differt corporum resurrectionem vsque ad vnū diem. Ad vtrunque facit præfata autoritas. Perinde permittit dāna particularia pro bono communi. Deessent quippe multa bona in vniuerso, si non essent aliqua mala. Vide Alex. 1. p. q. 26. M. 1. Tho. 1. p. q. 22. arti. 2. ad. 2. Ricar. hac. d. art. 2. q. 2. ad. 6. Est autem providentia, vt docet Tullius lib. 2. de inuentione paulo ante finem, pars prudentiæ. Partes verò prudentiæ, Memoria, per quam animus repetit præterita, intelligentia, per quam perspicit quæ sunt, providentia, per quam aliquid videtur antequam factum sit. Hæc Cicero. Vnde providentia est quasi è procul videntia. Nam ex præteritis & præsentibus coniectamus de futuris. Idem etiam Cicero in fine primi libri de legibus dicit, Ex providendo est appellata prudentia. Boetius lib. 4. de Consol. profa. 6. providentia est ipsa diuina ratio in summo principe constituta, quæ cuncta disponit.

Proposi. 4. Licet providentia, prout dicit formaliter dispositionem rerū in finem sit propria ipsius Dei, Executio tamen seu administratio,

tio, qua suos fines pertingant, fit per aliqua creata media. Et hæc, vocatur gubernatio Alex. vbi supra. M. 5. artic. 2. Ricar. hac. d. q. vlti. Tho. citatus artic. 3. vnde de se Dominus dixit Isaia. 48. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via quā ambulas. Iob. 34. loquens de Deo, Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est? Quasi dicat, nullum: quia videlicet nemini dedit plenam commissionem super totum orbem. Bene quidem iuxta Paulum. 1. Corinth. 12. sunt gubernationes, sed tamen particulares. Neque ex eo, quod aliquibus particularibus curam Deus dedit illam ab se abiecit. Sunt quidem Angeli omnes, vt Paulus ait. Heb. 1. administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Non vero, vt ibidem cap. 2. dicitur angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, idest, mundi statum in Christianismo, hoc est seculum futurum cum Christo per suā redemptionem, quam non commisit angelis sed filio. Ecce quo modo per se gubernat etiam illa, quæ suis committit creaturis, ex benignitate suauitatis, vt per eas etiam gubernentur. Nam lex data in monte Sina ordinata fuit per angelos Galat. 3. in manu tamen mediatoris, idest Christi, qui haberet in potestate illam euacuare. Vide Alex. 1. p. q. 25. de diuina dispositione.

DISTINCTIO XL.

De prædestinatione, electione, & Reprobatione.

Precet prædestinatio, de rigore vocabuli, sonet in plus, *Proposi. 1.* tamē à theologis sumitur stricte valēs apud eos sicut gratiæ & gloriæ præparatio. Inde prædestinati vocantur electi. Dicitur quippe in litera, prædestinavit Deus quos elegit: importat ergo prædestinatio electionem. Sic ubi verò reprobi dicantur prædestinati in ignem, id fit cum præfata additione, seu limitatione extensoque termino, aut vocabulo. De prædestinatione, vide Alexan. 1. par. q. 28.

Duplex assignat electio. Vna secundū præsentē iustitiā. Altera secundū æternā & finalem, Alex. 1. p. q. 30. M. 2. Secundum primā electus fuit Iudas vt. sin. præsentem esset iustus. Dixit enim Christus *Proposi. 2.*
Q₂ omnibus

omnibus apostolis Ioan. 6. Nonne ego vos duodecim elegi. Hęc electio includit gratiam pro aliquo tempore præsenti. Sed quę est secundum æternam, & finalem iustitiam includit gratiam, in qua talis electus decedat, & gloriam. Electio iuxta quod dicit Ricar. d. 4. art. 1. q. 1. est duorum ostensorum ordinabilium ad aliquid aliud, quod est in potestate eligentis alterum alteri ad illud libere acceptare: vel alterum ordinare, & non alterum. Ita quod electio præsупponit cognitionem. Secundo quod eligibilia sint ordinabilia ad aliud: unde de fine, quia non est ordinabilis, nõ est electio. Tertio quod ambo sint ordinabilia in idem: quia respectu induitionis non erit electio vini aut lini. Quarto quod sit possibile. Nam licet voluntas possit esse impossibile nõ tamẽ electio. Quinto quod sit spontanea, hoc est, libera: quia brutis & pueris nõ cõuenit eligere. Videatur Aristoteles li. 3. ethico. ca. 2.

Propos. 3. Prædestinatio ex parte Dei prædestinantis includit actum intellectus, & actum diuinæ voluntatis. Ita docet schola theologorũ, præcipuè Bona. hac. d. ar. 1. q. 2. De intellectu probatur ex August. in li. de bono perseueratiæ. Prædestinatio, est præsciẽtia beneficiorũ Dei: & Rom. 11. Non repulit Deus plebẽ suã, quã præsciuit, id est, prædestinauit, vt ibi exponit Lyra. 2. Timo. 2. Firmũ fundamentũ Dei stat habens signaculũ hoc: cognouit Dñs qui sunt eius. s. per æternam prædestinationẽ. De volũtate patet ex eodẽ August. Prædestinatio est propositũ miserendi Rom. 8. de prædestinatis dicitur: Diligẽtibus Deũ omnia cooperãtur in bonũ, his, qui secundum propositũ vocati sunt sancti. Ecce ad propositũ. i. voluntatem refert sanctitatẽ electorum. Et cap. 19. Vt secundum electionẽ propositũ Dei maneret. Ephes. 1. Dilexit nos ante mũdi cõstitutionẽ. Et loquitur d̄ prædestinatis. Sed dilectio est voluntatis.

Propos. 4. Cuius harũ potentiarũ, sit principalius, cõtrouersa quæstio est. S. Bona. citatus dicit, quod volũtatis: sequitur Scotus hac. d. dicẽs, prædestinatio proprie sumpta dicit actũ volũtatis diuinæ, licet posset accipi pro actu intellectus concomitante. Alij verò, vt Thomas. 1. p. q. 23. art. 1. & ibi Caieta. dicunt quod est actus intellectus practici, quia est pars prouidẽtiæ, prouidentia autem pars prudentiæ: prudentia vero ad intellectum pertinet.

Propos. 5. De ratione prædestinationis non est confirmatio in gratia, ita

itã quod prædestinatus nunquam peccet. Hęc est de fide: quoniam multi prædestinatorum mortaliter peccauerũt, vt Moses, qui Deut. vltim. post mortem vocatur seruus domini. Et in transfiguratione Christi apparuit. Matth. 17. Et tamen peccauit apud aquas contradictionis Num. 20. David, Magdalena, Petrus, & Paulus, qui grauissimè peccarunt. Et cum Paulus. 1. Timoth. 1. fateatur se blasphemum, persecutorem ecclesiæ, contumeliosum, quæ sunt peccata grauissima tamen in. 2. cap. 4. dicit sibi repositam coronam gloriæ. Contrarium huius fuit error Ioannis Wiclephi dicentis prædestinatos semper esse in gratia Dei, neq; posse esse extra illam, reprobos verò perpetuo esse in odio Dei, neq; posse ad illius gratiam venire: irritiq; distinctionem Theologorum de electione Dei secundum præsentem iustitiam, & secundum æternam prædestinationem. Itã illum tenuisse refert Frater Andreas Vega super Decret. de iustifi. lib. 12. cap. 1. & 7. citato Thoma Waldensi lib. de sacramentis cap. 156. Qui error, quamuis non numeretur inter damnatos, à concilio Constant. fuisse tamen damnati ducenti sexaginta sex, quorum multi ibi tacentur. Et quamuis Waldensis loco citato non ponat errorem Wiclephi verbis eiusdem modò à Vega citatis, ponit tamen in eo, quod Wiclephus distinguebat mortale peccatum à veniali per hoc, quod omne peccatum prædestinati dicebat esse veniale, & omne peccatum præsciti mortale, vt ibi dicit Waldensis. Ioannes Hus damnatus in eodem concilio Constantiensi in suo art. 5. dicebat, quod prædestinatus semper manet membrum ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis. Et in art. 21. aiebat. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus ecclesiæ, & quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti indissolubiliter. Ratione sic arguitur ad conclusionem. Infideles, qui nunquam receperunt fidem non sunt ecclesiæ membra, dicente Paulo. 1. Corinth. 5. Quid mihi de his, qui sunt foris iudicare? Et tamen multi ab ipsa infidelitate conuersi sunt, & consecuti gloriam. Imo Christi mors fuisset ociosa non remittens peccata prædestinatis: neq; ipsos in se Christus incorporasset, neque ipsorum plus foret redemptor, quam reprobos, si de ratione prædestinationis esset nunquã peccare.

Proposi. 6. Istæ propositiones. Prædestinatus potest damnari, Præscitus potest saluari, Numerus prædestinatorum potest augeri, sunt verè in sensu diuiso, falsæ tamè in composito. Magister in litera. Illud, quod in Apocal. 3. dicitur episcopo Philadelphie, Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuã, & psal. 68. Deleantur de libro viuentium, intelligitur de coronâ secundum præsentem iustitiam, & similiter de libro vitæ, qui liber est prædestinatorum, vt in historia quadraginta martyrum, qui celebrantur nona die Martij dicitur ianitor tulisse vnus coronam, & illo de libro deleto in eius locum scriptus, quia vnus illorum aspexit retro, & ianitor loco illius se alijs adiunxit. Et sic ille secundum præsentem iustitiam erat scriptus, ianitor secundum æternam. De libro vitæ vide lib. 3. d. 29. p. 4. Et Magistrum in eodem. 3. dist. 3. 1. Quod autem dicitur in glossa super illud psal. 146. Qui numerat multitudinem stellarum, de fidelibus, quod multiplicati sunt super numerum, ipsa se exponit dicens, quia inter parietes ecclesie plures sunt, quam futuri sint in regno Dei. Similiter alia glossa super illud Luca. 5. Rumpebatur rete, dicens, quia non tot intrant de Iudæis, quot ad vitam æternam prædestinati erant. At verò loquitur, pro illo tunc tempore, & etiam pro nunc: attamè intrabunt ad finem seculi.

DE REPROBATIONE.

Proposi. 7. Reprobatio, vt dicit Magister in litera est præscientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem. Et sicut prædestinationis effectus est appositio gratiæ: ita quodammodo effectus reprobationis videtur esse obduratio. Ex hac inferitur, quod sicut electi speciali vocabulo dicuntur prædestinati, sic reprobi specialiter dicuntur præsciti à Theologis. De reprobatione, vide Alex. 1. p. q. 29.

Proposi. 8. Quod Deus homines reprobet in varijs locis docet scriptura. Malach. 1. Iacob dilexi, Esau odio habui. Ecclesi. 9. Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt. Paulus. 1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne reprobus efficiar. Hebr. 1. 2. loquens de Esau ait, Cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est.

Obdu-

Obduratio transfertur à corporalibus. Et sicut in corporalibus durū dicitur, quod nō cedit tactui, sed resistit: ita in spiritualibus illud cor est durū, quod nō cedit Deo vocati, vel interiori, aut exteriori tãgenti. Et sicut molle est, quod cedit tactui, ita cor, quod cedit & obtemperat Deo dicitur docile. 3. Reg. 3. Orabat Salomon, Dabis domine seruo tuo cor docile. Ezech. 11. & 36. Auferam cor lapideum, & dabo eis cor carneum.

Deus nō est causa positiua obdurationis. Dixit enim August. 83 q. quod Deo autore nemo fit deterior. Dicitur tamen Deus obdurare, quia non impartit gratiam. Non verò impartit, quia neq; digni sunt, neq; illam merentur. Magister in litera ex August. Et quanuis in humanis prælatus aut nauta, qui non seruant sibi commissos, sint causa perditionis illorum, secundum illud 86. d. cap. pasce; Pasce fame morientem, si non pauisti occidisti: & 83. d. cap. error; Error, cui non resistitur, approbatur, hoc est verum concurrentibus duobus. Primò, quod possint impedire. Secundo, quod teneantur. Deus bene posset gratiam dare: tamè non tenetur: idcirco nemini facit iniuriam. Quandoq; contra errores, etiam si non impediuntur in se, oportet reclamare, ne vel in plus serpent, vel detur suspicio ex taciturnitate, quod eis consentitur. Sed hæc, & similia cōcurrūt cum primo requisito, quod scilicet, impediuntur.

DISTINCTIO XLI.

Si prædestinatio, & reprobatio habeant causam meritoriam ex parte prædestinatorum, & reproborum.



Diuinae volūtatis, qua prædestinat Deus, hoc est actus ipsius prædestinantis nulla est causa, neque meritum. Vilescerent nanq; diuinus intellectus, & voluntas habendo causam motiuam sui præter suam essentiam, esset quippe Deus passiuus, & mutabilis.

Effectus prædestinationis est multiplex. Magister tã in præsentibus q̄ p̄cedenti. d. ait, q̄ est appositio gratiæ. Paulus Ro. 8. plures enumerat dicēs, quos præsciuit, & prædestinauit, quos prædestinauit hos

Proposi. 9.

Proposi. 10.

Proposi. 1.

Proposi. 2.

hos & vocauit, & quos vocauit hos & iustificauit, quos autem iustificauit, hos & magnificauit. Itaque in adultis, hi sunt per ordinem. Primus, vocatio siue interior, siue exterior psal. 84. Audi quid loquatur in me Dominus Deus. Osee. 2. Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Exteriori vocati sunt Petrus, Andreas, Ioannes, Matthæus. Secundus est, iustificatio, id est, gratiæ appositio tertius, magnificatio, quæ fit dupliciter. Primo in hac vita perseuerando. Secundo in alia per glorificationem. De qua psal. 125. Magnificauit Dominus facere cum eis. Hi effectus sic sunt ordinati, quod primus potest haberi sine secundo: secundus sine tertio. Tertius verò in hac vita non habetur sine gloria, in futura ideò non processit Paulus ultra magnificationem, quia posita perseuerantia in bono sequitur gloria, sicut introductio formæ sequitur ultimam dispositionem. Durandus hac. d. quæst. 2. dicit, quod beatitudo non est effectus prædestinationis strictè loquendo, quia est finis. Large tamen potest dici effectus Magister. d. 40. sic dixit. Effectus prædestinationis illa est gratia, qua in præsentia iustificamur, & ad rectè viuendum, & in bono perseuerandum adiuuamur, & illa qua in futuro beatificamur: vbi plures effectus complexus est. ¶ Inferitur ex his quòd actus Dei prædestinantis est æternus, & nihil ponit in prædestinato actualiter, cum sit prædestinatio quando prædestinatus non est. Effectus verò prædestinationis positi, sunt ex tempore: quorum iustificatio, & glorificatio ponunt aliquid formaliter in prædestinato, quoniam gratia, & beatitudo formæ sunt. Sequitur etiam, quod licet actus prædestinantis non possit iuari precibus sanctorum, tamen effectus bene iuuantur: vnde diuina scriptura semper exhortatur ad bene operandum, & semper orandum quoniam per talia iuuantur prædicti effectus. Vide Alex. 1. p. q. 28. M. 3. ar. 2.

Proposi. 3. Hæreticum est dicere, quod animæ antequam infunderentur corporibus peccauere: & secundum diuersa opera, quæ fecerunt ante corpus, habent in corporibus diuersos status. Hic error imponitur communiter Origeni: contra quem vide lib. 2. d. 17. p. 2. Et Magistrū in litera huius. d.

Proposi. 4. Prædestinatio omnium electorum est eiusdem rationis: ita quod non est dicendum, quod paruuli decedentes cum sola gratia

tia baptismali ex mera gratia prædestinentur, adulti verò propter aliquam rationem. Probat, quia vbi lex nō distinguit, neque nos distinguere debemus: sed in sacra scriptura non est talis distinctio, ergo merè liberè fiet.

Ad sedandos animos, & reprimendas quæstiones vulgariū in hac materia est bonū remediū respondere, quòd sit de fide, quod bonus saluabitur, malus dānabit, quod Deus nouit omnia. Et cū infallibilitate diuinæ scientiæ stat, quod quiuis saluari potest faciēdo quod in se est. Et quemadmodum circa mysterium Trinitatis, & incarnationis quietantur homines audientes illud esse de fide: ita quietabuntur circa prædestinationem. Sic faciendum docet Caietanus. 1. p. q. 2. ar. vltim. ad finem. Possuntque illis dari palpabilia exempla in rebus, quæ subsunt libero arbitrio, & contingenter fiunt, vt seminatio tritici, conseruatio indiuidui per cibum & potum: quæ sic Deus scit, & ordinat vt tamen necessaria sit cura nostra. Vnde & ad Cain præciturum dixit Gen. 4. Nonne si bene, egeris recipies.

Hoc non obstante vtile est studium, & exercitium doctorum, imò & necessarium inuestigādo hanc difficultatem. Dixit enim Petrus. 1. epistol. cap. 3. quòd simus parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est spe, & fide. Circa mysteria Trinitatis & incarnationis quærimus etiam rationes, vt defendamus, non vt probemus, quia fides, vt ait Gregorius non habet meritum, si ei humana ratio præbet experimentum. Sunt igitur tres opiniones de causa prædestinationis, & reprobationis. Prima, quòd nulla est causa in particulari licet possit dari in generali. Videlicet, quòd ad ostensionem misericordiæ suæ voluit saluare aliquos, & ad ostensionem iustitiæ condemnare aliquos, vt ex diuersis respectibus diuina perfectio representetur; quæ perfectius representatur in diuersis effectibus, quam in vno solo. In particulari, quare hunc saluat, alium damnat, non potest dari causa, præter meram eius voluntatem. Hanc tenet Thomas. 1. p. q. 23. ar. 5. Durand. hac. d. q. 2. & fuerat Alex. 1. p. q. 28. M. 3. art. 1. Secunda opinio dicit, quòd tam prædestinationis, quam reprobationis in generali, & in particulari datur causa. Hanc tenet Henricus à Scoto citatus in hac. d. Et fuit opinio S. Bonauent. hac. dist. art. 1. quæst. 2. Alias diuina iudicia non

R erunt

Proposi. 5.

Proposi. 6.

erunt occulta, neq; dicentur mirabilia, sed volūtaria contra Paulum exclamantem Rom. 11. O altitudo diuitiarum sapientiae, & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. Et dicit quod bonus vsus liberi arbitrij præuisus ex parte electi, & malus ex parte reprobī. Hanc dans Bona sine assertionem tamen, subdit, quod potest esse alia ratio, quam hæc. Ricardus hac. d. art. 2. q. 2. has duas ponit vtriusq; rationes soluendo. Magister in litera refert hanc secundā, & quod in ea fuerit Augustinus, tamē q̄ retractauerit. Et sic Magister videtur tenere, quod nullū sit meritum prædestinationis, vel reprobationis. Tertia opinio est Scoti, q̄ nulla datur ratio ex parte prædestinati, quia omnis ordinate volens prius vult finem, quā ea, quæ sunt ad finem. Et sic Deus, qui est ordinatissimus prius vult dare gloriam, quā merita & virtutes, quæ sunt media, & sic per nullū meritum prædestinauit, sed ex mera gratia. Ex parte verò reprobati datur aliqua causa, quia secundū Augustinū non est Deus prius vltor, quā aliquis sit peccator. Ergo à simili non prius vult damnare, quā videat damnandum esse peccatorem. Et per consequens primus actus diuinæ voluntatis circa Iudam, vt damnandū, non est ab ipso Deo, nisi præsupposito peccato. Confirmatur, quia omnia bona attribuuntur Deo, mala non, nisi nobis Osec. 13. Perditio tua Israel tantūmodo in me auxilium tuum. ¶ Ex ista opinione Scoti sequitur, quod possit Deus de potentia absoluta, ex mera voluntate aliquem saluare, sine hoc, q̄ alicui faciat iniuriā. Dicit enim Matth. 20. Volo dare huic sicut & tibi, an non licet mihi facere, quod volo? Concordat in hoc Bona. in. 4. d. 46. q. vlt. Quodq; possit damnare sine hoc, quod sit iniustus ex mera voluntate (quamuis de facto, & de lege non damnabit) tenet Alex. 1. p. q. 21. M. 2. §. 1. Sequitur Petrus de Aliaco in. 1. quæst. 12. litera. I. Soluendo tertium argum. Sequitur & Gabriel in. 2. d. 4. in fine quæstionis. Probat Sapien. 12. Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? quasi dicat, nullus. Et ex Paulo. Rom. 9. Habet potestatem figulus ex eadem massa facere vas in honorem, & vas in contumeliam, ergo à simili potest iam factum confringere, & quod factū videbatur in honorem vertere in contumeliam. Sumpsitq; Paulus hanc similitudinem ex Hierem. 18. Contrarium huius tenet Bonaventura loco citato. At verò quoniam illa damnatio

non

non posset esse in ordine ad peccatum, & cum remorsu conscientiae, quando quidem peccatum non fuisset, sed sola deputatio ad ignem, & carcerem, aliasq; similes poenas, possent reduci ad concordiam, vt præfati doctores de poenis, Bonau. de poenis cum remorsu conscientiae loquatur. Dicit enim Paulus. 2. Timoth. 2. Deus fidelis permanet, seipsum negare non potest. Negaret verò suam veritatem & fidelitatem, quando quidem in esset ibi inædaciū in remorsu aut ordine ad culpam, quæ non præfuit.

Sine diuina reuelatione nullus potest scire se esse prædestinatum. Ita definiuit concil. Trident. sessione sexta. cap. 12. & cano. 15. Contrarium huius fuit hæresis Martini Buceri, vt ei vir quidam doctissimus imponit referente Andrea Vega super decretum præfate sessionis lib. 12. cap. 1. Eundem errorem frater Alfonso Castro verbo, prædestinatio hæresi. 2. in libro suo aduersus hæreses, refert in concilio Tridentino quosdam Theologos antequam decideretur à concilio inter disputandum afferuisse. Sed probatur propositio Sap. 9. Quis hominum poterit scire cōsiliū Dei aut cogitare quid velit Deus. Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiae nostræ. Ad idem est Isai. 40. Vnde sumpsit Paulus id, quod dixit Rom. 11. Quis cognouit sensum Domini. Sed prædestinatio est contingens pendens ex diuina voluntate, ergo non potest sciri sine reuelatione diuina. Facit ad hanc quod dictum fuit. d. 17. p. 3. de incertitudine gratiæ, quæ includitur in prædestinatione, vt aliquando habeatur, atque in ea vsq; ad finem vite perseveretur. Et minus est habere gratiam aliquo tempore, quam esse æternaliter prædestinatum. Atq; de incertitudine perseverantiæ extat etiam concilij decretum, eadem Sessione sexta citata cap. 13. & canone. 16. Ideo scriptura dicit beatum illum qui semper est pavidus Proverb. 28. & Paulus. 1. Corinth. 10. qui se existimat stare videat, ne cadat.

Sunt aliqua signa, ex quibus potest sumi coniectura, licet nō certitudo prædestinationis. Hæc sunt auiditas audiendi verbum Dei Ioann. 8. Qui ex Deo est verba Dei audit. Ex beatitudinibus euangelicis Matth. 5. De quibus videatur Augustinus de sermone Domini in monte. Bernardus in sermone de septem donis Spiritus sancti.

R 2

Præde-

Propos. 9.
Abraham. Prædestinatio aliquorum reuelata fuit aliquando ipsismet prædestinatis, aliquando alijs. Hæc probatur. Nam Abraham videtur sua prædestinatio reuelata in ijs, quæ dicta sunt illi Gene. 15. Ego protector tuus: & merces tua magna nimis, adiunctis alijs, ibidē, tuis ad patres tuos sepultus in senectute bona. Nam è sola promissione, quòd ex ipso nasciturus esset Christus, & quod in semine eius forent benedicendæ omnes gētes, nō arbitror fieri sufficiens arg. prædestinationis: nisi adiungantur alia. Sicut quando dictū fuit Iacob. Gen. 28. Benedicetur in te, & in semine tuo cunctis tribus terre, & ero custos tuus quocūq; perrexeris. Cū igitur in ipso Iacob essent cūcti benedicēdi etiā iā mortuo, cōsequēs videtur, q̄ ipse Iacob defunct⁹ deberet esse benedic⁹. Moysi Exo. 33. Inuenisti gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine. Ego ostendam tibi omne bonum. glossa interlin. idest, requiem æternam, in qua est omne bonum in visione Dei, sicut psalmista ait, Satiabor cum apparuerit gloria tua psal. 16. Vide & d. præcedenti. p. 3. autoritatem Pauli, Nouit Dominus qui sunt eius. Et dicere Moysi, Te ipsum noui, intelligēdū est approbauit per æternam prædestinationem. In nouo testamēto beatæ Virgini, quæ dixit, Respexit humilitatem ancille suæ. Ecce enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes, ergo ei nota fuit sua beatitudo. De gratia illam Gabriel angelus fecerat certam dicēs: Gratia plena, inuenisti gratiam apud Deum. De gloria Ioannis Baptiste videtur fuisse certus Isaias. 40. cap. & clarius Malachias. 3. vocans eū angelum: quas scripturæ autoritates neq; ipse Ioannes ignorauit. Nam allegauit Isaiam. Ioan. 1. dicens, Ego vox clamantis in deserto. Quæ verba dupliciter possunt exponi. Primo, vt ipse Ioannes sit vox Christi. Secundo, vt vox clamantis sit vox ipsius Ioannis prædicantis in deserto: & voluerit Ioannes dicere: Ego sum ille, in quo impletur Isaiæ prophetia dicens, Vox clamantis. Apostolis dictum fuit Lucæ. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in coelis. Et egresso ab eis Iuda, dixit Iesus Petro, Quo ego vado non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Ioan. 13. & 14. omnibus apostolis, Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Vbi non solū prædestinatio, verū reditus Chrī, ad cuiusq; Apostoli mortē ostēsus est, vt quibsdā placet, q̄ ad

ad mortem cuiusq; apostoli Christus adfuerit, quanuis ipsum illi reliquerint. Attamen, quia cum ipso in alijs tentationibus fere vsque ad mortem, vt dicitur Lucæ. 22. permanserunt, hoc illis repedit: & Ioā. 16. Gaudiū vestrum nemo tollet à vobis. Et quod in regeneratione sessuri essent supra sedes duodecim. Lucæ. 22. Matth. 19. De prædestinatione Clementis, & aliorum meminit Paulus Philip. 4. quod eorum nomina scripta essent in libro vitæ. De se idem Paulus. 2. Timoth. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ. Nec obstat quod dixerit. 1. Corint. 4. Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Quoniam tantum exclusit quod ex testimonio conscientie non erat certus de sua iustificatione: quam alias ex reuelatione sciebat: vel, vt alij dicunt eo forte tempore, quo ista dixit nondum se esse in gratia, neque prædestinatum sciebat. Illud etiam, quod dixit ibidem. 9. cap. Castigo corpus meum: Ne forte cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar, similiter interpretantur, citato Gregorio libro epist. 6. epist. 186. ad Gregoriā cubiculariā Augustæ: quæ volebat sibi à beato Gregorio scribi, quod illi reuelatum fuisset Gregoriæ peccata dimissa, cui respondet rem esse difficilem, & inutilem. Difficilem, quia ego indignus sum cui fieri debeat reuelatio. Inutilem, quia securus de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die ultimo vitæ tuæ illa plangere minime valebis. Quæ dies, quousque veniat semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes: citatisque præfatis verbis Pauli subdit. Adhuc timet, qui iam ad cælum ducitur: & iam timere non vult, qui adhuc in terra conuersatur. Vel potest dici quod Paulus certus erat iam de sua gloria. Tamen quia effectus prædestinationis iuuatur nostris operibus, ideo Paulus ea dixerit. Atque, vt ostenderet contingentiam in effectu prædestinationis non obstante reuelatione: quoniam adhuc nobis nostra manet libertas: Notandaque illa particula, Ne forte, qua vsus est Christus ad denotandam arbitrij libertatem, non obstante suæ scientiæ certitudine. Ioan. 4. Samaritanæ dixit, Tu forsitan petijstes ab eo. Et. 5. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Magdalenæ fuit etiam à Christo dictum. Lucæ. 7. Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Vbi de sua iustificatione facta fuit certa: sed de prædestinatione. 10. Maria optimam partem elegit, quæ nō

*Clemens.**Paulus.**Magdalenæ.*

auferetur ab ea in æternum. Quæ verba si non intellexit tunc post aduentum Spiritus sancti credenda est intellexisse. Nam cum illis deuotis mulieribus ipsa affuit perseverando in oratione Act. 1. & 2. Adueniente Spiritu sancto, non dicitur, quod solerant apostoli: sed quod erant omnes pariter, ergo discipuli: de quibus in. 1. cap. fuerat prælocutus.

Ismahel.

De Ismahele oranti Abraham Genes. 17. Utinam Ismahel uiuat coram te, respondit Dominus, Super Ismahel quoque exaudi te. Nam in scriptura uiuere coram Deo, & ambulare coram Deo capitur in bonam partem, & dicitur de iustis, ut ibidē dixerat Deus Abraham. Ambula coram me. Et de Enoch. Sapientia. 5. Ambulauit cum Deo. Osec. 6. de redemptione per Messiam. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in conspectu eius. psal. 21. ex persona Christi. Anima mea illi uiuit. Et Rom. 6. Quod autē uiuit uiuit Deo. Ibidemq; Paulus hortatur fideles, ut uiuant Deo. Cum igitur hanc vitam illi petierit pater suus & illi fuerit responsum, exauditam orationem, reuelata fuit Abraham Ismahelis prædestinatio. Vnde tenent Hebræi, quibus cōsentit Lyranus, citato loco Ismahelē fuisse saluū.

Salomon.

De Salomone idem uideri posset, neque omnino irrationabiliter quod scilicet eius prædestinatio reuelata fuerit David patri eius. 2. Reg. 7. cap. per Nathan prophetam, cui primo fuit reuelata his verbis. Cum dormieris cum patribus tuis suscitabo semē tuum post te, ipse ædificabit domum nomini meo. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Qui si inique aliquid gesserit arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea. Quæ verba intelliguntur de Christo, & de Salomone. De Christo Paulus Hebr. 1. ait. Cui aliquando angelorum dixit, Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. De Salomone. 1. Paralip. 22. & 28. ubi David ostendit loquens Salomoni, & populo quod de ipso illa Dominus dixisset, inquit, Dixit mihi Dominus, Non ædificabis domum nomini meo: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea. Ipsum, enim elegi mihi in filium, Et ego ero ei in patrem. Sed de illo dixit, quod si iniquè aliquid egerit arguam eum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, ergo

ergo de indulgentia Dei erga eum inuenitur memoria in scriptura. Confirmatur etiam, quia facit comparationem de ipso cum Saul, quem ait, amoui à facie mea. Sed esse in facie Domini, ut modo dixi, sonat in bonam partem, & proijci à facie Domini sonat in malam. Sicut Genes. 4. dicitur de Cain, quod egressus est à facie Domini: & psal. 26. Ne auertas faciem tuā à me: & psal. 50. Ne proijcias me à facie tua. Vbi David non pro regno temporali, sed pro gratia, & gloria orabat, ergo Saul fuit damnatus, sed non Salomon. Neque debet intelligi misericordia, ut regnaret Salomon usque ad finem vitæ, & non Saul. Quia Saul usque ad mortem regnauit, quoniam David. 2. Reg. 1. eius mortem plangebat, quasi regis. Et præcipiens occidi Amalechitam dixit. Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini, ergo si David extimasset Saulem desijisse esse regem, ex quo ipsum David vnixerat Samuel, non dedisset rationem contra Amalechitam, quod occidisset Christum Domini, id est, regem: neque ipse David à sua vnctione obedisset Sauli tanquam vero regi: neque. 1. Reg. 24. quādo in spelūca oram chlamydis Sauli percussisset cor suum poenitentia, & illi clamasset, Domine mi rex: sed illum tanquam tyrannum, & rebellem regi legitimo iuste occidisset. At verò cum scriptura post vnctionem David semper vocet Saulem regem, usque ad mortem regnauit, & misericordia promissa Salomoni ad differentiam Saulis fuit in salutem animæ spiritualem, & non in regnum temporale. Maxime quia regnum fuit propter eius peccata diuisum sub eius filio Roboam: & duæ tribus remanentes non propter Salomonem, sed propter David remansisse dicuntur. 3. Reg. 11. Neque obstat quod Cyprianus lib. 1. epist. 5. epistola quæ est ad Rogatianū, & alios cōfessores docens perseveradū in cōfessione, dicit: Saule, & Salomonē non perseverasse: quoniam tā ipse Cyprianus ibi, & August. li. 22. ca. 88. cōtra Faustū Manicheū fuere huius opinionis acerbae contra Salomonē. Et cū dicit Augusti. quod eum scriptura vehementer arguit, atque damnat, nihilque de eius poenitentia, vel in eum indulgentiæ Dei meminit. Verū est quod eius peccata recenset. 3. Reg. 11. quod coluit idola, & eis ædificauit phana in monte Oliueti, qui est contra Hierusalem

lem, quæ templa poterant videri ex templo Domini, quæ fuit magna iniuria dei: tamen misericordia Dei in ipsum satis habetur ex citata prophetia Nathã, & ibi eius pœnitentia implicatur. Nec opus fuit alia certitudine ad hoc, maxime quod non sunt scripta omnia opera Salomonis in scriptura sacra quam habemus. Nam. 2. paralip. 9. cap. dicitur. Reliqua operum Salomonis priorum & nouissimorum scripta sunt in verbis Nathã propheta: in libris Ahia Silonitis: in visione quoque Addo videntis. Quos libros non habemus, sicut neque descriptiones Hieremias propheta, de quibus fit mentio in. 2. Mach. cap. 2. Neque librũ iustorum. De quo meminit liber. 2. Reg. cap. 1. Neque prophetiam Enoch, quam allegat in epistola sua Iudas. Nã partim propter incuriam Hebræorum, partim ob captiuitates, & templi succensionem: quod succendit Nabuzardan. 4. Reg. vltimo perire nobis multæ prophetiæ, & multi libri etiã ipsius Salomonis. Nam. 3. Reg. cap. 4. fit memoria de libris Salomonis in quibus disputauit de naturis herbarum à Cedro vsque ad hyssopum, & de animalibus, qui libri non habentur. Quanta, enim fuerit incuria Hebræorum in legendis, & conseruandis libris legis, & prophetarum, testimonio est liber Deuteronomij diu ab eis ignoratus & inuentus sub rege Iosia. 4. Reg. 22. Cuius verba cum legi audisset ipse rex scidit vestimenta sua, quia non fecissent patres eorum omne quod in eo scriptum erat. Quod vero illa phana idolorum ad Iosiam vsque durauerint, qui illa destruxit. 4. Reg. 23. non omnino damnat eum: quia forte pœnitentiæ suæ tempore nequiuit destruere: & sicut Ezechias & Iosaphat reges valde p̃ illa permiserunt, sic potuit Salomon illa ex iusta causa tolerasse, quanuis in principio peccasset edificando. Et sic in permissione æquales erunt Salomon, Iosaphat, & Ezechias. Nam in casu citra culpam reges Christiani tolerant ecclesias hæreticorum, synagogas Iudeorum, Mezquitas Sarracenorum in suis regnis, quando vel non possunt extirpare: aut maius inde dispendium immineret Catholicis, quam sequatur ex tolerantia. Qui cum Cypriano, & Augustino tenere voluerit nihil etiam tenebit irrationale, maxime post tales actantos duces: exponetque præfatam auctoritatem de Salomone. Vel dicendo quod sit misericordia cum Salomone per omnem vitam suam in temporali regno, & ideo per

per Ahiam dixit Dominus ad Hieroboam. 3. Reg. 11. loquens de Salomone. Non auferam omne regnum de manu eius sed ducẽ ponam cum cunctis diebus vitæ suæ: ita quod viuente Salomone non erat regnaturus Hieroboam, neque ad eum conuerturus populus Israel. At de Saule nunquam fuit dictum quod esset futurus dux cunctis diebus vitæ suæ, neque quod aliqua pars regni illius esset remansura. Viuente etiam Saule bona pars populi erat cum Dauid. Vel aliam quæreret interpretationem.

De Saule non dubito quin fuerit damnatus, & ita sentit Cyprianus citatus: quod est contra Hebræos, quos videtur sequi Lyranus supra vltimum capitulum primi lib. Reg. & super capi. 7. lib. 2. Nam ipse Saul obiit in odio capitali contra Dauid, qui tempore prælij in quo Saul periit profugus ob eius persecutiones manebat in Sicelech quam ei dederat Achis rex Philistij. Secundò quia fuit homicida sui ipsius. Neque est simile de Samson, quia Samson fecit ex diuina reuelatione Iudi. 16. Alioquin Paulus Hebr. 11. non eum numerasset inter sanctos, qui per fidem vicerunt regna. De Saule quod fecerit ex reuelatione, eadem reijcitur facilitate qua probabitur. Tũ etiam quia Samson non interfecit tantum semetipsum, verum & alios inimicos Philistæos, offerre autem se morti occidendo plures inimicos, in casu licet. Samson enim primo & principaliter intendebat liberare diuinum honorem quia Philistæi attribuebant captionem Samsonis idolo suo, in quo derogabatur Deo Israelis, qui tradiderat eum in manus illorum, nec poterat hanc iniuriam vindicare, nisi occidendo seipsum cum Philistæis. Saul vero primo & principaliter intendebat liberare se ab illusione Philistinorum. Nec obstat quod ei apparuerit Samuel, primi Regum. 28. dicens. Tu & filij tuas tecum eritis: quã mortem videtur patienter subisse quando quidem potuit fugere, neque bellum intrare, quod non fecit, imo per totam noctem ambulauit modico cibo sumpto. Verosimillimum quippe est quod non fuit verus Samuel sed demon inuocatus à pythonissa in specie Samuelis. Dato etiam quod permissione diuina fuerit Samuel adductus per dæmonem sicut fuit Christus assumptus à diabolo in montem

1. Reg. 22.
Saul.

S. tem

tem Matth. 4. Ad veritatem illorum verborum satis erat quod sequenti die morerentur, & essent cum Samuele in statu defuactorum, quamvis non in statu iustorum. Dato quod non fuit verus Samuel, quicquid egit & passus est fuit ex obedientia damoni præstita, cum quo & sequenti die fuit in inferno: vel esto quod fuerit verus Samuel adhuc illa promptitudo ad bellum, & ad mortem non processit ex obedientia caritate formata de qua Paulus. 1. Corin. 13. Si tradero corpus meum, ita ut ardeam caritatem autem non habeam nihil mihi prodest. Modo ipse erat permanens in odio David, peccavit etiam consulendo Pythonissam. Propter quod semper debuit esse pavidus de illusione & cum Augustinus dubitet de illis qui poenitentiam sero faciunt ad finem, scilicet vitæ, ut habetur in .4. dist. 20. iustissime credimus damnatum fuisse Saulem. Vide in decretis. 26. quæst. 5. capitu. Nec mirum. hanc quæstionem si apparuit verus Samuel. Vbi ad partem negatiuam hæc ponitur ratio quod se permisit adorari à Saule quod Samuel sanctus non permisisset. Quod fuit verus Samuel sonant verba ecclesi. 46. vbi de eodem supposito dicitur, quod ostendit regi finem vitæ suæ: & quod fuit dilectus Deo, quæ nimis vrgent.

DISTINCTIO XLII.

De Vniuersalitate diuinæ potentie. Ab hac enim. d. vsque ad 45. tractatur de diuina potentia.

Proposi. 1.



Deus est omnipotens. Ita Magister in litera, & probatur Genes. 17. dixit Deus Abraham. Ego Deus omnipotens. 43. dixit Iacob filiis suis. Deus autem meus omnipotens faciat eum vobis placabilem. Exo. 6. Ego Dominus apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotenti, & 15. Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius. Vide Alex. 1. p. q. 21. M. 1.

Ista

Ista omnipotentia Dei, de qua loquimur sumitur pro potentia actiua, & non pro potentia passiua. Est autem potentia actiua, principium transmutandi aliud, in quantum aliud. Potentia vero passiua, principium transmutandi ab alio, secundum quod aliud ex. 5. Metaphy. Probatur propositio quia potentia passiua dicit imperfectionem, quia quod est in potetia passiua, non est in actu respectu illius ad quod est in potentia. V. g. Motus est actus entis in potentia, & non potest competere Deo. Sic dicit Magister, quod ambulatio & locutio non possunt Deo competere: intellige formaliter, ratio etiam est quia Deus non est corporeus Ioan. 4. Spiritus est Deus. Lucæ ultimo spiritus carnem & ossa non habet contra Hæreticos Anthropomorphitas, qui fuerunt in partibus Ægypti dicentes Deum esse corporeum. Vide & supra. d. 37. in litera, autoritatem Augustini ad Dardanum dicentem. Cum Deus sit natura incorporea, & incommutabiliter viua, æterna stabilitate in seipso manens, totus adest rebus omnibus, & singulis totus effectiue operatur illas Deus in creatura ut dicit idem Magister. Imo in scriptura attribuuntur Deo, sed trāslatiue psal. 103. Qui ambulat super pennas ventorum Deut. 27. Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum. De verbo vide supra. dist. 27. Verbum autem sensibile, id est, locutionem non ponimus in Deo nisi figuratiue, ut effectum nominamus per causam. Sicut quando mandatum principis vocamus verbum principis, ita mandatum Dei vocamus verbum Dei, & reuelationes Dei dicimus Deum locutum. Ex eo quod in ratione potentie ponitur aliud, constat potentiam de qua loquimur transire in aliud exterius, vnde respectu actuum intransigentium intelligendi & volendi, non est potentia neque actiua, neque passiua.

Obiectum seu terminus omnipotentie, ut de potentia loquimur in præsentia est omne possibile, prout opponitur necessario & includenti contradictionem, ut habetur supra. d. 20. Et sic ratio omnipotentie non est quia potest omnia, quæ vult se posse, ut bene dicit Magister in litera, quia sic quilibet sanctus esset omnipotens, quia potest quicquid vult se posse: sed quia potest in omne possibile. Vide & Ricar. hac. d. q. vltima.

Proposi. 3.

S 2

Ex

Proposi. 4. Ex his inferitur alia quod Deus nō potest mentiri, quia est summa veritas, & esset implicatio contradictionis. Similiter neq; peccare, quia peccatum est deuiatio à regula æquitatis, & diuinæ voluntatis, Deus autem fidelis est seipsum negare non potest. 2. Timoth. 2. Neque similiter potest mori quia mors est corporum. Vide literam, & supra. d. 8. de veritate.

Proposi. 5. Contradictoria simul fieri, est impossibile. Non est autē imaginandum, vt dicit Scotus sequēti. dist. quod impossibile sit vnū aliquod ens in re, sicut necesse esse: sed est quod includit partes repugnantes. Est tamen contradictio reducenda in Deum tanquam in dantem esse, & facientem quidditates diuersarum naturarum. Contradictio vero ipsa, formaliter, est ab ipsis quidditatibus, principiativē autē à Deo qui facit quidditates illas. Propter quod non ex defectu potentie in Deo, sed ex formali repugnantia, respectu cōtradictionis non est potentia. Vnde Thomas. 1. q. 25. artic. 3. dicit quod conuenientius dicitur quod ea non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere. Et per hoc patet intellectus verbi angeli Luca. 1. non erit impossibile apud Deum omne verbum: quia impossibilitas nō se tenet ex parte Dei, sed ex parte rei. Vel cum verbum sit intelligibile vt supra. d. 27. quod implicat contradictionem nullus intellectus potest concipere, modo angelus de verbo loquebatur. Vide ad hanc Alex. 1. p. q. 21. M. 5. artic. 3.

Proposi. 6. Sumendo omnipotentiam, pro potentia quæ potest in omnē effectum siue mediate, siue immediate, omnipotentia Dei est demonstrabilis in lumine naturali. Ita docet Scotus hac. d. & in quodlibeto. 7. sequitur Gabriel hac. d. Et probatur, quia necesse est in efficientibus esse statum, ne sit processus in infinitum: sed illud primum, & supremum efficiens est omnipotens isto modo, quoniam ad ipsum refertur causalitas omnium causarum.

Proposi. 7. Sumendo omnipotentiam proprie Theologicæ, pro potentia quæ potest in omnem effectum immediate: omnipotentia Dei non est demonstrabilis, sed credita. Scotus & Gabriel. Quia philosophi nō potuerūt ratione naturali cōcludere, q̄ Deus cōtingēter causaret: habuerūtq; quasi pro principio, q̄ ex nihilo nihil fit. Et qui ex illis posuerūt Deū necessario causare, si cum hoc
poneret.

ponerent Deum esse omnipotentem ad sensum prædictum, debent negare omnem causalitatem causarum secundarum. Dicit tamen Scotus in fine corporis quæstionis, quod licet nō possit demonstrari, potest tamen probabiliter probari, sicut verum & necessarium, & probabilius quam alia credita, quia non est inconueniens quædam credita esse euidētia quam alia. Et ex hac infert, quod ista propositio. Quicquid potest causa effectiua prima cum causa secunda potest se sola, non est nota ex terminis, neq; ratione naturali, sed tantum credita, sicut omnipotentia ex qua dependet.

D I S T I N C T I O X L I I I .

De immensitate diuinæ potentie. Hoc est, ad quæ diuina potentia extendatur.

Multa potest Deus facere quæ non vult facere, & multa facit quæ potest dimittere. Magister per totam hanc dist. Et hæc est contra errorem dicentium non posse Deum facere aliud, quam facit, neq; melius facere id quod facit, neque aliquid prætermittere de his quæ facit. Et sic negabatur contingentia in rebus. In quo errore dicit Bona. hac. d. num. 32. fuisse Petrum Abailardum. Concil. Constantiense damnans errores Wiclephi ponit pro. 27. hunc sic dicentem. Omnia de necessitate absoluta eueniunt. Probat Magister conclusionem, quia dixit Christus Matth. 26. possum rogare patrem, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum, ergo poterat Christus rogare, quod non rogabat, & pater dare quod non dabat. Secundo probat, quia potest Deus iustificare quos non iustificat. Sunt aliæ scripturæ autoritates vt Sapientia. 11. & 12. Quod non erat impossibilis omnipotens manus domini ad infligendas malis has poenas, aut illas ad subijciēdos impios, quibus tamen peperit. In sua oratione Christus dicebat. Pater omnia tibi possibilia sunt. Marc. 14. & Paulus. Heb. 5. dicit, quod in diebus carnis suæ supplicationes obtulit ad eum

qui posset illum saluum facere à morte. Lutherus dicitur fuisse in eodem errore.

Proposi. 2.

Si Deus faceret quæ non facit, aut dimitteret quæ facit, bene ac iuste faceret: quia voluntas eius est æquissima & iustissima regula, & in hoc est differentia inter diuinam voluntatem, & voluntatem creatam, quia voluntas creata, ad hoc vt recta sit, debet regulari per diuinam: sed diuina ipsa sibi est regula, quæ rectificat quicquid vult, ergo si faceret aut dimitteret bene, & iuste, atque iuxta regulam faceret. Secundo, quia Deus nemini est debitor nisi ex promisso, vt dicit Magister in litera. Nos sumus debitores ex commisso, ergo si Deus faceret res quas non facit, aut dimitteret quas facit, de quibus nulla extat eius promissio, nemini faceret iniuriam, aut iniustitiam. Et per consequens bene faceret.

Proposi. 3.

Implicat contradictionem quod potentia Dei se extendat ad faciendum aliquod ens, quod sit omnino infinitum. Quia illud esset Deus, quoniam nihil posset cogitari maius eo sine contradictione. Et non possunt esse duo diuinitate. De hac vide Ricard. hac. d. q. 4. Tho. 1. p. q. 7. ar. 2.

Proposi. 4.

Deus non potest facere aliquod infinitum actu secundum multitudinem. Ita docet Ricard. hac. d. q. 6. & est contra Petrum de Aliaco in. 1. q. 13. litera. N. conclus. 2. Hæc propositio, potest alijs verbis sic poni. Non potest Deus producere omnia producibilia in actu, imò quibuscunq; productis potest alia producere. Probatur, quia quibuscunq; productis adhuc in Deo remanet eadem potentia, quæ antea, & illud nihilum ex parte creaturarum, ex quo producta sunt omnia. Secundo, quia si omnia essent actu producta, sequeretur, quod nulla creatura posset per agens creatum corrumpi, & cessaret causalitas agentium naturalium. Probatur sequela, quia vnus corruptio, est generatio alterius: sed omnia sunt producta, ergo nihil potest generari. Argumentum Aliacensis de continuo secabili in infinitum soluerat iam Bona. hac. d. num. 31. Et ipse Ricardus, dicendo non esse simile, quia dicitur diuisibile in infinitum, quia potest sine fine diuidi, ita tamen, quod totum acceptum sit finitum, quia non est infinitum in facto esse, sed in fieri. Alioquin nõ esset secabile in infinitum, neque infinitum sic, sed actu infinitum. Solet vero tale vocari infinitum in actu, permixto potentie. Vide hanc conclusionem in

in Thoma. 1. p. q. 7. ar. 4. Si contra dicas, quod potentia Dei est infinita, ergo potest in effectum infinitum. Antecedens probatur auctoritate Gregorij lib. 9. Moral. cap. 1. Tunc de nostra infirmitate verius concutimur, si quam sit immensa potentia iudicis considerando pensamus: sed omne immensum est infinitum. Consequentia probatur, quia omnis potentia actiua habet passiuam correspondentem sibi proportionatam, alias effect frustra. Huius argumenti concedendum est antecedens, quoniam potentia Dei est sua essentia, neganda verò consequentia, & consequens, quia repugnat effectui ex natura sua esse infinitum. Ad probationem consequentiae distinguo de agente, quoniam agens vniucum habet potentiam actiuam cui correspondet passiuam proportionatam, & ideo tota manifestatur in suo effectui, sicut potentia generatiua hominis tota manifestatur in generando hominem, neque potest in plus. Deus vero quia est agens non vniucum potens operari de aliquo, & non de aliquo, non habet effectum potentie passiuæ proportionatæ, quin semper sua potentia sit maior quam effectus, sicut virtus solis est maior, quam potentia passiuam cuiusque animalis producendi. Potest enim in plusquam in illud animal. Neq; propterea talis potentia est frustra, quoniam cum illud dicatur esse frustra, quod non consequitur finem propter quem est, potentia Dei etiam si nullum effectum produceret, quia non ordinatur ad effectum tanquam ad finem, sed ipsa est finis sui effectus, nequaquam est frustra. Dicitur etiam potentia Dei infinita, non solum prout in se est eadem cum diuina essentia, verum per comparisonem ad possibilia vt dicunt Bona. hac. d. num. 28. & Ricard. q. 2. & hoc tripliciter. Durationis æternitate, quia potest multiplicare effectus sine fine. Vnde Daniel. 4. & 7. vocatur potestas Dei sempiterna & æterna. Secundo, virtutis immensitate seu vigore: quia potest creare ex nihilo, & inter terminos creationis est infinita distantia, nullaque Deus eget mora, aut auxilio ad operandum. Tertio, effectuum numerositate seu generalitate: quia nõ tot facit quin possit plura.

Proposi. 5. Omnipotentia Dei nõ potest comunicari creature. Quia talis potentia semper dependeret à virtute Dei, possetq; deficere subtrahente influxu suo Deo, ergo non haberet rationem omnipotentie, quæ requi-

Argum.

Concl.

Proposi. 5.

requirit quod nō habeatur dependenter ab alio, tanquam à causa. Dixi tanquam à causa, quoniam in diuinis filius nō habet omnipotentiam à se sed à patre, vt est in litera Magistri in fine præcedentis dist. Habet tamen illam per se, quia nō dependenter ab alio tanquam à causa.

Propos. 6.

Si potentia Dei sit ad præteritum, hoc est ad faciendum, quod præterita non fuerint præterita: sicut ad futura, quod non sint, duplex opinio est. Vna communis & negatiua, quam tenet Bonau. d. 42. q. 3. Ricard. eadem. d. q. 5. Scotus in. 4. d. 1. q. 6. litera. C. & d. 6. q. 10. litera. H. Thomas. 1. p. q. 27. art. 4. Pro qua est Arist. 6. Ethic. cap. 2. commendans dictū Agathonis poetæ Tragicæ dicentis. Re namq; sola hac ipse priuatur Deus vt facta minime infecta possit reddere. Est & Hieronymus dicens in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis parum post principium. Caue quæso ne quando de te dicat Deus, virgo Israel cecidit & non est qui suscitet eam Amos. 5. Audacter loquar. Cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam, valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam. Et August. lib. 27. contra Faustum. Quisquis ita dicit. Si ipse Deus est faciat vt quæ facta sunt non fuerint, non videt hoc se dicere. Si ipse est omnipotens faciat vt ea quæ vera sunt falsa sint. Fundat, ergo se ista opinio in implicatione contradictionis. Alia est affirmatiua quam tenuit Gilbertus Porretanus, & sequitur de Aliaco in. 1. q. 11. litera. H. & refert pro ea Altissiodorensem in sua summa lib. 1. tractatu de potentia Dei. ar. 6. Et Gregorium de Armino, qui vltimq; problematice defendit. Fundamentum huius statim hoc, quod sicut respectu futurorum est contingentia, ita respectu præteritorum, & vocatur ad vtrumlibet contingēs, non quia simul erit, & non erit, neq; quia non erit, neq; non erit. Sed quod erit & potest non esse. Aut quod non erit, & potest esse. Sicut ergo Deus potest facere, quod futurū non sit, ita quod præteritum non fuerit. Est autem duplex propositio de præterito. Vna cuius veritas dependet ab alia de futuro contingenti. Vt illa prophetæ sciuerunt Antichristum futurum, diem iudicij, resurrectionem: quæ ad sui veritatem requirit illam de futuro esse pro aliquando veram. Ad hanc videtur quod sit potentia. Nam potest Deus facere quod Antichristus non sit, ergo potest facere quod

quod prophetæ illud non sciuerint. Alia ad sui veritatem non pēdet à futuro, vt Adam fuit. Ad hanc videtur etiam quod sit potentia, quia non est maior implicatio contradictionis quod Adā non fuerit, quam quod Antichristus non sit, quia ista de rigore sermonis est falsa. Deus potest facere Antichristū qui erit, quod non sit, quia implicat quod erit, & nō erit, sed potest facere quod non sit in sensu diuiso. Confirmatur. Tam potens est Deus post productionem Adæ: sicut erat ante, sed potuit facere, quod Adam nō esset ante productionem, ergo potest facere quod nō fuerit postquam fuit. Confirmatur secundo. Potest Deus facere, quod ista non fuerit vera. Prophetæ crediderunt ex motione spiritus sancti Antichristum futurum, quia potest facere quod Antichristus non sit, ergo non crediderunt ex motione spiritus sancti. Sed ita est hodie præteritum prophetas illud credidisse, sicut quod Adam fuit, ergo sicut vna non implicat contradictionem, neq; alia, & sic ad præteritum est potentia. Illud vero Arist. 1. periherm. cap. vlt. Omne quod est quando est necesse est esse, non arguit necessitatem simpliciter, sed secundum quid, hoc est, ex suppositione, seu necessitatem consequentiæ, sicut si curro necessario moueor, simpliciter autem cursus & motus est cōtingēs.

D I S T I N C T I O X L I I I .

De potentia Dei quantum ad modum, seu qualitatem rerum faciendarum.

T

Heologi distinguūt Dei potentiam in ordinatam, & absolutam. Scotus hac. d. exponit hos terminos. Quia in omni agente libero est distinguere has duas potentias, vocatur ordinata in quantum principium exequendi aliqua conformiter ad ordinem præfixum à lege recta. Absoluta in quantum potest agere præter legem & contra eam, si habet in potestate sua recte agere contra legem, quia si subest legi faciet inordinate ipsam transgrediendo. Hoc potest exemplificari in principe. Hanc distinctionē iuristę sic nomināt. Quis pōt facere de iure, (hoc est d̄ ordinata) vcl d̄ facto, hoc est d̄ absoluta.

Propos. 1.

T

Malta

Propos. 2. Multa potest Deus de potentia absoluta: quæ non potest de ordinata. Patet, quia secundum legem præfixam statutum est hominibus semel mori Hebræ. 9. & ab ista potuit præseruare Ioannem Euangelistam, quod sic intellexere discipuli Ioann. vltim.

Propos. 3. Non potest Deus melius facere, quod facit: sumpto ly, melius aduerbialiter & sumpto modo ex parte facientis, quia non potest facere meliori modo, hoc est ex maiori sapientia & bonitate, sumpto modo ex parte rerum, Deus potest quædam facere meliori modo, quædam æquè bono, alia minus bono. Magister in littera. Alex. 1. p. q. 2 1. M. 3. ar. 2.

Propos. 4. Bonitate accidentali potest Deus quamcunq; creaturam meliorare, faciendo hominem sapientiores, Lunam & Solem splendiores, imo de facto totus mundus meliorabitur post iudiciũ. Isai. 30. erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septemplex, sicut lux septem dierum in die qua alligauerit dominus vulnus populi sui. Apocalyp. 2 1. vidit Ioannes coelum nouum & terram nouam, quia ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, sub qua ingemiscit Rom. 8. & sic dicit Bonauent. hac dist. q. 3. quod partes mundi corruptibiles & remotæ aliquando erunt melius ordinatæ.

Propos. 5. Considerando partes mundi, hoc est quamlibet creaturam secundum ordinem quem habent inter se, & ad finem ad quem ordinantur non possunt fieri meliores. Ita docet Alexand. 1. p. quæst. 2 1. M. 3. art. 1. & Bonauent. loco citato Ricard. hac dist. quæst. 1. Thom. 1. p. quæst. 2 5. art. 6. ad tertium. Dixit enim Augustinus in Enchiridio. cap. 10. loquens de bonis creatis. Bona sunt singula, simul vero vniuersa valde bona, quia ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo. Dant exemplum in musica, quia si vna chorda tendatur vt plus aut melius sonet, corrumpetur melodia. Similiter pes, & oculus sunt bene situati in ordine ad totum, & ad finem quod neque oculus melius pede, neque e conuerso, similiter in picturis, varietas colorum. Refert Bonauent. in solutione vltimi Augustinum dicentem super Ioannem, quod sicut angelus optime in coelo, ita vermiculus optime in imo. Vide eundem Alexand. quæstio. 1 8. M. 10. artic. 3. vbi dicit, quod mellor est mundi vniuersitas

ex

ex eo, quod non sunt omnia æqualia.

Secundum specificam essentiam, res ipsæ non possunt fieri meliores: ita quod homo secundum esse suum substantiale non potest fieri melior, Thomas vbi supra. Quia species sunt sicut numeri. 8. Metaphy. sed si meliorarentur, addita differentia essentiali, non remanebunt res, quæ ante fuerant, sicut ternarius addita vnitatem iam non erit ternarius. Ricardus vbi supra disiunctiue loquitur dicens. Aut nulla substantia manens eadem numero potest recipere meliorationem, aut saltem de multis substantijs hoc verum est. Si autem intra eandem speciem vnum indiuiduum sit altero perfectius non est paruum dubium, quia secundum multos vna anima est altera nobilior in naturalibus vt habes in. 2. distinct. 32. & tunc illa proprietates substantiæ, quod non recipit magis, aut minus, in prædicam. cap. de substantia, non intelligitur de prima substantia, quod non suscipiat maiorem perfectionem intra eandem speciem, sed de secunda substantia sic, quod homo, vel anima demonstrato Petro non est magis homo, neque anima magis anima, quia sit vel non sit magis perfecta, quia suum esse cum simul & instantaneè recipiat, non est apta ad magis neque ad minus per motum.

Potest Deus facere alium mundum meliorem, quam iste modo sit, atque hunc mundum potest facere hodie maiorem addendo plures species, plura item indiuidua, & sic esset melior. Sententia est Bonauenturæ hac distinct. quæstio. 1. in qua videtur fuisse Alexand. 1. p. quæst. 2 1. memb. 3. artic. 7. Ricardus dicit, quod si adderentur nouæ partes, tunc vniuersum cum partibus additis se haberet ad præsens vniuersum, sicut totum ad partem: totum autem & pars licet non sint diuersa numero simpliciter, tamen neque simpliciter sunt idem numero sed partim idem, partim diuersa. Secundum quod videtur Aristot. inuere. 1. physic. tex. com. 17. siue cap. 2. quamuis expresse non determinet, & Commentator ibi dicit, quod vnaqueque partium dicitur esse aliud à toto, sed omnes in simul non possunt dici esse aliud à toto.

Dubium est inter doctores an possit Deus inuere naturas rerum, ita quod potuerit creare, & possit hodie immutare

T 2 natu

naturā ignis, vt sit frige facere, & eius inclinatio esse deorsum, terrā ascendere & esse sursum. Et non loquor si de facto possit ponere terram sursum, & ignem deorsum, quia de hoc nulla est credo ambiguitas, quin possit, & tamen neq; erit violentia propter obedientialem potentiam creaturæ, neq; erit etiam illa consistentia secundum propriam inclinationem naturę. Neq; loquor de accidentibus inseparabilibus, vt de albedine & nigredine, quia bene videtur, quod possit in diuersis regionibus facere albos coruos, & nigros Cygnos manentibus alijs proprietatibus naturalibus. Et quidem Scotus in. 4. d. 1. q. 1. littera. E. e. videtur tenere partem negatiuam dum ait, quod si alicui naturę repugnat esse principium aliquarum actionum non est possibile per quamcunq; potentiam esse principium illarum. Et fuit eadem mens Alex. 1. p. q. 2. 1. M. 5. ar. 3. Dum ait, quod si Deus faceret album nigrum, oporteret mutare naturam à se factam, quod non est posse, neq; est potentia. Pro hac arguitur, quia videtur repugnare, quod fiat homo absq; risibilitate, cum risibilitas fluat à specie, & conueniat homini secundum suam essentiam, sed per oppositum opinionis posset fieri. Item tam naturale est igni ascendere sicut homini esse risibilem, & tam naturale esse calidum, sicut hominem esse rationalem, sed impossibile est mutari naturam hominis, ergo & naturam ignis, & per consequens cæteras naturas. Probatur antecedens, quia implicat esse hominem irrationalem. Confir. Essentia rerum seu species aut sunt indifferentes ad proprietatem, aut non. Si non, habetur intentum, quod earum proprietates naturales non possint immutari sine implicatione. Si sunt indifferentes, ergo cum concursu Dei generali poterunt producere effectus contrarios, aut proprietates habere diuersas, quod est inconueniens. Nam concursus Dei generalis eiusdem actiuitatis, & æqualis videtur semper esse, sed concursu generali ignis est naturaliter calidus, & homo risibilis, ergo sicut per illum si modo fieret frigidus ignis, esset implicatio contradictionis, ita implicat, quod à principio fieret frigidus naturaliter, quandoquidē eodē concursu fieri debuit. Cōfir. adhuc. Ignis cū cōcursu generali hodie per calorē corrūpit aquam, & conuertit illam in aerem, igitur si à principio aqua fieret naturaliter calida vt ignis, desineret esse aqua. Gabriel in. 4. dist. quæst. 7. dub. 2. tenet oppositum, & quod

& quod ex noua institutione posset ignis algere. Affert sanitatem Ezechie. 4. Reg. 20. per cataplasma ficuum quod erat contrarium suæ infirmitati: potest afferri & sal. 4. Reg. 2. missam per Eliseum in aquas, quas & sanauit. Sed ad has potest dici. Primo quod ad talem contactum rerum Deus se solo est occulte operatus, non mutando ipsarum naturas. Sicut Tobie. 6. de corde piscis quod valebat ad extricandos demones, & tamen ipse angelus Raphael demones alligauit, quando Tobias iecur piscis super carbones posuit ibi ca. 8. Quod potest dici similiter de albugine extracta ab oculo senioris, quod non fuit ex virtute fellis. Quamuis hoc secundum Lyranus ibi tribuat naturali virtuti fellis. Potest dici secundo, quod in curatione Ezechie fortē ad vicus aliam virtutem occultam medicis habebant ficus, ex qua virtute aut fuit sanitas, aut indifferenti virtuti Deus dedit quod sanaret, non tamen mutando naturam. Et certe quamuis Deus naturam salis immutasset nō poterat vnum vas salis virtute naturali de nouo sumptæ attingere totum fontem, aut totas fontis venas. Si velis pro hac Gabrielis afferre Alex. 1. p. q. 37. M. 2. aduerte quod ibi non loquitur de mutatione naturarū, sed de posse Deum contra naturalem inclinationem rei facere de facto vt ignem sursum, & simile. Hoc enim posse Deum iam est dictū. Posset pro Gabriele afferri idem Alex. quem vide infra. lib. 2. d. 23. p. 5.

Ista conceditur à Magistro. Deus potest quicquid aliquando potuit. Dicitque quod verba diuersorum tēporum, diuersis prolata temporibus, & diuersis adiuncta aduerbijs eundem faciunt sensum. Sed hic est articulus quartus in quo Magister non tenetur. Contra eum vide Alex. 1. p. q. 2. 1. M. 4. & Bona. hac. d. q. vltima, qui Bona. dicit præfatam positionem Magistri esse nominalium. Vbi annotabis quod Ocham qui fuit posterior Bonauentura non fuit primus dux nominalium. Atque in potentia & sciētia Dei tria sunt consideranda. Actus ipsius Dei, qui est inuariabilis: secundo res ipsa. Tertio status siue conditio rei, præsens, futurus, & præteritus, per quem res variatur. Quoniam ergo mutabilitas aut impossibilitas se tenet ex parte rei, & sui status, dicimus de Deo per diuersa tempora. Potuit mori, iam non potest mori, mors illi non dominabitur Rom. 6.

Proposi. 9.

DISTINCTIO XLV.

Quid est diuina voluntas. Tractat enim Magister de voluntate, à qua est bonitas in rebus.

Proposi. 1. **I**N Deo est voluntas. Rom. 12. Probetis quæ sit volūtas Dei bona bene placēs, & perfecta. Ab hac dicitur De⁹ volēs, & dicitur secundū essentiam. Nō enim est aliquis effectus, vel motus qui in Deum cadere non potest. Magister in litera. Significaturque nomine voluntatis vt Alex. dicit. 1. p. q. 34. M. 2. essentia diuina vt actus liber ab omni coactione in omne quodlibet.

Proposi. 2. A voluntate non dicitur omniuolens, sicut dicitur omnipotens, & omniscius. Bona. hac. d. num. 15. Quia in præfato termino voluntas ponit actualitatem in re voluta, quod actu sit, multa autem Deus possibilia non vult q̄ sint. Potentia non ponit rē in actu, sed dicit causam in ordine ad effectum possibilem: scientia est in ordine ad obiectum cognitum: idem docet Alex. citata. q. 34. M. 2.

Proposi. 3. Quamuis velle Dei sit suum esse, & Deus velit alia à se, non ideo hæc est concedenda, vult alia à se, ergo est omnia quæ vult. Magister in litera, & Alex. citata. quæst. 34. M. 2. Ratio est quia dicēdo vult alia à se, connotatur respectus & effectus in creatura, dicendo est, nihil connotat ad extra, sed dicit diuinam essentiam.

Proposi. 4. Diuina voluntas, quæ est prima & summa causa omnium, nullam habet causam, aut rationem motiuam sui. Magister in litera. Alex. 1. p. q. 35. M. 3. Et sic deducunt ex Augustino lib. 83. q. quod diuinæ voluntatis non est quærenda causa. Implicaret quippe contradictionem, quod esset prima & haberet sui causam. Et cum sit à quo cæteræ causæ dependent & concurrat ad omnes effectus, est causa omnium immediata. Ita docet Alex. citata quæst. 35. M. 2. & Bona. hac. d. num. 31. Nam causæ vniuersales tam sunt propinquæ effectibus, quam particulares, & quicquid est causa causæ, est causa causati. Idcirco Sol concurrens ad generationem animalium immediate attingit effectum, & mul-

to ma-

to magis Deus, qui licet operetur per causas secundas concurrat immediate immediatione virtutis, vnde causa immediata, est vt docet citatus Alex. qua posita ponitur effectus, & è conuerso qua non posita non ponitur effectus. Vide & Gabrielem in. 2. dist. 1. quæst. 2. sed si Deus non coagat alijs causis, ipsæ secundæ nihil efficient. Tum secundo, quia actio causæ vniuersalis alterius rationis videtur ab actione causæ particularis. Alia enim ratione pater, alia Sol concurrat ad generationem. Idcirco causæ vniuersales immediate immediatione virtutis attingent effectum, esto medient causæ secundæ.

Quamuis ad omnem effectum concurrat sapientia, quia *Proposi. 5.* omnia in sapientia fecisti psalm. 103. Et sapientia fundauit terram. Prover. 3. hoc est intellectus & concurrat voluntas, & potentia vt supra. distin. 38. p. 1. tamen productio effectus per prius & principalius attribuitur voluntati, quam potentia executiua. Ita docet Ricar. hac. distin. artic. 2. q. 2. quia potentia nō ponit effectum nisi determinata ad operandum per voluntatē. Durandus hac. distin. quæst. 2. dicit, quod in omni agente libero ad productionem effectus magis de propè se habet voluntas, quam intellectus. Vel secundum rem vbi intellectus & voluntas differunt realiter. Vel secundum rationem vt in Deo. Quia ista habent ordinem, scire, velle, & operari: sed velle est medium scire, & operari extrema, ergo magis distant inter se quam à medio, & qualem ordinem realem habent in nobis talem habent rationis in Deo. Sed in nobis immediatius se habet ad opera artis actus voluntatis, quam intellectus. Hoc est contra aliquos quos ipse refert tenentes Deum, & angelos immediatius attingere effectus per actum intellectus quam voluntatis.

In Deo distinguunt Theologi voluntatem, in voluntate *Proposi. 6.* proprie, & metaphoricè. Voluntas proprie dicitur beneplacitum seu dispositio: metaphoricè dicitur voluntas signi: sicut in nobis signa iræ, dicuntur ira, signa dilectionis, dilectio. Hanc docet Magister in litera & Scholastici hac. distin. Alexan. 1. par. quæst. 36. Mem. 1. Thom. 1. part. quæst. 19. artic. 11. & 12. Ponunturque quinque signa diuinæ voluntatis contenta in hoc versu.

Præci-

Versus.

- Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.*
1. Præceptio est signum diuinæ voluntatis approbantis aliquid vt ad salutem necessarium.
 2. Prohibitio est signum aliquid reprobantis. Sic prohibuit Balaam maledicere Israeli num. 22. & ipse Balaam dixit. Prohibuit me Dominus venire vobiscum. Matth. 8. dixit Iesus leproso. Ne mini dixeris.
 3. Permissio est signum manifestantis per effectum alienū, quādo relinquit Creaturam facere iuxta proprium motum ipsius. Non enim dicit actum diuinæ voluntatis. Dixit enim Augustinus citatus in litera. Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Permisit venire tentationē Tobie vt posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & sancto Iob. Tobie. 2. permisit demonia intrare in porcos. Lucæ. 8. Non permisit Iudith coquinari, Iudith. 13. potuisset namque Holofernes ipsam oppressisse.
 4. Consilium est signum approbantis aliquid tanquam ad salutem utile, quanuis non necessarium. Talia sunt vota religionis quibus quadrat illud Christi, Matth. 19. Qui potest capere capiat. De præcepto, & consilio interpretatur Magister illud orationis dominicæ. Fiat voluntas tua, & illud Matth. 12. Qui facit voluntatem patris, meus frater, & soror est.
 5. Impletio, est per effectum, quem ipse Deus facit.

DISTINCTIO XLVI.

De impletione diuinæ voluntatis.

Propos. 1.



Voluntas beneplaciti, de qua Paulus Rom. 12. Probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, distinguitur in antecedentem: & consequentem. Quæ diuisio sumitur ex Damasceno lib. 2. cap. 29. Vocatur antecedens, quia dat antecedentia ex quibus potest consequi aliquid, vel operari, parata coagere, si aliquis velit exequi præceptum, vel consilium. Consequens est, efficaciter complacens sibi in esse aliquid ipsum volendo esse, pducendo, aut cōseruando

Aliqua

Aliqua vult Deus voluntate antecedenti, quæ non vult voluntate consequenti. Quia vult omnes homines saluos fieri. 1. Timoth. 2. dando omnia antecedentia ad salutem: neque tamen saluantur omnes. Et ita est Paulus intelligendus secundum Damascenum citatū. Magister in litera aliter exponit. Idest, quotquot saluantur, per voluntatem eius saluantur. Sicut Ioan. 1. illuminat omnem hominem, idest, omnis qui illuminatur, ab eo illuminatur. Alio modo, vt sit distributio pro generibus singulorū. hoc est. Vult de qualibet gēte aliquos saluos facere, iuxta quod est illud psalmi. 85. Omnes gentes quascunque fecisti venient & adorabunt coram te. Hæ duæ interpretationes sunt Augustini, referunt ab Alexan. 1. p. q. 36. M. 2. & à Bona. hac. d. quæst. 1. Vide & Thom. 1. p. quæst. 19. artic. 6. ad. 1. Ad primam harum duarum est exemplum de magistro docente omnes pueros ciuitatis, idest, omnes qui docentur & de medico curante omnes infirmos populi.

Deus iuste permittit malos esse in mundo, & quod mala operentur. Magister in litera. Probatur ex Augustino. lib. 22. de ciuita. cap. 1. Deus potentius & melius iudicauit & de malis benefacere quam mala esse non finire. Gregorius. 11. Moral. super illud Iob. 12. abundant tabernacula prædonum. Omnipotens Deus, quod fieri prohibet, iustum est vt fieri sinat. Augustinus, super psal. 54. Omnis malus ideo viuit vt corrigatur, aut vt per illum bonus exerceatur. Ad hanc vide Alex. 1. p. quæst. 18. M. 10. & in. 2. p. q. 100. Bona. d. 47. sequenti. q. 3. ex Augustino de lapsu mundi dicit, quod permisit Deus malos esse plures, qui si essent pauci exercere bonos non auderent. Hoc bene videmus in multitudine infidelium ecclesiam vexantium, atque etiam in ipsa ecclesia, præcipue in religionibus, in quibus sunt plures tepidi. Quo circa apud Iob. 41. corpus diaboli, qui sunt omnes iniqui dicitur compactum squamis se prementibus, & ecclesi. 21. Stuppa collecta synagoga peccatiū. Nahū. 1. Sicut spinæ inuicem se complectuntur sic conuiuium eorum pariter potantium.

Mala, quæ dicit præcedens, quod Deus permittit sunt mala culpæ: Nam poenas quandoque Deus ipse facit, & autor earum est, quod non est culpæ vt in litera dicitur ex Augu-

V stino

Propos. 2.

Propos. 3.

Propos. 4.


stino quod Deo autore non fit homo deterior, & quod bonorum Deus tantum causa est. Alex. 1. p. q. 18. M. 9. Hoc est de fide contra hæreticos dictos Florianos à Florino eorum duce, qui dixerunt Deum esse autorem mali culpæ. Contra quos Olee. 13. perditio tua ex te Israel. Quod si Deus esset autor peccatorum iniustus foret illa puniendo, sicut deducit Paulus. Rom. 3. Si veritas Dei in meo mendacio abundavit, quid adhuc ego tanquã peccator iudicor? Alij hæretici Coluthiani dicti à Colutho Ægyptio, dicunt quod nec malum poenæ sit à Deo. Contra quos & pro conclusione Amos. 2. Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit. Isaia. 45. Ego Dominus faciens pacem & creans malum, idest, poenæ. Quod si de culpa debeat intelligi, est permisit siue. Hieremias. 11. Inducam super eos mala de quibus exire non poterunt. Atque pro intellectu huius, sciendum quod malum non est natura aliqua, vt sunt lapis, & cæteræ naturæ. Dicit enim Dionysius de diuinis nominibus. 4. ca. Malum est non existens neque bonum. Et Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 11. Malum natura nulla est. Propterea dico quod malum est priuatio boni. Omne autem ens in quatum ens, est bonum ergo malum est nihil. Et sic Magister in litera verbum Ioannis. 1. Sine ipso factum est nihil, exponit, idest, peccatum. Et notandum quod nõ qualibet absentia boni est malum: sed illa quæ est priuatio, idest, negatio in subiecto apto. Nam si sola negatio sufficeret homo esset malus quia non est leo, aut angelus, & perinde quælibet creatura quia non habet perfectiones alterius. Ad cognoscendum ergo malum oportet præcognoscere quid sit bonum. Bonum vero est omne illud, quod est appetibile. Appetibilia autem sunt in natura, vt forma substantialis rei: aut operatio secundum illam formam: vel forma accidentalis: vel secundum mores actus debitis circumstantijs ornatus. Priuationes horum dicuntur mala, & quanto perfectius est bonum quod priuatur, tanto malum est peius & peruersius. Ita peius est priuare hominem vita, quam bonis tēporalibus, peius carere oculo, quam digito, peius peccare quam poenam pati. Idcirco malum culpæ habet magis rationem mali quam poena, dicit enim Dionysius ca. 4. de diuinis nominibus. Puniri non est malum, sed fieri poena dignum. Nam peccatum priuat gratia & æterna vita spiritali, poena priuat corpus

pus vita aut salute. Peccatum ergo, quia est nihil & priuatio boni, puta quia in actu peccati deest aliqua debita circumstantia Deus peccati non est autor. V. g. Idem actus est cognoscere meretricem, & propriam vxorem: sed quia in vno sunt debite circumstantiæ est bonus, alter vero peccatum, quia desunt. Qui circumstantiarum defectus à nostra est voluntate. Inde dicunt theologi quod Deus concurret iad actum illum in quantum est actus, sed non in quantum peccatum, idest, concurret ad peccatum pro materiali, sed non pro formali: concurret ad substratum peccati, non ad peccatum. Atque ex eo quod dicimus Malum esse priuationem in subiecto, necessario debet esse aliquod bonum, aliquod ens, cui deficiente aliqua bonitatis parte quæ inesse debuit dicatur malum. De malo vide Alex. 1. p. q. 19. Thom. 1. p. q. 48. & 49. Bona. & Ricar. hac. d.

Mala culpæ cum sint nihil non sunt ordinabilia per se in aliquod bonum: per accidens vero ordinantur in bonum, idest, per aliquod extrinsecum. Vide late in litera. Sicut ergo potio amara disponit ad sanitatem, & propterea dicitur sana, ita mala disponunt ad bonum & possunt dici ordinabilia in bonum. Culpa enim ordinatur per poenam, ordinaturque in bonum iustitiæ. Et sicut vrina dicitur sana quia est sanitatis ostensiuua, sic culpa ostendit bonitatem ordinis constituti à Deo, vt sit homo in manu cõsiliij sui. ecclesi. 15. Et opposita iuxta se posita magis elucescunt, ex comparatione enim peccatorum apparet magis sanctitas iustorum, ex persecutione tyrānorum patientia martyrum. Atque ex hoc ipsa mala secundum suam deformitatem licet non sint de perfectione vniuersi, quia nullum ens sunt, neque substantia le neque accidentale, tamen ex ordinatione prædicta reddunt pulchrius vniuersum. Est exemplum de cypho fracto, restituito tamen cum aurea ligatura, qui est pulchrior quã si fractus nõ quam fuisset. Vnde Grego. in benedictione cerei, felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. Vide. Bona. & Ricar. quæstio. vlti.

DISTINCTIO XLVII.


Quomodo diuina voluntas semper impletur.

- Proposi. 1.** oluntas beneplaciti, & cōsequens, semper impletur Magister in litera. Probatur psal. 75. Tu terribilis es & quis resistet tibi. q. d. nullus. Sapientia. 11. Virtuti brachij tui quis resistet. Rom. 9. Voluntati eius quis resistit? Alexan. 1. p. quæst. 36. M. 2.
- Proposi. 2.** Voluntas signi, in quantum illa signa sunt respectu futuri, nō semper impletur. Multa enim fiunt cōtra præcepta, contra prohibitiones, contra consilia. In quantum vero illa signa sunt de præsentia, vt est permissio & impletio, semper impletur. Quia omne ens quando est, necesse est esse. Primi periherm. cap. vltimo.
- Proposi. 3.** Absolute & simpliciter loquendo non debet concedi quod voluntas Dei non impletur. Hanc docet Gabriel hac. d. conclusionem. 4. quia voluntas Dei semper sumitur pro volūtate propria, & non pro voluntate metaphorice: propterea debet dici cum addito, voluntas Dei in quantum præcipiens consulens, prohibens non impletur. Similiter cum explicatione est dicendum, voluntas Dei antecedens potest impediri, quia voluntas antecedens non est voluntas Dei efficax.
- Proposi. 4.** Voluntas Dei beneplaciti semper impletur, vel à nobis quando bonum facimus, & quia scimus placere Deo: vel de nobis quando peccamus. Quia nihil homo facit, de quo Deus non operetur quod vult. Hanc docet Magister ex Augustino. Alijs verbis posset sic poni, Illa quæ fiunt contra voluntatē signi, & contra voluntatem Dei antecedentem, obsequuntur diuinæ voluntati præter intentionem facientium. Patet Genes. 50. de fratribus Ioseph qui volentes aliud, diuinæ volūtati de exaltando Ioseph sunt obsequuti, quibus ille dixit. Num Dei possum resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, & saluos faceret multos populos. Isaia. 10. Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea, ipse autem non sic arbitrabitur. Sic diuinæ voluntati de redemptione generis humani obsequuntur

quanti sunt Iudas traditor, Iudæi accusatores, Pilatus iudex, & milites ministri. Vnde Iob. 5. Apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat psal. 32. Dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum, & reprobat consilia principum, consilium autem domini manet in æternum. Alex. 1. p. q. 40. M. 4. ad secundum argum. & Ricar. q. 3. ponunt exemplum ex Anselmo lib. 1. Cur Deus homo cap. 15. Si ea quæ sub cœlo sunt, vellent non esse sub cœlo, aut elongari à cœlo, nō possent, neque fugere, nisi propinquando ex vna parte cœli ad aliam. Ita fugiens voluntatem præcipientem transit ad permittentem & punientem. Quocirca est id psalm. 110. Magna opera domini exquisita in omnes voluntates eius. Et. 102. Notas fecit vias suas Moyse, filijs Israel voluntates suas

DISTINCTIO XLVIII.

De conformitate voluntatis nostræ ad diuinam.

- Proposi. 1.** onformitas voluntatum, attenditur penes obiectū volitum, & penes modum tēdendi in obiectum. Qui modus dicit circumstantias finis, temporis, & alias. Atq; si in omnibus sint conformes quadrat illud Catilinæ in oratione apud Sallustium. Idem velle atq; idem nolle ea demum firma amicitia est. Cicero in oratione pro Plancio, vetus enim est lex illa iustæ, veræq; amicitia, vt idem amici semper velint. Ad totam materiam huius dist. vide Alex. 1. p. q. 41.
- Proposi. 2.** Potest voluntas creata conformari diuinæ in volito, & non in modo volendi. Patet in Iudæis volentibus Christum crucifigi, quem Deus pater mori volebat. Vide Magistrum in litera.
- Proposi. 3.** Voluntas creata conformando se diuinæ in volito, & in modo volendi est recta. Quia diuina voluntas est rectissima regula sui actus, & omnium actuum creaturarum.
- Proposi. 4.** Diuinæ voluntati beneplaciti, & absolute rem aliquam volenti, tenetur voluntas creata se conformare. Patet ex primo præcepto decalogi, quod Deus est super omnia diligendus.
- Proposi. 5.** Hæc diuina voluntas iam se nobis manifestauit in præceptis decalogi.

decalogi, quibus tenemur obedire secundum quod imposita sunt, videlicet affirmatiuis semper, sed non ad semper, sed pro loco, & tempore. Negatiuis semper & ad semper. Sic etiam Hieremias. 38. obligati fuere Iudæi tradere ciuitatem in manus Nabuchodonosoris & peccauere, quia voluerunt obedire Hieremias. Similiter Saul, quia non deleuit Amalech. 1. Reg. 15. Et Zacharias, quia non credidit Gabrieli angelo. Lucæ. 1. quoniam ex reuelatione illi constitit voluntas Dei. Sic etiam ille cui diuina voluntas constaret ex reuelatione teneretur se illi conformare. Sed si reuelaretur sibi sua damnatio finalis dubium est quid teneretur facere? Et quidem Bonauent. hac dist. q. literali numer. 1. tenet esse impossibile, quod alicui reuelaretur sua damnatio. Quod absolute est tenendum saltem de lege ordinaria, quia dixit Paulus. 1. ad Galatas licet angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus anathema sit. Diximus autem. d. 41. p. 5. esse de fide quod bonus saluabitur. Propterea talis reuelatio esset intelligenda secundum præsentem statum in quo ille esset, quia forte est avarus aut fornicator: vel sub conditione si in peccato decesserit, vt talis reuelatio conformetur diuinæ legi ordinariæ. Facit in hoc Ezech. 33. Si dixero impio, morte morieris & egerit poenitentiam vita viuet, & ita acceperunt viri Niniuitæ Ionæ prædicationem, vide in. 2. dist. 4. p. 6. Sed casu admissio tenet Gregorius de Arimino, quem referunt Gabriel lect. 68. sup. canonem, & Aliacensis. q. 14. 1. litera. L. & M. quod debet esse contentus de diuino iudicio, neque pro se deberet orare, sicut ecclesia non orat pro damnatis. Nam dixit Christus Lucæ. 12. seruus sciens voluntatem domini & non faciens plagis vapulabit multis, ergo à fortiori sciens voluntatem huiusmodi, & non volens ei conformari est puniendus. Secundo August. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 24. dicit quod ecclesia non orat pro diabolo, neque pro damnatis hominibus, & addit, quod pro nullo viuento finaliter reprobato, si de eius reprobatione ecclesia esset certa oraret vt saluaretur. Neque tamen iste sic contentus esset culpabilis, sed laudabilis, quia talis actus procederet ex maxima dilectione Dei. Contrarium tenet ibi Aliacensis litera. P. & dicit, quod iste potest & teneretur pro se orare, & velle saluari, quia per talem reuelationem non absoluitur ab obligatione præcepti de dile-

Dubium.

dilectione sui. Sed tenendo cum Gregorio, si absoluta voluntas Dei constaret cessaret talis obligatio.

Quoniam diuina voluntas non est nobis nota omnino secundum obiectum, & alias circumstantias licite quandoque Deo volente vnum, nos volumus contrarium. Patet in litera, ex Augustino, quia aliquando bonus filius patrem vult viuere, quem Deus bona voluntate vult mori: vult Deus immittere famem, pestes, bella, quæ tamen quia immittuntur propter peccata, & ignoramus quanto tempore velit Deus illa durare, iuste oramus contra illa, quoniam volente illa Deo propter peccata, non absolute vult, sed suppositis peccatis. Sic diuus Petrus iussit restitit Christo volenti sibi pedes lauare Ioan. 13. si tamen postquam Christus absolute dixit, non habebis partem mecum si non laueris te, se non permitteret lauari mortaliter peccaret, vt sentit Basilus in de iudicio Dei, seu proœmio in librum ethicorum. Ad idem pie lugebat Samuel super Saul quoniam dominum poenitebat, quod constitisset eum regem. 1. Reg. 15. Si tamen postquam dixit illi dominus, vsq; quo tu luges Saul? & præcepit vngere Dauid, in luctu perstitisset, forte peccaret. Quoniam iam Dei voluntas constabat quæ ante cum ei constitisset ex ordine ad peccatum, potuit exstimare, quod deleretur peccatum, & sententia posset reuocari. Generaliterque in omnibus est dicendum, quod vbi diuina voluntas nobis omnino non constat, possumus ex pijs causis aliud velle & pro illo orare. Atque in sic orando, & volendo meremur, quia cum hoc, quod Deus aliud vult, complacet sibi in nostra pietate, vult enim vtrumque. Sic vt in litera dicitur volebat Deus Paulum in Hierusalem multa pati mala pro fide Act. 21. quæ annuntiabat propheta Agabus, & tamen piæ erant fidelium voluntates nolentium Paulum abire Hierosolymam. Ad idem nos ex varijs causis vt dicitur in litera, & lætamur, & tristamur. De passione Christi lætamur propter redemptionem, & condolemus cruciatibus eius: ita in passione martyrum lætamur de coronis, condolemus cruciatibus, & peccatis carnificum. Lætandum ergo in omnibus operibus domini ecclesia. 39. Et sic dicetis in confessione. Opera domini vniuersa bona valde. Et cum Sancto Iob. 2. Si bona suscepimus de manu domini mala

Propos. 6.

mala

mala quare non sustineamus. Cum hoc tamen & animum prauum persequentium nos detestabimur, quodque in malum non proficiant orabimus, sed disperdantur mente cordis sui, ut est in cantico beatæ virginis Lucæ. 1. Multa doctores in hac dist. dicunt qui forte in verbis solis differunt. Nobis hæc dixisse sufficiat tam ad huius materiæ elucidationem, quam ad primum totum sententiarum, atque ad abbreviandum secundum festinamus.

Finis primi libri.


I

BREVILOQVIUM

secundi libri.

DISTINCTIO PRIMA.

De primo principio effectiuo rerum: de ipsarum tripartita distinctione: De generationis creaturæ fine.



Rerum omnium visibilium, & inuisibilium vnum est primum principium effectiuum qui est Deus, Magister in litera Alexand. 2. p. q. 1. M. 2. & est de fide Ioann. 1. omnia per ipsum facta sunt. Mundus per ipsum factus est. 1. Timoth. 4. Qui omnia creauit Deus est. Malachiæ. 2. Nunquid non Deus vnus creauit nos? In simbolo. Credo in vnum Deum factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Per hæc reuincuntur hæretici Seleucus & Hermias dicentes materiam mundi fuisse Deo coeternam neque ab ipso creatam. Item alij quorum nomina non referuntur, qui forte fuerunt ijdēmet, dicentes aquā non fuisse à Deo creatam sed illi coeternam. Contra quos facit particulariter quod de se dicit sapiētia. Prou. 8. Nōdū erāt abyssi, & ego iā concepta erā, necdū fontes aquarū eruperant. Fuit & error Simonis magi de quo fit inentio in actibus Apostolorum dicentis, mundum creatum ab angelis. Neq; à malo Deo factus est mundus tanquā sint duo principia vnum lucis alterū tenebrarū sicut posuerunt Manichæus & Priscillianus. Cōtra quos (quia Priscillianus fuit episcopus Abylæ ciuitatis in Hispania) sic definiuit Concil. primū Braccharense. cano. 8. Si quis credit, quod aliquas immundas creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura & tempestates, & siccitates ipse diabolus sua autoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Vbi aduerte, sua autoritate, quia ex diuina permissione bene potest facere fulgura & tonitrua.

X



nitrua, sicut Magi Pharaonis fecerunt ranas Exod. 3. & cano. 13. Si quis dicit creationem vniuersæ carnis non opificium esse Dei, sed malorum angelorum sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit. Idem concil. cano. 9. Si quis animas & corpora humana fatalibus stellis credit astringi, sicut pagani & Priscillianus dixerunt, anathema sit. Et quoniam Priscillianus dicebat corpus humanum secundum duodecim signa cœli esse compositum ponendo Arietem in capite, Taurum in ceruice, & sic alias partes corporis distribuebat, idem Concil. cano. 10. Si qui duodecim signa, id est, sydera quæ Mathematici obseruare solent per singula animæ vel corporis membra dissipata credunt, & nominibus patriarcharum ascripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Vbi concilium damnat fatum prout dicit vim syderum vt omnia eueniât necessario. Contra fatum isto modo vide August. lib. 5. de Ciuita. Dei. Et Gregorium in homilia Epiphaniæ. Sumitur alio modo fatum pro gubernatione Dei per causas secundas. De quo Boetius lib. 4. de consol. prosa. 6. Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quæq; necit ordinibus. Hinc omnia quæ subduntur causis secundis, subduntur fato, non tamen illa quæ immediate producantur à Deo, vide Alexand. 1. p. quæst. 27. & Thom. 1. p. q. 116. Vide Bonauent. in 2. dist. 14. quæst. vltima. fatum sic acceptum non damnatur à doctoribus.

Argum.

¶ Si contra hanc dicas, quod diabolus vocatur princeps huius mundi Ioan. 14. dico, quod caro, mundus, seculum sumuntur in scriptura pro conuersatione vitiosa Gene. 6. Omnis caro corrumperat viam suam. Neq; valeret. Est princeps mundi, ergo creauit illum, sicut non valet. Philippus est princeps Hispaniæ, ergo creauit illam. De mundo sic sumpto dixit Ioan. 1. epistola cap. 2. Nolite diligere mundum. Et Christus Ioan. 18. Regnū meum nō est de hoc mundo. Aut etiam, quia non habebat temporalem famulatum & gloriam, vt reges mundi. 2. Corin. 4. dicitur Deus seculi exceçasse mentes infidelium, id est, diabolus, qui pro Deo colebatur. Aut verus Deus permissiue Isai. 6. exceca cor populi huius. In naturalibus idē Sol producit diuersos effectus liquādo cerā, indurando lutum, ita Deus est vnum principium, causę tamē cōstituentes, vt formæ, sunt oppositæ & diuersæ ad effectus.

Causa-

Causalitas perfecta necessario est in tribus personis. Scotus hac d. q. 1. vide & Alex. 2. p. q. 2. M. 2. Et probatur, quia terminus ad quem terminatur dependentia creaturarum in Deo, est essentia, vnde August. dixit opera Trinitatis ad extra esse indiuisa. Ex hac inferitur, quod si per impossibile esset in diuinis tantum vna persona in illa esset perfecta causalitas, quia haberet eandem essentiam.

Proposi. 2.

Corol.

Deus, hoc est primum principium, dedit omnibus esse per creationem, quod tantum valet, sicut fecit ex nihilo omnia. Magister in litera. Probatur Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram. psal. 148. Ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Vbi glos. ordi. facere & nos possumus sed non creare. Ratio est, quia factio in plus est, quam creatio, quod & Magister in litera docet. 2. Machab. 7. peto nate vt aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, vbi, ly, ex dicit ordinem, sicut ex mane fit meridies, id est, post mane in proposito ly, ex, non dicit causam materialem quæ nulla præcessit, sicut dicimus iste loquitur de nihilo, id est non de aliquo, signatur materia, contristatur de nihilo, id est sine causa. Non enim sumitur ibi causaliter, sed negatiue. Vide Alexand. 2. p. quæst. 9. mem. 10. Dicuntur omnia ex nihilo, vel quia secundum se tota sunt ex nihilo, vel secundum principia ex quibus sunt constituta, ideo generatum dicitur creatum. De creatione sic Theologi habent. Nam aliquando sumitur pro reformare in melius, vt creatur episcopus, vel rex. Ad hunc sensum dixit August. contra aduersarium legis lib. 1. longe post medium. Creari est ex eo, quod erat condialiquid, atq; constitui, sic in psal. 50. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis, quia innouatio, est iterata nouatio alicuius quod iam fuit. Apud Latinos non sumitur in acceptione Theologorum scholasticorum. Sed pro facere, aut producere. Vnde Cicero in oratione pro Cornelio Balbo vocat Romulū creatorem vrbis Romæ. Diciturq; apud Latinos creare fraudē, creare lites, imo ex nostris Theologis Hebraicæ linguæ studiosis sunt qui dicāt. Gen. 1. In principio creauit Deus, quod verbum Hebraicum ibi positum. Bara. non significat ex nihilo facere, sed producere qualitercūq; siue ex nihilo, siue ex aliquo.

Proposi. 3.

X 2

Atq;

Atq; inde volunt, quòd creare nō sit proprie ex nihilo. Communiter autem sic est acceptio Theologorum vt dictum est : fatentur tamen dici æquiuoce vt est videre in Ricar. hac. d. ar. 1. q. 1. ad secundum.

Proposi. 4. Creatio in Deo non ponit aliquam mutationem, quia ipse faciendo non mouetur sicut nos, qui per motum operamur. Magister in litera. Et dat exemplum, sicut ex calore solis aliqua fieri contingit nulla in ipso, vel eius calore facta mutatione: imo neq; in ipsa creatura est proprie mutatio vt dicit Alex. 2. p. q. 9. M. 1. prout de illa loquitur Arist. 6. phys. tex. comm. 6. quia omnis mutatio ē quopiam fit ad quippiam. Et ponit triplicem mutationē. E subiecto ad subiectum, & est generatio. E subiecto in non subiectum, & est corruptio. E subiecto in subiectum, & est motus. At in creatione nullum præcessit subiectum. Potest tamen dici aliquo modo mutatio, vel secundum modū intelligēdi tantū, vt dicit Tho. 1. p. q. 45. ar. 2. ad. 2. vel sumendo mutationē pro productione entis, quāuis nō de aliquo, cui⁹ termin⁹ est ipsa creatura.

Proposi. 5. De creatione actione, & de creatione passione quid sint? est sententia Alex. 2. p. q. 6. M. 2. art. 3. quod creatio actio est Deus creator, & q. 9. M. 2. quòd creatio passio est creatura. Cum eo est Ricard. hac. d. ar. 1. q. 3. & 4. Thomas vbi supra citatus. ar. 3. Probatur, quia secundū Damasc. lib. 1. cap. 3. omnia entia aut creata sunt aut increata, sed creatio actio non est quid creatum, & creatio passio non est quid increatum, ergo creatio actio est ipse creator, & creatio passio creatura. Secūdo. Creatio actio dicit aliquid in Deo, sed quicquid est in Deo est ipse Deus vt in. 1. d. 8. ergo creatio actio est ipse Deus. Sed cōtra, propterea creare est agere & creatio est actio, quia omnia quæ dicuntur de Deo, dicuntur secundum modum alicuius prædicamenti, & hæc non possunt dici nisi secundū prædicamentū actionis & passionis, sed de creatione sublato motu & mutatione proprie dicta non remanet in actione, & passione creationis nisi relatio, quæ in Deo est rationis, in creatura realis, ergo creatio actio non est Deus. Hoc argu. profecto conuincit, quia in præcedenti concessum est Deū neq; moueri, neq; mutari, & creationem non esse propriē mutationē: vnde videtur dicēdū, quod creatio de per se, & suo significato formali dicit relationē & ipsa relatio nō est Deus, alioquin nō diceret

de

de Deo ex tempore, quod creat, & cū nihil reale adueniat Deo ex tempore constat esse relationem rationis in Deo, connotat autem fundamentum, quod est ipsa diuina essentia. Doctores autem concedentes creationem actionem esse Deum, videntur sumere creationem vt significet directe & de per se fundamentum. Contra quos facit quod creatio significatur vt mediū inter creatorem & creaturam, sicut mutatio est media inter mouēs & motum ergo per se non significat fundamentū. Accedit quod actio & passio sunt idem motus secundum Arist. 3. phys. & sunt in eodem. Sed creatio passio est in creatura, ergo & creatio actio est in creatura, & per consequens non significat ipsam essentia Dei, sed relationem rationis Dei ad creaturam. De relatione reali creaturæ ad Deum quid sit, est opinio Scoti hac. d. q. 5. litera. M. & in. 4. d. 13. q. 1. litera. X. quod est idem realiter cum creatura quia implicat contradictionem quod sit creatura sine relatione dependentiæ ad Deum, non est tamen idem formaliter, seu non est idem identitate adæquata, quia per se ratio relationis nō includit rationem absoluti, neque ratio absoluti rationem relationis. Proinde creationis vt est mutatio creatura est terminus, vt est relatio, creatura est fundamentum. Alij è contra dicunt qd relatio dependentiæ ad Deum in creatura est accidēs realiter distinctum à substantia, atque est in qualibet creatura, quāuis creatura non possit esse sine tali relatione sicut neque homo potest esse sine risibilitate, opinio autem Scoti sumpta videtur ex Alex. dicente quod actio passio quodam modo est idem quod creatura, quodam modo non est idem.

Conseruatio an sit idem quod creatio ex parte creaturæ, duplex opinio est Ricardus hac. d. art. 2. q. 1. tenet quod realiter differunt, & quod conseruatio, seu duratio, aut permanentia creaturæ, quæ idem sunt sit aliqua res positia. Probat, quia conseruatio præsupponit creationem sed nulla res præsupponit seipsam ergo non sunt eadem res. Secūdo quia secundum Arist. 6. Phys. Tex. comm. 7. impossibile est petere Thebas & petijisse simul: hoc est, simul moueri atque motum esse ad eundem locum: ergo similiter impossibile est creaturam habere esse, & simul accipere illud esse. Et per consequens conseruari, quod est durare in esse habito, & creari, quod est accipere esse post non esse non sunt

X 3

idem

Proposi. 6.

idem realiter. Alij quos ipse refert dicunt, quod non differunt ex eo quod sint duæ res positivæ, sed ex eo quod sunt duæ relationes differentes. Neque tamen explicat si ambe sint reales. At vero Scotus quodlibeto. 12. tenet quod idem respectus est creaturæ ad Deum creantem & conseruantem realiter, sed quod differunt inter se ratione. Quia creatio dicit respectû dependentiæ ad causam in essendo, sed vltra hoc dicit respectum rationis ad non esse præcedens. Conseruatio dicit eandem dependentiam cum respectu rationis ipsius esse ad semetipsum, quasi iam præhabitum. Ad hanc est exemplum si quis suo velle posset facere lapidem esse sursum, quandiu maneret illud velle, maneret lapis sursum sine alia actione & passione noua. Et aliud in sole, qui eadē actione, qua producit lumen in medio, conseruaret illud, si semper maneret non motus. Neque ista assertio est eadem cum articulo Parisiensi damnato, quia ille dicebat, Deus nunquā plus creauit intelligentiam quam modo creat. Quia per hanc non ponit Scotus creaturas semper creari, neque semper fieri de nouo, imo fatetur habere illas esse completum acceptum. Autoritatē Ioannis. 10. Pater meus vsque modo operatur, vtraque opinio pro se citat. Prima per Augu. 17. tractatu super Ioā. Vsq; nūc operatur cū regit mundum: sed regendo conseruat, ergo conseruare est operari, neque eadem operatio, quæ est creatio, quia ipsam videtur autoritas distinxisse. Alia, ex eodem Augustino. 4. super Genesim. Quod autem ait. Vsq; modo, continuationem operis significat, ergo per eandemmet actionem creauit & conseruat.

Propos. 7. Create propria virtute, est solius Dei, neque potest communicari creaturæ, quia dato opposito creatura esset primum agens, & Deus, quod est impossibile. Sed an possit esse instrumentum creationis, vide in. 4. distinct. 5. Et de hac materia Alexander. 2. p. q. 14.

Propos. 8. Mundus factus fuit ex tempore, & non fuit ab æterno. Hæc est contra Albanenses & Hermanum Rissuich Hollandinum dicentes, mundum fuisse ab æterno. Contra quos, & pro conclusione Ioan. 1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Prover. 8. dicit sapientia. Dominus possedit me, antequam quicquam faceret à principio & ex antiquis, antequam terra fieret

ret psalm. 89. Priusquam formaretur terra & orbis, tu es Deus. Genes. 1. in principio creauit Deus cælum & terram. Sed si potuit esse ab æterno controuersa quæstio est. Alexander. 1. p. q. 12. M. 8. Bona. hac. d. art. 1. q. 2. Ricar. art. 3. q. 4. dicunt quod implicat contradictionem, quia creari dicit habere esse post non esse, habere esse ab æterno, excludit manifeste illud non esse: ergo opponuntur contradictorie. Posset fieri probabilis persuasio de mundo, vt nunc est de facto, sic. Mundus non potest durare & esse æternus à parte post, ergo neque à parte ante. Antecedens probatur. Sicut indiuidua non possunt perpetuari per nutritionem, ita probabiliter neque species per generationem, eo quod sicut indiuidua debilitantur, ita species non conseruantur in æquali virtute, ergo per continuam debilitationem tandem deficient. Consequentia probatur, quia si ab æterno fuisset iam omnino defecisset. Alia est opinio quod potuit esse ab æterno, & quod sicut ignis si ab æterno foret, ab æterno splendor eius fuisset illi coæuus, & pes si ab æterno fuisset imprefus pulueri, ab æterno haberet sibi coæuum vestigium, ita mundus licet fuisset ab æterno potuit esse à Deo. Neq; opus est quod causa mundi necessario ipsum præcedat duratione. Ad hanc videtur esse Thom. 1. p. quæst. 46. artic. 2. ad. 1. & 5. argu. quanuis non ex professo decernat hanc quæsti. Dicit enim quod mundum incepisse est de fide, neque potest demonstrari nouitas mūdi, imo neq; alicuius speciei, quia principū demonstrationis est quod quid est, id est, definitio: sed quod quid est abstrahit ab hinc & nunc, ergo non potest demonstrari ex parte mundi. Neque etiam ex parte Dei, quia est causa agens liberè, sed sua voluntas non potest ratione inuestigari. Neque potest demonstrari à posteriori, quia mūdus significat rerum vniuersitatem, & extra mundum nihil est nisi Deus: ergo nullus locus relinquitur demonstrationi. Neq; si mundus fuisset ab æterno esset æqualis Deo in æternitate, quia esse diuinum est totum simul absque successione, sed esse mundi haberet successione. Scotus hac distinct. quæstio. 3. manet neuter ponens vtriusque opinionis argumenta & soluens. Idem facit Ocham. lib. 2. q. 8.

Creaturæ trifariam diuiduntur. Altera tota spiritualis, id est, *Propos. 9.*
ange-

angelica, quæ est perfectior: altera corporalis & spiritalis, idest humana, quæ tenet secundum locum: Altera tota corporea, & est infima vnde psal. 31. dicitur hominibus. Nolite fieri sicut equus & mulus quibus nõ est intellectus. Et psal. 48. Homo cum in honore esset, nõ intellexit comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Vnde errauerunt Gnostici & Manichæi dicentes omnes bestias esse ratione capaces, vt homines. Si dicas q̄ Angeli sunt administratorij spiritus Heb. 1. Et maior est qui recumbit quam qui ministrat Lucæ. 22. ergo sunt hominibus inferiores, quibus ministrant ad salutem: respondet Bona. hac. d. num. 71. quod alicui ministratur propter se, vel propter alium. Cui propter alium non oportet quod sit maior, patet ex eadem autoritate, quia Christus erat maior apostolis & ministrabat eis propter Deum patrem, sicut filius alicuius nobilis ex præcepto patris ministrat rustico sedenti ad mensam cum parente. Vel dic quod autoritas debet intelligi quando ministratur propter alterius dignitatem, & non propter infirmitatem, sicut sani seruiunt infirmis, ita & nobis angeli. Sic soluit Ricardus hac. d. q. vltima.

DE RATIONALIS CREATURÆ FINE.

Propo. 10.

Diuinæ actionis vt operatur res ad extra, ipsemet Deus est finis. Alex. 2. p. q. 4. M. 2. Probat. Prou. 16. vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum. Dicitur notanter vt operatur, quia ipsemet Deus, vt Deus est, nullus est finis, quia ipse non est ordinabilis in aliud, neque suæ actionis, vt actio est, quia est immanens, & ipsemet Deus, vt dictum est. p. 5. est ergo ipsemet Deus, & sua bonitas finis ipsemet Dei, vt efficiens est ordinans creaturas ad se, quibus ex bonitate sua communicat id, quod sunt, illarum ipse non egens, sed creaturæ ipso Deo egent, vt sint & conseruentur. 2. Apocalyp. vlti. dicitur Deus Alpha, & ω. idest principium & finis. Hoc est primum efficiens, & primus finis. Alpha enim est prima lite

Propo. 11. ra Græci Alphabeti. ω. vlti.

Mundus factus est propter hominem, vt homini seruiret. Homo, & angelus propter Dei bonitatem, & suam utilitatem, vt
Deo

Deo seruiret, at que eo frueretur, cui seruire regnare est. Hæc prosequitur Magister in litera. Et. 1. Corinth. 3. dicitur, omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue presentia, siue futura, omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Ad hoc Genes. 1. Dominamini piscibus maris, volatilibus coeli & vniuersis animantibus, replete terram & subijcite eam. Ex quo apparet quod homo est finis creaturarum corporalium, sed sub alio fine, quia gratia vnius finis vltimi contingit esse multos fines intermedios. Dixit & Arist. 2. Phys. 2. capitu. quod omnia sunt gratia nostri, sumus enim nos, quodammodo finis.

Deus qualis finis sit hominis, duplex opinio est, vna sancti Thomæ. 1. p. quæst. 1. artic. 1. & quæst. 23. artic. 1. quod est finis supernaturalis. Idem tenet. 1. 2. quæst. 109. artic. 5. ad. 3. quia Deus excedit omnem comprehensionem rationis, iuxta id Isaia. 64. Oculus non vidit Deus absque te, quæ preparasti diligentibus te. Item media ad acquirendum hunc finem sunt supernaturalia scilicet fides & caritas: ergo finis est supernaturalis. Probat. consequentia, quia media & finis debent proportionari. Confirmatur, quia frustra prouidisset natura de fine naturali, si non prouidisset de medijs etiam ad finem consequendum. Alia est opinio Scoti. quæst. 1. prologal. litera. E. quod est finis naturalis hominis, sed tamen supernaturaliter adipiscendus, quod probatur. Ille est finis naturalis alicuius rei, quem res illa naturaliter appetit, & ad quem naturaliter inclinatur, & ordinatur: sed homo appetit Deum naturaliter, quod & Thomas ipse videtur fateri dicens. 1. p. quæst. 12. artic. 1. inest homini naturale desiderium cognoscendi causam primam quando videt effectum, hoc est creaturas, ergo Deus est finis naturalis. Secundo quia potentia passiva in ordine ad actum, aut est naturalis, aut violenta, aut neutra, ergo in ordine ad actum nulla est supernaturalitas, & ex consequenti Deus est finis naturalis. Neque vilificatur humana natura ex eo, quod non possit adipisci finem suum naturalem ex naturalibus, imo dignificatur propter sui finis excellentiam, & modi consequendi illum. Ad quem modum seu media Deus homini non de-
Y ficit

ficat. Quælibet harum facile, soluit rationes alterius & propterea quælibet facile sustentatur.

DISTINCTIO II.

Quando, & ubi creati sunt angeli.

Propos. 1.



Vando fuerunt angeli creati, duplex opinio est. Vna Græcorum tenentium, fuisse creatos ante mundum corporeum. Huius autor dicitur fuisse Gregorius Nazianzenus magister diui Hieronymi, quem & ipse Hieronymus, super illa verba ante tempora secularia primi capituli ad Titum, videtur sequi. Verba Hieronymi habentur in litera. Vult tamen Magister Hieronymum non ita dixisse sentiendo, sed referendo aliorum opinionem. Damascenus lib. 2. orthodoxæ fidei capit. 3. prope finem sic ait. Nonnulli dicunt ante omnem creaturam factos angelos, vt diuino loquus dicit Gregorius. Quod ante hominis plasmatonem creati sint cõcordant omnes: ego vero De illo quo Gregorio accedo. Hilarius lib. 12. de Trinitate sic ait. Quid magnũ est vt ante terram Deus dominum Christum generaret, cum angelorum origo terræ creatione reperitur antiquior? Altera est opinio Latinorum tenens eos simul cum mundo fuisse creatos. Ita Magister in litera citato Augustino. Eandem tenet Alexan. 2. p. quæstio. 19. Mem. 1. Bona. hac. distinct. nume. 29. Thomas. 1. p. quæst. 61. artic. 3. Ad hanc est id Ecclesiastici. 18. Qui vivit in æternum creavit omnia simul. Est & capitulum. firmiter. extra de summa Trinit. & fide catholica. dicens Deus sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtraque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet & humanam, per quod damnatur Hermannus Rissuic ex Hollandia dicens angelos siue bonos siue malos non fuisse creatos à Deo. Ratione sic. Angeli non sunt creati sine loco, tum quia vnus non haberet ordinem ad alium secundum existentiam: Tum etiam quia nullibi essent ergo non sunt creati ante mundum. Dicit vero Thomas quod

vtra-

vtraque sententia est opinio probabilis. Vnde aduerte quod citata decretalis non damnat opinionem Græcorum, vt dicit Caietanus, vbi Thomas, quanuis possit iuuare opinionem Latinorum, tamen fuit edita contra errorem Origenis & ponentium creaturas spirituales tantum fuisse per se productas à Deo, ac post modum propter peccata earum, fuisse productas corporales. Rationem huius glossæ dat idem. Quoniam istæ determinationes non consueverunt fieri nisi contra aliquos errores. Possentque pro Græcis dici, quod illa similitas importata ab ecclesiastico, & à Decretali potest se tenere, vel ex parte Dei agentis: creavit simul omnia, idest, æquè creavit tam ista, quam illa, contra errorem Manichæi, & Priscilliani de quo præcedenti. dist. Vel ex parte creaturarum: & hoc dupliciter, quia potest esse similitas, vel ex parte temporis in quo creata sunt, & de hac neque scriptura, neque decretalis intelligunt: vel se tenet contra ordinem ita quod perse vtraque creata sit non in ordine ad peccatum alterius: & de hac similitate loquuntur. Alias enim si propter peccatum angelorum facta fuisset humana natura, ipsa species humana superabundaret in vniuerso, quod de minimi vermiculi natura non est dicendum, vt ait Anselmus. lib. 1. Cur Deus homo capit. 18. Quare pro seipsa facta est, & non pro reparandis indiuiduis alterius naturæ. Beatus Isidorus lib. 1. de summo bono capit. 12. ait. Ante omnem creaturam angeli facti sunt dum dictum est. Fiat Lux, & ante omnem creationem angelorum diabolus conditus est, sicut scriptum est Iob. 40. Ipse est principium viarum Dei. Sanctus Bonauen. exponit Isidorum, quod loquatur secundum illam positionem, quæ dicit creationem tempore præcedere distinctionem rerum, vel quod loquatur de prioritate secundum præuisionem: vel dicatur secundum electionem & dignitatem, quia sic dicitur. Prior omnium creata est sapientia. Ecclesiastici. idest, dignior angelus, qui est sapientia creata. De angelo enim exponit Magister in litera. De qua autoritate vide in. 1. distinct. 5. p. 3. Secundum expositionem primam de præcessione temporis ante distinctionem dicit posse intelligi Hilariuni, Sed reuera de maiori antiquitate loquebatur

Y 2

Hilarius

Hilarius, & propterea ipsemet Bona. dicit eum loqui secundum opinionem Græcorum. Quod vero Isidorus dixit creatos angelos in illis verbis. Fiat lux, quem beatus Alfonso archiepiscopus Toletanus eiusdem Isidori discipulus secutus est, non videtur expositio literalis, quoniam illa lux ad literam, est lux diei, & forte ista est causa opinionis Græcorum, quia non apparent in scriptura expressa verba creationis angelorum sicut cæterarum rerum.

Proposi. 2. Stando in opinione Latinorum, angeli creati sunt in cœlo Empyreo Magister in litera. Probatque ex Luca. 10. Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Affert & alias autoritates Strabi, & Bedæ. Vide & Alexan. 2. p. quæst. 19. M. 3. Estque pro hac illud Isaia. 14. Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris? Id autem quod ibi ex persona eiusdem dicitur, in cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, exponitur à Magistro, quod vocat cœlum celsitudinem diuinitatis, idest, ascendam ad æqualitatem Dei. Quæ verba Magistri exponens Bona. num. 33. ait, quod cœlum est nomen impositum corpori, quod est sursum, quia est contentiuum, secretum, & quietum: quæ triplex proprietas reperitur in celsitudine diuinitatis, quæ est ampla virtutis immensitate, secreta profunditate cognitionis, quietata tranquillitate delectationis. Ad primam facit quod ipsa est causa omnium creaturarum, vnde & de Spiritu sancto cantatur in Missa, sumitur que ex capit. 7. sapientiæ. Omnem habens virtutem, omnia prospiciens. Ad secundam Isaia. 45. vere tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator. Ad tertiam in varijs locis scriptura prædicat suauitatem Dei psal. 144. facit & immutabilitas de qua in 1. d. 8. In hoc cœlo tatum sunt tres persone. Atq; ille ascensus ut dicit Alexan. 2. p. quæst. 19. M. 3. art. 2. dicitur affectus rei excellentioris re illa quam habebat.

Proposi. 3. Præter cœlos à philosophis agnitos ponunt Theologi supra primum mobile, cœlum aliud quod vocant Empyreum, idest, igneum, (Pyr, enim Græcè, Latine est ignis,) non tamen à calore, sed à splendore. Nam ponitur esse splendidissimi fulgoris, & esse corpus in quo est requies beatissima sanctorum. Vide Alex. 2. p. quæst. 47. Dicit vero Duran. hac. d. quæst. 1. q. non

non potest per rationes necessarias, quod sit, aut quòd sit corpus demonstrari. Thomas. 1. p. q. 66. art. 3. dicit ex Augustino de Ciuitate Dei lib. 10. quòd Porphyrius Platonius ponens cœlum Empyreum esse locum angelorum, non loquebatur de cœlo de quo Theologi, sed de cœlo sydereo, quod vocabat Empyreum, seu Æthereum ab inflammatione non à velocitate motus. Sunt enim apud Græcos duo verba, vnum, ætho, ἄθω, idest, incendo, siue ardeo. Aliud theo, θέω quod significat curro, seu voluo, quidam ab vno, quidam ab alio deducunt hoc nomen æther. De Empyreo vt loquuntur Theologi duplex opinio est, si agat in cætera corpora inferiora. Vna tenet partem negatiuam, quoniam solum est conditum ad gloriam, & sedem beatorum, neque mouetur. Alia tenet partem affirmatiuam, in quam magis declinat Thomas loco citato respondens secundo argumento, & quòd sicut angeli qui semper assistunt influunt super medios & vltimos, sic cœlum Empyreum licet non moueatur influit in primum Mobile non aliquid transiens, & adueniens per motum, sed aliquid fixum & immobile, puta virtutem continendi & cau sandi, vel aliquid huiusmodi pertinens ad dignitatem. Atque in hanc est Ricard. hac. d. q. vltim. Bona. num. 43. ambas refert nulli adhærens.

Proposi. 4. Communis schola Theologorum ponit angelos mensurari Æuo, quamuis in ponendo hanc mensuram sit varietas opinionum. Ad quod intelligendum, vt nostra suffert breuitas, est sciendum, quod sicut æternitas non patitur transmutationem, neq; illi subiacet, sed est tota simul, & est propria solius Dei, qui est æternus, & ipsa æternitas: ita tempus est mensura omnium illorum quæ subiacent transmutationi, vt sunt omnia corruptibilia. Est & alia mensura qua mensuratur omne illud, quod habet esse permanens, & secundum se intransmutabile, compatitur tamen secum aliquam transmutationem, vel secundum locum vt corpora coelestia, quæ alias sunt intransmutabilia neq; peregrinarum impressionum susceptiua, vt fiat aliqua in eis corruptio, vel secundum affectiones, vt angeli qui secundum affectiones transmutantur. Hæc mensura vocatur Æuum, & mensurata per eam vocantur Æuiterna, quia mensurantur Æuo secundum illud, quo participant æternitatem, puta secundum, quòd sunt intransmuta-

mutabilia. De hoc *Æuo* an sit aliquid differens ab esse ipsius *Æuiterni*, duplex opinio est, vna quòd differat. Hanc tenet Ricard. hac.d.ar. 1.q. 1. vbi describit *Æuum* sic. *Æuum* est mensura esse creati vniformiter se habentis ad rationem relata, qua, mediante esse cuius est passio, potest Intellectus mensurare omnem existentiam creatam vniformiter se habentem. Ex qua definitione, seu descriptione constat quod & ipse Ricardus fatetur *Æuum* non esse ipsum esse *Æuiterni*, sed eius passionem. A Durando. q. 3. sic describitur. *Æuum* est mensura, vel duratio esse creati vniformiter, & stabiliter se habentis. Alij quos idem Ricard. refert de quibus est Scotus hac.d.q. 2. litera. H. dicunt, quòd *Æuum* non dicit aliquam rem absolutam ab esse *Æuiterni* in quo est, & ideo non oportet querere aliam mēsuram intrinsecam ab esse ipsius mensurati, imo neq; relationem aliquam præter illam, quæ est creaturæ ad Deum, quæ est idem cum ipsa creatura. Secundum quam sententiã tot erunt *Æua*, quot *Æuiterna*, vt idem Scotus dicit ibi quæst. 3. Quoniam vero secundum Aristot. 10. Metaph. tex. com. 2. Primum cuiusq; generis est aliorum mensura, potest dici, quòd existentia primi angeli sit mēsuram aliorum *æuiternorum*, ad cuius perfectionem *Æuiterna* cætera comparata sciuntur quem gradum habeant perfectionis. Ille angelus potest dici, quòd fuit Lucifer. Ita Ricard. vbi supra. art. 2. ad secundum, vide & infra. d. 6. p. 4. & licet ceciderit, tamen quia naturalia remanserunt in eo integra, potest ad illius naturalem perfectionem fieri aliorum comparatio. Angelorum intellectiones & affectiones in quibus est successio vult Thomas. 1. p. q. 10. artic. 5. ad. 1. quòd mensurantur tempore, ita quòd *Æuiterna* in eo, quòd sunt immutabilia simpliciter mensurantur *æuo*, operationes vero illorum, quia mutabiles sunt, tempore mensurantur. Scotus hac.d.q. 4. litera. A. tenet affectiones angelorum eodem mensurari *Æuo* habentes mensuram eiusdem rationis cum existentia ipsius angeli. De successione *Æui* etiam est duplex opinio. Prima, quòd in eo non est successio, sed est totum simul: & si est successio est secundum modum intelligendi nostrum, vel per comparisonem ad tempus, quia illi partes temporis coexistunt, sicut habes de *Æternitate* in. 1. dist. 9. p. 3. ad hanc declinat Ricard. hac dist. art. 1. quæst. 3. tanquam ad probabiliorem. *Alia* ponit

ponit successione in *Æuo*, & quòd non differt à tempore nisi in hoc, quòd in *æuo* est successio separata à motu: in tempore est coniuncta motui. Siquidem in tempore est prius, & posterius cum veteratione, & cum innouatione: in *Æuo* non est variatio, neq; innouatio, sicut si sol semper staret, continuatio radij esset sine hoc, quòd aliquid nouum emitteret, ita in esse *Æuiterni* quod datum est primo, continuatur per continuam influentiam Dei, & quia *Æuiternum* non est omnis actus, sicut ipse Deus, licet habeat totum esse simul, non tamen continuationem sui esse habet totam simul. Hanc tenet Bona. hac.d. num. 16. De ambabus vide Scotum hac.d. q. 1. & plura de *Æuo* tam in doctoribus hac.d. quam in Thoma. citata. quæst. 10. in Ocham. quæst. 10. libr. 2. De *æternitate*, *Æuo*, & tempore, vide Alexand. 1. p. quæst. 12.

D I S T I N C T I O III.

Quales creati sunt angeli, & ponit quatuor, quæ illis attributa fuerunt.



Angeli non sunt compositi ex materia & forma. Hæc *Proposi. 1.* videtur de intentione Magistri dicentis, quod primum attributū fuit essentia simplex, idest, indiuisibilis & immaterialis. Tenet vero eam Thomas. 1. p. q. 50. art. 2. Durand. hac dist. quæst. 1. & probatur ex Dionysio. 4. de diuinis nominibus. Primæ creaturæ sicut incorporales, ita & immateriales intelliguntur. Ratione sic. Dato opposito aut illa forma esset separabilis à materia, & sic angelus esset corporeus, & corruptibilis, quod communiter negatur, aut inseparabilis, & cum forma à materia separabilis sit perfectior, quam inseparabilis, ergo anima rationalis, quæ est separabilis esset perfectior angelo, contra id psal. 8. de homine, Minuisti eum paulominus ab angelis, & supra. d. 1. p. 9. Ad hanc vide. d. 8. p. 1. Contrarium huius tenuit Alexand. 2. p. q. 20. M. 2. art. 2. & quòd cum dicitur Angelus simplex, aut anima simplex, comparative dicitur respectu inferioris

inferioris dignitate quæ plus habet de compositione, negatque illam materiam esse communem cum materia corporalium sicut negat de materia cœli. Vide infra. d. 12. p. 1. Sanctus Bonau. hac. d. num. 6. & Ricard. ar. 1. q. 2. idem tenent, large sumpto nomine Materie ad omne potentiale. Referunt diuersas opiniones dicentium, quod illa materia non est vnigena cum materia corporalium, aliorum verò, quod sic. Addit vero Ricardus, quod illa materia, quam negat esse vnigenam materie corporalium est actualior quam quæcunq; forma substantiæ purè corporalis. Quoniam sicut passio intellectualis est nobilior quacumque actione purè corporali, sic principium passuum substantiæ intellectualis, est nobilius principio actiuo cuiuscunq; substantiæ purè corporalis. Fatetur tamen posse sustineri oppositum: & pro vtraq; opinione soluit rationes. Quicquid sit de istis credo, quod sicut neque corpora, ita neque proprie & physice habent materiam.

Propos. 2. Angeli non sunt compositi ex genere & differentia proprie. Hanc tenent Thomas & Durandus citati. Ratio, quia in materialibus genus sumitur à materia, differentia à forma, & sicut materia determinatur per formam, ita genus per differentiam, per quam constituitur species: sed in angelis non est materia, igitur neq; genus & differentia. Sed aduertendum, quod non sufficit angelos esse in genere ad hoc vt sint compositi ex genere & differentia, quia vt dicit Durandus. Ad esse in genere sufficit esse limitatum re, & ratione, & sic angelus est in genere substantiæ quoniam habet esse limitatum. Ad esse compositum ex genere, & differentia oportet esse partes, facientes vnum per essentiam, quæ partes sunt differentes. In immaterialibus non est determinans vnum, & determinatum aliud, sed vnaquæq; res secundum seipsam tenet determinatum gradum & limitatum essentia, & ideo secundum vnum & idem, sumitur genus & differentia. Dixit autem propositio non esse proprie genus & differentiam, quoniam intellectus noster debet necessario considerare in angelis determinabile, & determinans: secundum quam considerationem ponetur in angelis ratio generis & differentia, quauis in re sit vnū & idem.

Propos. 3. In Angelis bene est compositio accidentis & subiecti. Patet quia

quia caritas est accidens & ponitur in angelis bonis, similiter de intellectu & volitione.

Propos. 4. Si plures Angeli sint in eadem specie duplex opinio est. Prima sancti Thomæ. 1. p. q. 50. ar. 4. tenens impossibile esse, quod duo angeli sint eiusdem speciei. Ponit enim Thomas, quod indiuiduatio sit à materia, & cum angeli sint immateriales non possunt conuenire in forma, & differre in materia, quod est necessarium, secundum eum, ad indiuiduationem. Imo etiam si haberent materiam negat eos posse esse eiusdem speciei, quoniam illa materia cum esset principium distinctionis, debebat in illis distingui, & quauis non per diuisionem quantitatis cum sint incorporei, tamen secundum diuersitatem potentiarum, quæ diuersitas potentiarum non solum causaret diuersitatem speciei, sed etiam diuersitatem genericam, atque inde sicut non essent eiusdem speciei, ita neq; eiusdem generis. Alia est opinio opposita quam tenet Alexand. 2. p. quæst. 20. M. 6. art. 2. Bonauent. hac. d. num. 27. Et relata prima opinione quam sequutus est Thomas ait. Alia est opinio sobria & Catholica, quod in angelis est ponere distinctionem quantum ad personalitatem tantum modo aut in omnibus, aut in aliquibus. Ex quo apparet, quod S. Bonauent. non reputauit sanam positionem Thomæ. Cum Bonauent. Ricard. hac. d. art. 5. q. 1. Durand. q. 3. citant ambo articulum Parisiensem damnantem eos qui dicunt Deum non posse plura indiuidua facere eiusdem speciei sine materia, qui articulus fuit editus expresse contra fratrem Thomam. Respondent vero sequaces Thomæ, quod articuli Parisienses non pertranseunt Secanam Parisiorum fluuium. Tandem Scotus hac. d. q. 7. tenet hanc secundam, ipse enim tenens in. q. 2. litera. D. rationem indiuiduantem esse aliquam entitatem positiuam intrinsecam, negat illam esse quantitatem, aut materiam, aut formam, vel compositum, ita quod non est aliqua res proprie faciens compositius esse indiuiduum, quam sit illa natura, cuius est indiuiduum, est tamen alia realitas actuans realitatem specificam ad hoc vt sit hæc, vide illum quæst. 6. litera. K. & L. & quodlibeto. 2. litera. A. Ad hanc opinionem secundam, citant Damascenum in elementario cap. 12. secundum vnāquamque speciem fecit Deus Angelos. Ansel. lib. Cur Deus homo cap. 21. omnes angeli sunt

li sunt vnus naturæ, sed cum differant in personalitate, & conueniant in natura, possunt conuenire in specie. Ratione, quia non videtur verisimile, quod permiserit Deus perire tot species angelorum, in angelis peccantibus. Item, quia cum angeli sint penè innumeri, dicente Daniele. 7. Millia millium ministrabant, & decies millies centena Millia assistebant ei non videtur dicendum, quod sint tot species angelorum. Nec obstat, quod magis manifestatur omnipotentia Dei in multiplicatione specierum, quia etiam magis manifestaretur si forent mille ordines Angelorum, qui tamen non sunt nisi nouem. Item, quia non videtur implicatio contradictionis, quod Deus creet duos angelos conuenientes in eadem natura & sola personalitate differentes, quare ergo illos non creauerit? Confirmatur, quia posset Deus annihilare vnum Angelum, & ipso annihilato reparare, & producere de nouo illam naturam sub alia personalitate, ergo illi duo angeli erunt eiusdem speciei.

*Solutio
Argumēti.*

¶ Ad argumentum de materia, & quod multiplicatio indiuiduorum sit propter corruptibilitatem ex parte materiæ, vt corrupto vno indiuiduo possit species conseruari in alio, Angeli non sunt corruptibiles, sicut, quia Sol, & Luna non sunt corruptibiles non est nisi vnus Sol, & vna Luna, ergo quilibet angelus est vnus, & Solus in sua specie, iam Alexand. & Bonauent. atq; post ipsos Scotus responderant, quod illa non est precipua ratio multiplicationis indiuiduorum, sed manifestatio diuinæ potentia, sapientia, & bonitatis in ordine vniuersi, vt sicut est imparitas in speciebus, quæ sunt sicut numeri. 8. Metaph. ita sit paritas & æqualitas in indiuiduis. Alioquin non deberent dari plura indiuidua nisi quæ sufficerent ad conseruandam speciem, cuius contrarium in qualibet specie corruptibilium apparet. Quod indiuiduatio non sit à materia patet, quia sic anima rationalis reciperet perfectionem à corpore, & illi bene esset propter corpus, neque potest corpus esse occasio indiuiduandi, quia occasio est causa, de per accidens, & necessario reducenda ad causam de per se, ergo est danda alia causa indiuiduans, quæ det perfectionem indiuidualem. Si de ista propositione videre vis plura lege Caietan. super lib. de ente, & essentia diui Thomæ, vbi in capit. 2. dicente Thoma, quod Materiam non quomodolibet ac-

cepta est principium indiuiduationis, sed materia signata, exponit, quod materia signata nihil aliud est quam materia, capax huius quantitatis, ita quod non illius. Quæ materia signata supra materiam nihil addit nisi capacitatem huius quantitatis, & non illius, quæ capacitas, vel potentia receptiua, quæ idem sunt, nihil realiter distinctum à materia dicit in recto, sed addit aliquid reale distinctum secundum rationem, quod quidem non explicat materia secundum se. In quo differt ab alijs Thomistis quos allegat dicentes, quod nomine materiæ signatæ intelligitur aggregatum ex materia, & quantitate, & quod hoc est principium intrinsecum indiuiduationis, materia dans incommunicabilitatem siue indistinctionem in se: quantitas distinctionem ab alijs.

Idem in cap. 5. quæst. 9. exponit articulum Parisiensem tripliciter. Primo, quod non sit editus contra diuum Thomam, sed contra Auerroistas, & quod sic intelligatur præfatus articulus. Quia intelligentiæ non habent materiam, (id est, dependentiam à materia) Deus non posset facere plures eiusdem speciei, id est, ex impotentia ipsius Dei. Dicebant namque Auerroistæ animam intellectiuam non esse multiplicabilem numero, quia est forma immaterialis, atq; sic interpretatur illos tres articulos, per materiam intelligendo dependentiam à materia. Secundo dicit, quod ille articulus fuit damnatus ab vno episcopo Parisiensi Stephano, sed postea omnes articuli Parisienses in quantum tangunt, vel tangere videntur doctrinam sancti Thomæ sunt reuocati per alium Stephanum episcopum Parisiensem apud Bertiliacum anno Domini. 1325. Tertio quod cum dominus Urbanus Papa approbauerit, & canonizauerit doctrinam sancti Thomæ, mirum est quomodo audeant contra illam approbationem ecclesiæ adducere articulos Parisienses. At vero in quo sensu dicatur approbata, & canonizata, vide expositum in tractatu contra errores fratris Ioannis ordinis prædicatorum, qui tractatus circumfertur ad calcem Magistri Sentent. scilicet, tanquam utilis, non tamen vt oporteat credere quod in omni sua parte sit vera. Alioquin approbasset ecclesiæ contradictoria, cum ipse doctor in suis scriptis, & partibus sit sibi contrarius.

Quant.

Proposi. 5.

Quauis Angeli possint conuenire in specie, non sunt tamen omnes eiusdem speciei. Hanc tenet Ricard. citato art. 5. q. 1. & est contra aliquos citatos à Bona. sed non satis expressit qui fuerit, & quomodo hanc tenuerint. Sed probatur, quia tanta distinctio ordinum, vt ponitur à doctoribus infra. d. 9. non videtur stare cum vnitatis specificæ: & cum rerum materialium sint plures species, ergo etiam erunt in spiritualibus. Et cum sit probabile, quòd creata fuerint plura indiuidua spiritualia, quam corporalia, similiter videtur probabilissimum, quòd tot indiuidua non sint sub vna specie. Notanter dixi creata, quia de indiuiduis creatis, & corruptibilibus, quæ quotidie fiunt & corrumpuntur forte esset probabile, quòd sunt plura, quam sint indiuidua spiritualia, cum ab initio suæ creationis semper & producantur & corrumpantur. Autoritatem Anselmi citatam in præcedenti, quòd sunt omnes Angeli vnius naturæ, exponit Ricardus, quòd accipit naturam in generali pro intellectualitate, hoc est, vnius naturæ intellectualis, & spiritualis: vel quòd locutus est sub conditione dum ait. Nullus Angelus per alium Angelum saluari debet quauis omnes sint vnius naturæ, id est, etiam si essent vnius nature specificæ. Quod si de facto queratur quid sit? An quilibet ordo sit vni⁹ speciei? vel quælibet Hierarchia? vel in vno ordine sint plures cõueniētes in specie, & differētes, ita, scilicet, quòd sint in eodem ordine plures species? Dico, quòd hoc ille nouit qui eos condidit. Probabile tamen videtur, quòd quilibet ordo sit vnius speciei. In hanc videtur esse Alexand. 2. p. quæst. 20. M. 6. art. 1. quia quilibet ordo habet sua officia determinata, quæ officia bene quidem non constituunt differentias specificas, attamen eas differentias attestantur, & ostendunt, quauis illa officia possint tradi, & committi alijs ordinibus, vide infra dist. 9. p. 3. & dist. 10. p. 3.

Proposi. 6.

Angelus à Damasceno sic describitur, est substantia intellectualis, semper mobilis, suæ potestatis arbitrio que libera, incorporealis, Dei ministra, per gratiam non natura immortalitatem consecuta. Vide eum libr. 2. capit. 3. in qua ponitur semper mobilis, ad differentiam corporum tam rectorum, quam circularium, quæ indigent alio vt moueantur. Nam quæ mouentur motu recto, non semper sunt in hac conditione, vt nihil eis desit

vt

vt actualiter moueatur. Similiter quæ mouentur circulariter, vt cœli, indigent motore ad extra. Vide infra. d. 14. p. 5. Angeli vero semper in se habent omnes conditiones requisitas ad motum sui. Dicitur incorporealis secundum Damascenum comparatiue, scilicet quantum ad nos, nam comparati ad Deum (qui solus incorporealis est) inueniuntur habere aliquid crassum, & materiale. Sed si debeant dici simpliciter immateriales, & incorporei vide supra. d. hac. p. 1. & infra. d. 8. p. 1. Dicitur Dei ministra, quia semper ei conuenit voluntati Dei esse subiectam & obedientem. Dicitur immortalis, id est, immobilis, sicut de Deo. 1. Timoth. 6. solus habet immortalitatem, id est, immutabilitatem. Non est ergo angelus immutabilis per naturam, sed per gratiam, iuxta id Gregorij lib. 5. Moral. cap. 27. Natura angelica est in semetipsa mutabilis, quam videlicet mutabilitatem vicit per hoc, quòd ei qui semper idem est, amoris vinculis alligatur. Vide de hac Alex. 2. p. q. 20. M. 3. arti. 1.

DE COGNITIONE ANGELORVM.

Angelus non potest ex puris naturalibus habere notitiam intuitiuam Dei. Ita docet Bona. hac. d. num. 59. Scotus hac. d. q. 9. & in. 4. dist. 49. q. 11. Tho. 1. p. q. 56. art. 3. quia dicitur. Mat. 11. Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare: ergo eius notitia habetur ex eius voluntate, & non naturaliter. Ratione, quia notitia intuitiua est rei præsentis, vt præsens est in ratione obiecti, sed Deus est obiectum, naturale solius intellectus sui, aliorum est obiectum voluntarium. Alias enim Angeli essent naturaliter beati qui fuit quintus error Beguardorum & Beguinarum. Vide in. 4. d. 49. p. 3. & est peior quàm error Pelagij de quo infra. d. 28. p. 3. quia plus est beatificari ex naturalibus, quam iustificari.

Proposi. 7.

Angeli dum fuere viatores habuerunt speciem infusam representantem distincte essentiam diuinam, qua ipsum Deum cognoscebant. Hanc tenet Scotus hac. d. q. 10. & in reportatis. q. 4. & probatur, quia illa species potuit infundi angelo, & congruebat quòd infunderetur, ergo habuit talem speciem infusam. Pri

Proposi. 8.

Z 3

ma pars

ma pars antecedentis, probatur, quia potest homo tam in statu innocentiae, quam post lapsum habere naturaliter notitiam, seu intellectionem distinctam Dei, dicente Paulo. Rom. 1. inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quae facta sunt intellecta, conspiciuntur, ergo potuit ad hanc intellectionem species infundi angelo, qui poterat de Deo habere perfectiorem intellectionem quam homo. Secundo quia tenedo quod Paulus in raptu vidit essentiam divinam 2. Cor. 12. ipse recordabatur eorum quae viderat, ergo habebat speciem essentiae divinae quam viderat. Confir. quia hoc est perfectionis in intellectu, posse conservare speciem obiecti visi, cessante praesentia obiecti, & sic illa species fuit possibilis. Secunda pars antecedentis probatur, quia dato opposito Angelus vel nullam haberet de Deo cognitionem, cum naturaliter non habeat notitiam abstractivam sine specie, atque sic, neque haberet praecipuum de diligendo Deum super omnia, neque teneretur ad ordinem caritatis, qui est ut primo diligatur Deus, cum nihil sit volitum quin praecognitum, vel haberet notitiam confusam, & procederet à confuso ad distinctum discurrendo, & syllogizando, quod aliquibus videtur inconveniens. Confir. manentur praedicta, quia nulla species seu intellectio Dei distincta repugnat intellectui creato in via, nisi illa in qua esset beatus: sed non foret beatus in ista cognitione abstractivam remanentem sibi desiderio ad intuitivam, ergo talis fuit angelo possibilis & congruit quod infunderetur. Ad intellectum huius oportet scire quid sit re distincte cognoscere. Dico quod cognitio distincta non est notitia seu cognitio intuitiva, aut rei singularis. Nam viso Petro à longe est notitia rei singularis, & intuitiva, quae tamen potest non esse distincta. Est ergo notitia distincta alicuius rei quando cognoscens potest rem illam distinguere ab alijs, ut patet ex nominis etymologia, ita quod si res illa fuerit diffinibilis, quid dicitur, cognoscat omnia quae includuntur in ea quid dicitur. Unde dixit Scotus in a. d. 3. quaest. 2. littera N. Nihil concipitur distincte nisi quando concipiuntur omniaque includuntur in ratione eius essentiali. Ad cognitionem distinctam singularium requiritur notitia aliquorum accidentium propriorum ipsius singularis, non tamen omnium. Ad propositum cum res creata non habeat nisi unam differentiam specificam, qua distinguatur ab alijs, ut. V. g. homo respectu animalis, ad cognitionem distinctam oportet cognoscere rationem,

tionem, seu diffinitionem hominis, ut habeatur cognitio eius quid dicitur, & distincta. Deus autem habet infinita, vel saltem plura per quae distinguitur ab alijs, cognitio ergo aliquo eorum habetur notitia distincta Dei, sine hoc quod oporteat ipsam comprehendere à cognoscente, secundum totam suam cognoscibilitatem. Quod patet, quia beati ipsam vident & distincte cognoscunt neque comprehendunt, immo unus magis cognoscit quam alter, & tamen omnes distincte, unde sequitur quod notitia comprehensiva, & distincta, non convertuntur.

Si contra hanc arguas, quia Angelus est imago Dei, & similior quam species, ergo posset melius cognoscere Deum in semetipso, quam in specie, vel per speciem.

Item quia intimior est essentia divina ipsi angelo, quam species, sed non poterat cognoscere Deum per essentiam ipsius Dei, ergo neque per speciem.

Tertio quia Angelus non potest cognosci per phantasiam, quia nullum phantasma potest representare Angelum, cum sit inferioris ordinis & materialius, quam Angelus, sed species illa esset respectu Dei materialior quam phantasma respectu angeli, ergo,

&c. Ad haec dico. Ad primam, distinguo antecedens quod est similior angelus in essendo, sed species in representando, ut. V. g. imago Caesaris similior est in representando illum & magis facit illum cognosci, & magis deducit in eius cognitionem, quam alius

homo, qui est ei similior secundum naturam, & essentiam. Ad aliud dico quod intimior est essentia Dei secundum essentiam, praesentiam, & potentiam ut habes in a. d. 37. p. 1. non tamen est intimior in ratione obiecti. Nam species cum non sit obiectum quod cognoscitur, sed sit sicut habitus quo intellectus intelligit, non ponitur tantum, ut obiectum sit praesens per speciem, verum etiam ut actus intelligendi sit in potestate intellectus, potest uti specie cum intelligens voluerit. Sed per intimitatem essentiae divinae non potest intelligens uti divina essentia, quae est obiectum voluntarium, & causabit notitiam sui quando voluerit, & non ad voluntatem intelligentis.

Ad aliud patet per idem, quod illa species respectu Dei est materialior in essendo, quam phantasma respectu angeli, sed non in representando.

Ista

Corol.]

Argum. 1.

Argum. 2.

Argum. 3.

Solutio.

Ad. 2.

Ad. 3.

Propo. 9.

Ista species potuit sic repræsentare essentiam, quod non repræsentaret tres diuinas personas, tamen de facto credo quod sicut essentiam, ita & personas repræsentabat. Prima pars est conformis doctrinæ Scoti hac. d. q. 9. ad. 4. argu. Henrici, dum fatetur quod illa species potuit non esse ratio cognoscendi distincte modum essentia in tribus suppositis, sicut in nobis potest cognosci distincte aliqua quidditas creata, licet non cognoscatur in quibus suppositis sit, vel qualiter sit in eis. Itē quia idem doctor tenet quod potest beatus frui essentia sine personis. Vide supra in. 1. d. 1. p. 10. de frui, vide & ibi. p. 9. de fruitione in via: ergo à simili potuit esse in Angelo quando erat viator. Secunda pars probatur sicut præcedens propo. quia potuit esse talis species, & congruit quod infunderetur. Atque potuit esse in Paulo post raptum, ex hypothesi, quod vidit diuinam essentiam. Si dicas quod tunc Angelus viator non haberet fidem trinitatis, Dico, quod idem posset argui de Paulo qui tamen eam habuit. Vide in. 3. d. 31. p. 6. Quod si iterum dicas quod tunc Angelus naturaliter, posset cognoscere essentiam diuinam in tribus suppositis, Respondet Scotus vbi supra hac. d. quod non cognosceret merè naturaliter, ex quo non poterat ex suis naturalibus attingere ad talem cognitionem. Neque est simile de speciebus aliarum rerum vt in fra. p. 14. quoniam tales species posset angelus habere ab obiectis, non tamen posset habere hanc speciem nisi fuisset illi infusa. Bona. hac. d. num. 62. negauit ab angelis hanc speciem.

Propo. 10.

Posita ista notitia abstractiua & distincta Dei per speciem infusam, est probabile quod in ea cognoscebant creaturas. Probat, quia Deus continet creaturas eminenter, ergo cognito Deo distincte, cognoscitur vt prima causa creaturarum, & per consequens cognoscebantur creaturæ. Confir. quia beati videndo essentiam diuinam quæ est eminenter omnia vident & creaturas, & Paulus, videndo essentiam diuinam, si vidit credendus est vidisse & creaturas; ergo à simili: suo modo tamen, illi vt beati, angeli & Paulus vt viatores cum specie repræsentante essentiam & personas, cognoscebant ibi creaturas. Neque propter hoc superfluebant species rerum infusæ angelis: Sicut neque superfluum postquam sunt beati. Tum etiam quia si illa species remansit in patria Scotus citatus ad quintum argumentum Henrici dubitat.

tat. Sed vide in quarto distinctio. 49. & infra. p. decimaquinta.

Angelus cognoscit seipsum per suam essentiam, neque eget alia specie. Ita Scotus hac. d. q. 8. Tho. 1. p. q. 56. arti. 1. Et probatur. Ab obiecto & à potētia paritur notitia, Angelus habet suam essentiam semper præsentem, & actu intelligibilem, ergo intelligit se per suam essentiam. Nam species ad hoc ponitur vt obiectum intelligibile in potentia, fiat intelligibile actu. Anima nostra quanuis nobis sit præsens, & quantum est de se actu intelligibilis, est tamen duplex impedimentum vt illam per suam essentiam non intelligamus, quia pro statu isto nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu: & hoc vel propter peccatum, ad quod allegat Scotus August. 15. de Trinit. capi. vlti. dicentem. Hoc tibi fecit infirmitas, & quæ causa infirmitatis nisi iniquitas? Vel secundo: est naturalis ordo potentiarum requirēs prius sensum quam intellectum. Vide Scotum loco citato litera. I. Atque hoc secundum magis quadrat, quia alioquin homo in statu innocentia, & Adam cognouisset suam animam per essentiam, quod non credo: sed quod pro omni statu viæ anima non potuit se intelligere alijs non intellectis. Neque tamē per hanc concedimus quod cognitio angeli sit eadem suæ essentia, quia hoc est solius Dei, cognitio enim angeli est accidens vt habes supra. p. 3. causatum ab obiecto & à potentia, à quibus se ipsa formaliter distinguitur. Atq; in proposito gignitur ab eodē gerente vicem vtriusque. scilicet speciei & obiecti: & dato opposito, angelus haberet intelligentiam perfectiorem quā sit sua substantia, quia habendo cognitionem angeli perfectioris, atq; Dei quæ sunt obiecta perfectiora, quam ipse Angelus inferior, haberet cognitionem perfectiorem quā sit sua essentia. Cū vna intelligentia distinguatur ab alia per obiecta. Ita arguit Scotus in reportatis hac. d. quæst. 3. ad vlt. Alia argu. facit ad idem quod scilicet sua cognitio non est sua essentia, in. 1. d. 8. q. 2. & in. 4. d. 1. quæst. 1. litera. M. & T. extatq; articulus Pariensis contra Ioanem de Mercuria damnatus dicens posse probabiliter sustineri cognitionem & volitionem non esse distinctam ab anima, imo est ipsa anima. De volitione probatur, quod sit distincta, quia eadē res inconuenit quod sit meritum, & peccatum, sed si anima est sua volitio, ipsa anima erit meritum & peccatum, cū per volitionem peccet aut mereatur.

A a

Angeli

Propo. 11.

Propo. 12.

Angeli ad cognoscendum alia habent concreatas species distinctas omnium quidditatum. Hæc est communisquam tenet Bona.hac.d.num. 54. post Alexan. 2.p.q. 26.M. 2. ita quod nunquam fuit Angelus sine illis. Scotus. q. 10. Ricar. arti. 6. q. 2. Tho. 1.p.q. 55. arti. 2. & 3. Et est contra aliquos negantes tales species, De quorum numero est Henricus citatus à Scoto in. 1.d. 3. q. 6. & Duran. hac.d. q. 6. Gabriel hac eadem. q. 2. citatque pro ea Ocham. Negant ergo tam Duran. quam Gabriel cum Ocham in. 2. q. 17. & 18. omnes species tam sensibiles quam intelligibiles non solum in intellectu humano verū & in angelico. Et si petas quomodo angelus intelligat alia à se. Respōdet Durandus, quod non per aliud repræsentatiuum quam per ipsammet præsentiam rerū in se vel in suis causis, vel vtroque modo. Ita quod secundū Duran. Angelus cognoscit res præsentēs, & per illas cognoscit alias, propter habitudinem quā habet ad primo cognita non tamen discurrendo, sed simul vnū cognoscit per aliud. Sed supposito, q̄ species est qualitas prævia similis obiecto, ipsumque repræsentans, probantur species esse in intellectu. In sensu exteriori, & in medio ponuntur species, ergo ponendæ sunt in intellectu. Antecedens probatur per experientiam de re visa in speculo à tergo, quia visio debet fieri per lineam rectam, sed illud quod est à tergo non possumus videre per lineam directā, ergo obiectū in speculo non videtur nisi per reflexionē specierum. Itē, ab obiecto & potentia paritur notitia, sed notitia abstractiua non causatur ab obiecto existenti in se, ergo ab obiecto existenti in alio, sed non nisi in specie, ergo species intelligibiles sunt ponendæ. Cōfir. quia omnis cognitio præsupponit obiectum sibi præsens, sed abstractiua non habet obiectum præsens in se. Iterum quia omnis cognitio fit per assimilationem potentia ad obiectum, sed non potest assimilari potentia ad cognitionem intuitiuam, & multo minus ad abstractiuam nisi per species. Sed quod eas angeli habuerint vt dicit conclusio probatur ex Ezechiele. 28. de Lucifero. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, sed sapientia non possumus vti sine specie, ergo habuit species, & cum dicatur plenus, ergo habuit plenitudinem omnium specierum. Item corpora cœlestia ab initio suæ creationis habuerunt suam perfectionē ergo & angeli. Cum hoc tamē annota, quod cum neutra pars ha-

rum

rum fit expressa in sacra scriptura, & propterea possit vtraque suscipi, fitque natura Angelica dignificāda quantum potest, illa debemus illis tribuere quæ ipsos magis dignificant, & videntur esse rationabiliora.

Propo. 13.

Istæ species æqualiter fuere collatæ cuilibet angelo, ita quod tot habet angelus inferior, quot superior, æqualiterque repræsentantes non tamen per illas repræsentabantur indiuidua. Hæc pro vtraque sui parte docet Scotus hac.d. q. 10. & 11. & est contra Thomam, qui. 1.p.q. 55. artic. 3. tenet angelos superiores intelligere per species magis vniuersales, quam intelligant angeli inferiores. Et in. q. 57. artic. 2. quod per præfatas species cognoscunt singularia. Atq; in hoc secundo consentit Bona. hac.d. nu. 54. & deinceps, sed addit quod cognoscit per species vniuersaliū dirigendo, & applicando suum aspectum supra res ipsas, & ita neque habet infinitas species singularium, neque per solas species vniuersalium cognoscit omnia singularia. Ponit exemplum quando quis habet speciem hominis, & faciendo compositionē, sine noua receptione speciei cognoscit indiuiduum: ita angelus appropriando spectem illam vniuersalem ad singularia, habet ita claram, & certam cognitionem de singulari, sicut si speciem tunc reciperet. Thomas & sequaces aliter dicūt, quod sicut Deus per essentiā suam cognoscit nō solū naturas vniuersales, sed etiā singularia quando sunt, quod sunt: & quando non sunt cognoscit quod nō sunt: ita angelus per illas species cognoscit singularia quādo sunt: & cognoscit quādo nō sunt: & quādo indiuiduū est album repræsentant illud vt album, & quando est nigrum, vt nigrum. Atque hoc propter excellentiā specierū. Sed probatur propositio. Vnū quodq; sicut se habet ad esse sic se habet ad cognosci, sed in coordinatione prædicamentali aliquid habet species subalternata supra speciē subalternantē. Vt. V.g. substantia corporea habet esse extensibile quod nō dicit substantia de se: Animata supra corpoream habet aptitudinē ad motum. Indiuiduū addit supra naturam, ergo cognitio de talibus obiectis vna addet supra aliam, & cum species sit similitudo obiecti, vna species nō repræsentabit aliam, neque species vniuersalis indiuidua. Secundo quia dato opposito non erit in angelis nisi vna species quæ fuit opinio Henrici impugnata à Scoto. quæstio. 10.

Aa 2

& pro-

& probatur quia dato infimo angelo scilicet Raphael. V.g. cognoscat omnia per decem species, Gabriel per nouem, & sic deinceps, ergo supremus vt Michael cognoscat per vnam. Et confir. quia cum sint tot angeli quot species, & indiuidua fuere creata vt habes, supra. p. 5. imo plures quam indiuidua corporalia, & secundum Thomam differant specie inter se, & sic quilibet ab altero differat perfectione, quia sunt sicut numeri probabile est quod ascendendo ab infimo ad supremum, cognoscat supremus per vnam speciem representantem omnia. Tunc ultra. Illa species potuit æqualiter conferri omnibus, quia non implicat contradictionem, ergo fuit collata omnibus. Consequentia fit verisimilis, quia quorsum debebat Deus facere per plura quod poterat per pauciora? Sed quod non possit in omnibus angelis, neq; etiã in vno poni species vna quæ representaret omnia probatur, quia tunc nõ possit creari angelus perfectior illo, & si crearet cognosceret per suam essentiã, quod est inconueniens quia hoc est solius Dei cognoscere sic omnia. Ultra, quia si esset vnus angelus qui omnia cognosceret per vnam speciem, possit cognoscere omnia vna sola notitia, quia illi suæ memoriæ perfectæ correspondet intelligentia perfecta: sicut quia pater in diuinis habet infinitam memoriã, producit notitiã infinitam, sed videtur inconueniens quod angelus vna sola notitia cognoscat omnia.

Argum. 1. Sed cõtra q. 8. Metaph. species, seu formæ sunt sicut numeri: sed maior numerus includit minorem, & est ratio illum cognoscendi, ergo perfectior species includet imperfectiorem, & erit ratio qua ipsa cognoscatur. Confir. quoniam aliàs frustra dicitur genus continere speciem, & species subalternans subalternatam & perfectior minus perfectam.

Argum. 2. Secundo, quia potuit Deus creare speciem quæ representaret quidditatẽ & indiuidua, & quidditatẽ magis vniuersalem, & minus vniuersalem: quare, ergo nõ creauerit & infuderit species vniuersaliores angelis perfectioribus.

Argum. 3. Tertio: quia per experientiam videmus in nobis quod discipuli ingeniosiores possunt ex paucis multa capere & cõponere: hebetiores vero non ita possunt, nisi eis particulatim explicentur per singula.

Solu. Ad primum respondetur tripliciter secundum Scotum maxime in repor-

reportatis. q. 2. Primo, quod species quas philosophus comparat numeris sunt subalternatæ respectu subalternantium: ita quod subalternata continet subalternantem sicut numerus maior minorem, quia dicit quod alia, & adhuc amplius. ¶ Secundo dicit, quod loquitur de speciebus specialissimis, quarum vna non continet aliam, sed vna est perfectior altera, & sic numeri, quia vnus est altero perfectior, quod si numerus dicat aliquam formam simplicem extra animam distinctam à rebus numeratis, formatarij non est forma quaternarij, neq; è contra, & sic numerus maior non continet minorem. Tertio respondet, quod tenendo quod numerus non est aliquid extra animam nisi res numerata: quod numerus maior includit minorem, quia est pars eius, non tamen est simile de speciebus specialissimis, quia neutra est pars alterius. Ad confir. dico quod cum definitum includat duos conceptus, scilicet, generis quod prædicatur in quid, & differentia quæ prædicatur in quale, vnde alter est cõceptus quidditatus, alter vero qualitatus, pro tanto superior dicitur continere inferiorem, quia dicit in se conceptum inferioris, & entitatem, quãuis non omnem entitatem. Alias enim non distingueretur species inferior ab alia superiori, nisi per negationem, quia vna non est alia. Modo est certum, quod homo per propriam rationem distinguitur ab animali in se. At verò cum sit superius, & perfectius esse in se quam in alio, vt potes videre in Scoto. in hoc. 2. d. 12. q. 2. ad. 2. principale, dico quod animal perfectiori modo dicit animalitatem in se, quam in homine aut alio inferiori. Propterea igitur superior continere dicitur inferiorem, quia continet aliquid quod est perfectum in inferiori, & continet perfectiori modo, quamuis non contineat totum quod est inferioris.

¶ Ad aliud dico, quod si potest quidditas superior continere totam quidditatem inferiorem poterit fieri species representans vtramq;: sed si non, non: vnde Scotus in reportatis dicit, quod implicat contradictionem speciem superiorem continere perfectè inferiorem, & essentiã superiorem non continere essentiã inferiorem. ¶ Ad tertium respondet Scotus quod tot species habet ingeniosior, quot habet tardior, tamen ingeniosior clarius cognoscit per illas, & citius componit, & discurret ab vno ad aliud, sed ex hac velocitate discurrendi non cõcluditur, quod

Aa 3 intelli-

Solutio. 2.

Solutio. 3.

Ad secundum.

Ad tertium.

intelligat per species pauciores. Quod si adhuc petas an vnus intellectus sit perfectior altero, quando quidem vnus limpidius cognoscit quam alter. Respondeo, quod intellectus humanus equalis perfectionis est, si animæ sunt æquales. Proueniet autem tunc quod vnus sit alio perspicacior, vel ex meliori dispositione corporis, & complexionem bonam humorum: vel ex melioribus phantasmatis vt accidit quando docetur à Magistro planiori via, & resolutiori: vel quia intellectus informat melioribus habitibus, intellectualibus & magis exercetur in sua operatione. Cum ergo Scotus hac d. & q. 10. litera. M. respondendo argumētis D. Tho. dixit, quod perfectior intellectus simpliciter est qui limpidius cognoscit, vel non loquebatur de intellectu humano, sed de angelis in quibus naturalia non sunt æqualia, vt infra. d. 9. p. 4. vel si de humano, non ibi expressit, quod vnus sit altero perfectior, neq; affirmavit, sed tantum dixit in quo sit perfectio vnus supra alterum. Modo vero non satis videtur credibile tantam differentiā animorum ex prædictis, aut ex cælo vel solo proficisci, nisi sit essentialiter ab ipsis animabus inter se, vide in. 1. dist. 44. p. 6. & infra. d. 32. p. 4.

Propos. 14. Angeli habent intellectum agentem & possibilem. Hanc tenent Alexand. 2. p. q. 22. M. 3. Bona. hac. d. num. 54. concedunt tamen & præcipue Alexand. quod non est possibilis tanta possibilitate vt humanus, qui indiget sensu & phantasmatis. Sequitur eos Scotus hac. d. q. 11. Atq; ista debet esse necessario Ricar. hac. d. ar. 6. q. 2. Et est contra Tho. 1. p. q. 54. ar. 4. & 55. ar. 2. Sed differentia inter doctores, & præcipue Scotū & Thomā stat in duobus, quorum alterum est de re, scilicet, si angelus habet virtutem intellectus ad hoc, quod posset acquirere illas species, si non fuissent sibi cōcreata: secundū est de nomine, scilicet, an ad hoc vt sit intellectus agens & possibilis sat sit, quod si non haberet tales species posset illas acquirere? Hæricus citatus à Scoto citata. q. 11. tenet, quod si non fuisset concreata illa vna species, vel habitus quē ipse ponit, quod nihil intelligeret. Caiet. citata. q. 55. ar. 2. tenet illas species non esse causabiles nisi à solo Deo, prout sunt in natura angelica, quamuis de se & secundum suam rationem communem sint causabiles à creaturis. Vnde coincidēt cū Henrico, in eo quod angelus creatus sine speciebus, cum nō posset

set eas acquirere nihil intelligeret. De diuo Thoma quid senserit expresse de hoc, mihi est dubium. Caiet. suam sententiam deducere vult ex doctrina Thomæ qui loco citato de angelis vt cum illis speciebus creati sunt loquitur. Scotus in. 1. argumento contra Henricū miratur de angelo sic creato sine specie, vel habitu illo scientiali quomodo staret sicut truncus, quia non videretur de se magis intellectualis quam substantia vel natura lapidis. Argumentor vero sic, Angelus potuit creari sine speciebus, ergo potuit illas acquirere. Antecedens patet, quia non implicat contradictionem esse substantiam sine accidenti & intellectu sine specie, quia qua ratione sine vna, & sine alia. Alioquin in existēdo aut essendo dependeret substantia ab accidenti, & intellectus ab specie. Consequētia probatur, dupliciter, primo quoniam Angelus sic creatus cognosceret se per suam essentiam, & per opinantes nihil aliud cognosceret sine specie, ergo vel è se alia cognosceret, cum ad hoc vt se perfecte cognosceret oporteret scire se mobilem secundum locum, & se creaturam ab alio factam, & sic de alijs, & per consequens acquireret illas species, vel si non cognosceret, nisi se ipsum frueretur seipso & peccaret. Cui tamen peccatum imputari non poterat cum se solum cognosceret, ac de seipso solo iudicaret: Aut peccatum recideret in Deum tanquam autorem. Secundo probatur consequentia, quia cum anima nostra & sensus noster possint acquirere suas species, quare Angelus non poterit? Et confirm. quia aqua si crearetur calida posset reducere se ad frigiditatem vt perfectionem suam acquireret, ergo angelus creatus sine speciebus posset illas acquirere vt suam haberet perfectionem. Secundo argumentor ad principale. Obiectum præsens sufficienter mouet intellectum vt generet notitiam, quia ab obiecto & potentia paritur notitia iuxta August. 9. de Trinitat. cap. 12. ergo angelus posset sine speciebus cognoscere obiecta præsentia. Confir. quia species ponitur ad supplendam vicem obiecti. Tūc vltra, habita notitia obiecti præsentis non videtur quomodo angelus non posset recordari illius obiecti, quæ recordatio debet esse per speciem. ¶ Ex hac ratione inferitur quomodo potest generari prius notitia quam species, puta quando obiectum est præsens vt actu intelligibile. Atque ita videtur sensisse Scotus

Corol.

Argumen.

Scotus in. 1. d. 3. q. 6. litera. O. & probatur Corol. quia species generatur ad suppleendam vicem obiecti, sed obiectum est præsens actu intelligibile, ergo prius producetur notitia, quam species. Item cognitio per speciem est imperfectior, quam cognitio per essentiam vt habes à Scoto hac. d. q. 10. litera. G. ergo intellectus & obiectum prius agunt ad cognitionem per essentiam, quam per speciem, quoniam sunt agentia naturalia, quæ non impedita producant effectum perfectiorem quem possunt, & per consequens prius agunt ad productionem notitiæ quam speciei, quia notitia est effectus perfectior, quam species. Merito, ergo doctor subtilis tam citata. q. 11. litera. G. quã. d. 9. q. 2. litera. N. & quodlibeto. 15. litera. C. tenet tanquam probabilius, quod si non fuissent concreatæ illæ species angelis, quod possent eas acquirere à rebus. Inter Caietanum & Henricum erit differentia, quia Henricus negabit, quod Angelus cognosceret se per suam essentiam, sed per illum habitum. Caietanus non potest negare, quod sine speciebus cognosceret se per suam essentiam, quæ cognitio sui ipsius est cœua ipsi angelo, & quasi propria perfectio necessario consequens naturam eius. Vide Scot. citato quodlibeto, & sic nunquam essentia sua fuit angelo intelligibilis in potentia sed semper in actu. ¶ Si petas quare Deus tales species infudit, si eas poterant acquirere? Dico quod ex benignitate sua infudit illas Deus, sicut infudit animæ Christi vt habes in. 3. dist. 14. p. 6. quanuis poterat illas acquirere. Sunt q; infusæ perfectiores, quã acquisitæ repræsentantq; perfectiori modo. De secunda. q. de nomine, si ex eo, quod possent acquirere species debeat in eis distinguere intellectus in agentem & possibilem, aperte fatetur Scotus citata. q. 11. quod sic, & probatur. Possunt efficere & recipere notitiam: ergo habent intellectum agentem & possibilem. Antecedens patet, & probatur consequentia, quia talis intellectus est perfectio naturalis creaturæ intellectualis præcedens productionem, & receptionem specierum, igitur quanuis simul tempore sit formatio specierum & receptio, nihilominus intellectus est dicendus agens & possibilem: patet exemplo. Si Deus cōcreafset animæ nostræ species, sicut concreauit angelis nihilominus habebit anima intellectum agentem & possibilem, vt patere potest in Christo domino. Confir. quia si Deus illas species non dedisset

disset à principio, nihil magis, neque minus haberent angeli de perfectione sua naturali, neq; anima cui à principio infudisset. Ex prædictis infero quomodo angelus cognoscat alium angelum, imo & cætera omnia à se, videlicet per species quando cognoscit abstractiue: & per proprias eorum essentias quando sunt præsentem, & cognoscit intuitiue. Ita docet Scotus hac. d. q. 10. litera. G. & de Angeli alterius cognitione docuerat Alexand. 2. p. q. 24. M. 2. quod vnus angelus cognoscebatur ab alio quadrupliciter. Primo per suos effectus. Secundo per scripturas vbi continetur Angelos diuersimode apparuisse. Tertio in Verbo. Quarto dupliciter, vel in proprio genere, vel in se. Et subdit de hoc quarto modo cognoscendi dicimus, quod in se vnus Angelus cognoscit alium Angelum & per speciem non innatam, sed potius acquisitam, quia ipse eam sibi facit in se: & concedimus sicut opponebatur, quod in Angelo est duplex natura, scilicet, dandi formas intelligibiles, & recipiendi eas ab alio, & istæ duæ naturæ sunt in Angelo sicut in anima. Hęc Alex. & loquitur de cognitione qua Michael in semetipso cognoscit Gabrielē: & infra cōcedit, qd angelus cognoscit aliū in genere proprio, quoniã illius potest habere speciē in semetipso, sicut & ceterarū rerū, & huiusmodi habet formam datā ab initio, sicut & ceterarū rerū. Ex cuius doctrina elicitur. Primo, quod Angelis sint concreatæ species. Secundo, qd intellectus angeli est agens & possibilem. Tertio, quod non obstāte specie infusā angelus habet speciē acquisitam alterius angeli. Quarto, videtur mihi Alex. esse in eo, quod Angelus nō potest cognoscere Angelum præsentem nisi per speciem infusam: vt cognoscat in genere proprio: acquisitā vt cognoscat in se: ita quod secundum Alex. prius requiratur species, quam notitia vt sit in intellectu similitudo obiecti: quia cognitio fit per assimilationē: estq; contra Corol. supra. Atq; hoc quartum elicitur ex primo argu. cum alijs dictis per totum mēbrum. ¶ Secundo infertur ex dictis, qd Angeli possunt proficere in cognitione accipiendo notitiam actualem à rebus. Ita Scotus citata. q. 11. consentit Ricar. ar. 6. q. 2. Quoniã de fide est, quod Angeli cognoscunt singularia, quia custodiunt homines singulares vt infra. d. 11. & sunt administratorij spiritus Heb. 1. respectu horum inferiorum, quæ non possent sua prouidentia administrari, nisi haberent notitiam il-

Corol. 1.

Corol. 2.

Bb lorum,

lorum, quæ sunt actus singularium, sed si non proficerent cognoscendo singularia ut sunt hic, & nunc, iam cognouissent omnia singularia, & omnia futura contingentia, de quibus dicit Damasc. lib. 2. cap. 4. quod futura neq; Angeli neq; Demones sciunt. Et Isai. 41. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum & sciemus, quia dii estis vos. Atq; in hoc Corollario de singularibus concordat Alex. 2. p. q. 26. M. 2. q. eorū cognitio est per similitudines quas Angelus sibi capit ex rebus existentibus, & non per species cōcreatas.

Argum. 1. ¶ Secundum cōmentatorē. 3. de anima com. 1. 8. Intellectus agens ponitur, ut transferat obiectum de ordine in ordinem, scilicet, de ordine sensibiliū ad ordinem intelligibiliū, & de ordine corporalium ad ordinem spiritualium: sed angelus non habet sensus exteriores, neq; interiores, ergo neq; habet intellectum agētem. Et confir. quia intellectus agens & possibilis non videntur distinguī nisi per ordinem ad phantasmata.

Argum. 2. ¶ Secundo, quia recipere est pati: sed angelus non potest pati ab istis inferioribus, cum quibus non communicat in materia, ergo non posset intelligere inferiora, & materialia saltem, nisi per species concreatas, & per consequens, neque acquirere species si ipsas non habuisset à Deo.

Argum. 3. ¶ Tertio, dato quod posset acquirere, ergo acquirit alias non obstante, quod habet infusas. Probatur consequentia quoniam videntur infusæ & acquisitæ differre specie, sicut differunt species infusæ & acquisitæ. Confir. quia dictum est species infusæ esse perfectiores, & repræsentare perfectiori modo.

Solutio. ¶ Ad primum dico, quod Commentator loquebatur de intellectu nostro, qui abstrahit à phantasmatibus, sed angelus qui non habet phantasmata posset aliquo modo dici transferre de ordine in ordinem, quia cum creatura inferior non possit causare cognitionē in angelo principaliter, & ut causa totalis, ipse angelus virtute sui intellectus agentis principaliter, & per similitudines istorū inferiorū instrumentaliter, educit de potētia sui possibilis species intelligibiles. Vide Ricar. ar. 6. q. 2. ad. 1. & 3. Alexander etiam dicit. q. 24. M. 3. quod Angelus habet posse, ut det esse spirituale similitudini corporali, & sic eā intelligat. Vnde huiusmodi res non agit in angelum, sed potius ipse agit in rem. Hæc ille & sic dico, quod potest dici transferre de ordine in ordinem. Per hoc

hoc patet ad secundum. Ad confir. respondet Scotus citata. q. 11. litera. C. negando, quod sic distinguuntur, sed quod formaliter ex natura rei distinguuntur inter se, vel extrinsece per cōparationem ad obiecta, vel ad illa in quibus obiecta relucēt, scilicet, species quas vnus efficit, alter recipit.

¶ Ad tertium, videtur, quod argum. concederetur ab Alexandro, qui posuit angelum cognosci ab angelo specie infusa in genere proprio, sed in se specie acquisita. In via Scoti negatur consequentia. Ad probationem dico, quod non differunt specie, sed sicut ignis calefacit passum approximatum, sed si illud passum fuisset præuentum & calefactum à Deo non iam ignis calefaceret, quia inuenit assimilatum, ita in proposito. De differentia fidei acquisitæ & infusæ vide in. 3. d. 24. scilicet, ex obiecto formali. Sed in proposito esse à Deo, vel ab alio non variant quidditatem specificam, sicut, quia Adam fuit formatus à Deo, & Abraham per generationem non variatur in eis humana species. Ad cōfir. dico, quod istæ species sunt qualitates de prima specie qualitatis, sunt enim māsuarū disponentes intellectū ad operationē, & cū sit proprietas qualitatis suscipere magis & minus, possunt intra eandē speciem esse species intelligibiles aliæ alijs perfectiores.

Communis Theologorum schola ponit in angelis duplicem cognitionem, Matutinam, & Vespertinam. Quos terminos sumit ex Augustino. 4. super Genesim. cap. 23. & 11. de Ciuitate Dei. cap. 7. videantur doctores hac dist. aut sequenti. Alexand. 2. p. quæst. 23. Thom. 1. p. quæst. 58. art. 6. & 7. Vocaturque Matutina cognitio rerum in verbo, ut res sunt & continentur ibi eminenter: non tamen ut per reuelationes quas Deus ibi facit. Vespertina est cognitio rerum in proprio genere prout cognoscuntur per concreatas species, & sic sunt duæ cognitiones. Atq; ita videtur intellexisse August. quia si per vespertinam intelligeretur cognitio rerum in verbo non secundum illud esse quod habent in verbo, scilicet, per ideas, sed secundum illud esse quod habent in rerum natura, sicut Deus cognoscendo se cognoscit esse rerū quod habent in propria natura, tunc Matutina & vespertina non essent duæ, sed vna simul, differēs tantū secundū cognita, Vocatur sic metaphoricè, quia sicut Mane est principiū diei, ita cognitio in verbo est primordialis, & principalis, quia cognoscit

res in sua causa, & principio. Vespera est finis diei, ita cognitio in genere proprio est quasi terminus & finis cognitionis, quia cognoscitur res ut est in semetipsa, exceditq; vna in claritate aliam, sicut Mane vesperam.

Argum. 1. Contra arguitur, quia ex propositione sequitur, quod cognitio verbi, ut verbi, sit dicenda Matutina, quod videtur inconueniens, & probatur sequela, quia utrobique est idem principium cognoscendi, ergo est eadem cognitio in specie, sed vna dicitur Matutina altera igitur etiam est sic dicenda.

Argum. 2. ¶ Secundo, In Angelis cognitio Matutina præcessit vespertinam, sed Angeli non fuere prius beati, quam cognoscerent res in proprio genere, ergo Matutina cognitio non est beatifica, & in verbo. Maior probatur, quia istis terminis vsus est August. ad explicanda opera sex dierum, quomodo erant sex dies habentes Mane & Vespere, scilicet, in cognitione Angelica, cognoscendo prius in verbo, & deinde in genere proprio. Minor probatur ex peccato & merito angelorum infra. d. 5. quia oportuit quod se ipsos inter se cognoscerent, ut fieret illud prælium, & Lucifer se amaret, atq; alij ei adhærerent.

Solutio ¶ Argumentum primum concedit Alex. 2. p. q. 23. M. 5. quod visio alicuius rei in verbo & visio verbi est eadem, quia res in verbo est idem quod ipsum verbum.

Ad. 2. ¶ Ad aliud respondet Scot. hac. d. q. 9. litera. F. quod verum est, quod Augustinus illam cognitionem rerum in verbo posuit beatificam, nihilominus tamen ex eius dictis probari potest quod cognitio Matutina sit naturalis, & non præcise beatifica. Quoniam illæ cognitiones erant in angelis viatoribus antequam essent beati, fuit enim morula inter eorum creationem & lapsum. Propter quod ipse Scotus concedit in Angelis distinctam notitiam abstractiuam verbi quando erant viatores, in qua cognoscebant creaturas, quia in sola notitia verbi confusa non poterant creaturæ distincte cognosci, quia ratio cognoscendi confuse re, non est ratio cognoscendi ipsam & suos effectus distincte. Vide ad hoc sup. p. 8. & 10. de specie. Ponit exemplum quomodo possint creaturæ cognosci in verbo cognito abstractiue, sicut scientia quæ est habitus conclusionis est de passionibus, quæ demonstratur de subiecto non solum intuitiue cognito, sed etiam abstractiue. Habetur ergo, quod cognitio matutina

tina capitur dupliciter, & tunc ad formam argumēti. Ad maiorem distinguo quia cognitio Matutina non beatifica præcessit vespertinam & fuit in omnibus angelis æqualiter, etiam in Dæmonibus. Prout sumitur pro beatifica, non præcessit vespertinam, neque fuit in Dæmonibus. Si dicas quod Scotus contradicit sibi ipsi dum vocat hanc Matutinam naturalem, & vbi supra. p. 9. negat eam naturalem. Dico quod non sibi est contrarius, quia non vocat mere naturalem, cum ipsa species non posset haberi à causis naturalibus. Atque per hoc concordantur loca quomodo in ambobus debeat intelligi. In vno distinguendo naturalem à beatifica: in alio naturalem à supernaturali. Potest etiam alio modo sumi & dici Matutina comparatiue, quia nihil prohibet aliquid respectu vnius dici lux, & respectu alterius Tenebra: sicut vita iustorum respectu ad malos dicitur lux Eph. 6. fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: Respectu gloriæ dicitur tenebrosa. 2. Petri. 1. Habetis propheticum sermonem cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco: ita cognitio vespertina Angelorum, & cognitio Dæmonum respectu nostræ potest dici lux.

DE VOLUNTATE, SEV DILECTIONE angelorum.

Angelus naturali dilectione plus diligit se, quam alium angelum, & plus sibi similiore, vel quia sunt eiusdem speciei, vel eiusdem ordinis. Hęc propositio supponit Angelos habere voluntatem, & liberum arbitrium quod docet Magister & vide infra. d. 5. Nota etiam quod amor naturalis non est nisi ipsa potentia voluntatis absolute sine aliquo superaddito. Vide Scotum in. 4. d. 49. q. 9. & Thom. 1. p. q. 60. artic. 1. quæ potentia habet suam naturalem inclinationem, sicut habent cæteræ res naturales. Dicit ergo propositio, quod angelus naturaliter, plus inclinatur ad se. Et probatur quia dilectio seu inclinatio naturalis fundatur super vnitatem naturalem: Maior autem est vnitatis numerica quàm specifica, & specifica quam generica ergo ad se, & ad similiorem est naturaliter amor, & inclinatio magis intensa. Inde naturaliter quælibet res desiderat suum esse permanere etiam cum dispendio

dio alterius: & omne animal diligit sibi simile ecclesi. 13. & pares cum paribus vt est in veteri prouerbio facillime congregantur: & in ecclesiastica Hierarchia plus diligit quis fratrem sui ordinis secundum rectum iudiciū rationis, quā aliū alterius ordinis, ergo similiter in angelica Hierarchia.

Propo. 17. Amore libero: seu electiuo, (hoc est amore elicitō à voluntate eligente) angelus plus diligit se quam alium, id est, plus appreciat se, & suam gloriam. Patet, quia in ordine caritatis post Deum, secundum locum tenet persona propria. Cum hoc tamen stat quod eodem amore tam angelus quam quilibet alius beatus diligit plura bona alteri, quam sibi, quia scilicet videt illum esse dignum pluribus bonis, & sic ratione boni optati omnes sancti diligunt beatæ virgini maiora & plura bona: Sicut homo desiderat sibi sacerdotium quia videt se inhabilem ad episcopatum, & amico episcopatum, Principi regnum, sibi paruum hæreditatem. ¶ *Argum.* Contra hanc arguitur quod Angelus non habet amorem electiuum, quoniam dilectio electiua est cum discussione rationum ad vtramque partem: sed discussio rationum non est in Angelis, ergo non habent dilectionem electiuam. Maior potest patere, ex ratione electionis in. 1. d. 40. & ex Arist. 3. ethi. cap. 3. quod electionem præcedit consultatio. Consultatio autem versatur circa incerta, & indeterminata quemadmodum euadant. Minor probatur quoniam discutere rationes est ratiocinari & proprium hominis qui est animal rationale: Angelus est proprie intellectualis non cognoscens discurrendo à confuso ad distinctum, neque componendo aut diuidendo, quia licet intelligat compositionem, & diuisionem propositionum, seu enuntiationum non tamen componit, & diuidit, & intelligit omnes syllogismos, & demonstrationes sine discursu, cognoscens simul & principia, & conclusiones.

Solutio Ad hoc argumentum concessa minori cum sua probatione de qua tamen vide infra. d. 5. p. 8. Ad maiorem respondet Alex. 2. p. q. 3. 1. M. 1. sequitur Tho. 1. p. q. 60. art. 3. quod est dilectio electiua consequens discussionem rationum, & hæc non est in Angelis, quia est propria hominis, qui non statim præuidet vnum esse altero melius: est alia electio quæ procedit statim habito de bonis iudicio. Hanc habent angeli alterum alteri præoptando per

per subitā veritatis acceptionem. De prima quæ est hominis loquebatur Arist. Et quod dicitur de cōsultatione, quæ videtur esse cum ignorantia & dubitatione, concedit Alexan. in angelis consultationem de his quæ ignorant circa facienda iuxta Dei voluntatem, de quibus & Deum, & alios Angelos superiores consulunt, sed hæc non est ignorantia, quæ causat consultationem prærequisitam electioni de eligibilibus ad aliquem finem, sed est nescientia de aliquibus actibus futuris, & contingentibus. Vide infra. d. 5. p. 3. in solutione argumenti.

Ratione effectus quem impedit vnus angelus plus diligit illū quem illuminat, quam illum quem non illuminat, etiam si non illuminatus sit sibi similior: Sicut mater filio paruulo plura impendit beneficia quam adulto, & prælatus subdito infirmiori. Has tres docet Bona. hac. d. q. vlti.

Naturali dilectione Angelus plus diligit Deum, quā seipsum. Ita docent Bona. q. penultima. Thomas. 1. p. q. 60. art. 6. Ricar. artic. 7. q. 1. & debet esse Alexan. 2. p. q. 30. M. 1. arti. 2. §. 2. quauis enim per totam illam quæst. neget Angelū diligere Deum plus quā se, nisi dilectione gratuita, & quæ est per caritatem, attende quod loquitur de actu libero, & elicitō, qui sine gratia nō potest esse Dei plusquam se vt ipse ibi fatetur, & sine gratia dicit quod est vnica dilectio sui, & Dei, quia diligit tunc amore concupiscētiæ quem ipse vocat amorē naturalem, & diligit se angelus summē tanquā bonū cui aliquid concupiscit, & diligit Deū summē, tanquā bonū sibi concupiscibile, ita q̄ ly, summē capiatur differenter, sit tamē vna dilectio, quia ratio diligendi, & dilectum nō multiplicat actū dilectionis. At vero in solutione sexti argu. dicit quod licet potētia naturaliter inclinetur ad diligendum Deū plusquā se vel aliā creaturam, non tamē natura per se sufficiens est ad exitum in actum dilectionis istius: sed nos loquimur de naturali inclinatione volūtatis, ergo, ad idem nobiscum fuerat Alexan. & probatur conclusio: quia Deus est vniuersale bonum & creatura naturaliter inclinatur magis ad bonum commune & vniuersale, quam ad bonum proprium, patet in alijs, quia lapis ascendit contra propriam inclinationem ne detur vacuum in natura vniuersali. Manus exponit se naturaliter & absque deliberatione pro salute totius corporis: fortis politicus exponit vitam

*Proposi. 18**Proposi. 19*

vitam pro republica, quoniam ratio in eo imitatur naturā. Aliās enim nisi naturaliter plus Deum diligenter quam se, naturalis inclinatio non esset recta, & per caritatem infusam (quæ inclinatur plus in Deum quam in se) non perficeretur, sed destrueretur. Hæ rationes ita locum habent in homine sicut in angelo, & quanuis impugnentur à Scoto in. 3. d. 37. q. 1. tamen in conclusione concordat. Confirmantur prædicta quia præceptum diligendi Deū ex toto corde, & supra se est morale: sed præcepta moralia sunt scripta in mente, & de lege naturæ, ergo Angelus naturaliter, & similiter homo magis inclinatur ad dilectionem Dei, quam ad suam. Et quidem Alex. concedit argumentum, sed negat quod natura possit exire in actum se sola, sine gratia. ¶ Ex prædictis infertur quod dilectio naturalis tam ad Deum, quā ad alios Angelos remanet etiam in Dæmonibus, quoniā in eis naturalia māsuerunt integra. Vide Alex. citata. q. 30. M. 3. quanuis propter peccatum in quo sunt obstinati non exeat talis dilectio in actum. Vide & Thom. citata. q. 60. arti. 4. ad. 3. & arti. 5. ad. 5. idem dicentem quod Alex. Vide & infra. d. 7.

Argum. 1. Ex hac vltima argu. contra. 16. Angelus naturaliter plus diligit Deum quam se, & quam cætera omnia, & non nisi quia est summum bonum, ergo naturaliter plus inclinatur ad diligendū illum qui est Deo similior, & propinquior in bonitate, & per cōsequens ad superiorem.

Argum. 2. Secundo ex probationibus huius vltimæ videtur consequi, quod tam Angelus quam homo in puris naturalibus, possit ex puris naturalibus elicere actum amoris liberum diligendo Deum plus quam se: quia cognito ex puris naturalibus Deo, vt ex illis est cognoscibilis, videtur quod possit homo illum diligere vt bonū commune, & vniuersale, & facere actum illum iustitiæ virtutis, quem facit fortis pro patria, quia si ille pro patriæ bono quod est commune, poterit, igitur, & pro Deo, qui est bonum magis commune & vniuersale. Confir. quia vnaquæque natura se sola exequitur suam naturalem inclinationem, vt lapis se solo descendit, ergo & voluntas suam naturalem inclinationem se sola poterit prosequi. Alias enim non poterit se cōformare dictamini naturali, ad quod dictamen se debet conformare actio libera vt sit recta. ¶ Primū argumentum conuincit Ricar. hac. d. artic. 7. q. 2. vt tenet

neat contra sanctum Bona. Fecerat vero Bona. idem argumentū contra se. Respondeo ergo negando consequentiam: & quantū ad naturalem inclinationem dico quod respectu Dei, qui est summum & commune bonum est ad ipsum maior inclinatio quam ad se: in alijs bonis infra summū & commune, ad intensiorem inclinationem, plus facit vnitas, quā bonitas: facit vero bonitas proportionem respectu plurium bonorum volitorum vt est in. p. 17 & bonorum inter se, quando cætera sunt paria in vnitate, vt. v. g. inter duos æquales in specie, aut ordine plus diligitur melior.

Ad aliud videntur mihi esse tres opiniones. Vna Alexandri su-
pra citati quod non sufficiunt naturalia sine gratia gratum faciēte ad actum dilectionis Dei plusquam se, licet bene sufficiant ad diligendum eum plusquam aliam creaturam: posset pro Alexandro dari simile in opinione Scoti quod Deus est finis naturalis, tamen supernaturaliter consequendus, ita ad actum inclinationis naturalis, requiratur gratia gratum faciens. Alia est opinio Thomæ. 1. 2. quæst. 109. artic. 3. negantis necessitatem gratiæ gratum facientis, sed quod sufficiebant vires naturæ in statu naturæ integræ, de qua currit argumentum, sed quod requirebatur auxilium Dei, & quanuis non nominet aperte auxilium speciale, videtur manifeste quod de ipso loquatur. Et sic in vtraque opinione requiritur aliquod supernaturale adiuuans & eleuans naturam. Tertia videtur esse Ricardi. hac. d. articulo. 7. quæstio. 1. concedentis argumentum, quia negat necessitatem gratiæ gratum facientis, nihilque de auxilio speciali meminit. Diligeretur autem Deus tunc non sub qua ratione est bonum beatificans supernaturaliter. Et quidem si hæc tertia positio non contradicit fidei ecclesiæ, quod pro nunc nō occurrit vbi contradicat videtur rationabilior, & quod solo auxilio generali posset angelus, & homo sic diligere.

(?)

Cc

DIS.

DISTINCTIO III.

Quales creati fuerunt angeli secundum bonitatem & malitiam, felicitatem & miseriam,

Propos. 1.



Angeli non fuerunt creati mali. Ita docet Magister hac. d. & precedenti. Quoniam illa malitia esset à Deo, qui non potest esse autor mali ut est in litera precedentis dist. Contrarium huius est hæreticū, ut docet Bona. d. precedenti. num. 46. quoniam Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona. Iacobi. 1. Nemo cum têtatur dicat quod à Domino tentatur. Deus enim intentator maiorum est. Extat definitio Concilij Braccharenfis primi Canon. 7. si quis dicit diabolum non fuisse prius Angelū bonum à Deo factum, nec Dei opificiū fuisse naturā eius, sed ex tenebris emerisse, neque aliquē sui habere autorem, sed ipsum esse primum, atque substantiam malam sicut Manicheus & Priscillianus dixerunt anathema sit. Imo neq; fuere creati miseri miseria poenæ. Quoniā ut in litera dicit Magister, ex peccato miseria est: nam si nō fuisset peccatū nulla esset miseria, quia ut dicit August. citatus in litera. Deus nō est prius ultor quā aliquis sit peccator.

Propos. 2.

Angeli sunt creati perfecti tanta perfectione, quāta eorū naturæ conuenit. Vel sic. Angeli fuerunt creati beati secundū quod beatitudo sumitur pro statu carēte omni malo, nō tamē sunt creati beati secundum quod beatitudo est status omniū bonorū aggregatione perfectus, ut illam describit Boetius li. 3. de consola. prof. 2. quod includit diuinā visionem. Valet ergo. Fuerunt creati beati beatitudine naturali, non tamen beatitudine supernaturali. Hanc docet Magister in litera, & patet, quia si fuissent in gloria, nunquā mali peccassent. Vide Bona. hac. d. q. 1.

Propos. 3.

An fuerint creati in gratia duplex opinio est. Prima negatiua. Hanc Magister in litera videtur acceptare. d. sequenti, & quod gratia postea collata fuit angelis stantibus, & nunquam fuit data angelis cadentibus, & hoc ex eorum culpa, qui non permanserunt vsque quo gratia omnibus infunderetur. Sequitur Magistrum

strū Alex. & q. nunquā malus angelus habuit gratiā. 2. p. q. 19. M. 2. & Bona. hac. d. nu. 10. dicitq; hanc suo tēpore fuisse cōmunem, quāuis cū quæstio sit de facto, neq; pro alterutra parte sit ratio nisi cōgruatis, quod vtraq; pars poterit sustineri, sicut & alij ante nos sustinuerunt. Hæc Bona. In eadem est Ricar. hac. d. art. 2. q. 2. afferunt illā autoritatem Gregorij. 32. Moral. cap. 25. super id Ezech. 28. Omnis lapis preciosus operimentum tuum. Huius lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax caritatis est cōditus, qua si repleti voluisset stantibus angelis tanquam positus in regis ornamento lapidibus potuisset inhærec. Habuit ergo lapis iste foramina sed per superbix vitium, caritatis auro nō sunt repleta. Aliā partem affirmatiuā sequitur Thomas. 1. p. q. 62. arti. 3. Scotus hac. d. manet problematicus, & dubius: Gabriel pro vtraq; facit rationes & soluit. Autoritates quæ possunt afferri cōtra Magistrū & sequaces ut est illa August. 12. de ciuit. Dei cap. 9. Bonam voluntatē quis fecit in angelis, nisi qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto quo illi adhærent creauit, simul in eis & condensaturam & largiens gratiā: debent exponi, primo bona voluntas, & amor castus sunt ille amor naturalis de quo precedenti. d. dixim⁹. Secūdo gratia potest capi tripliciter. Primo pro iustificatē. Secūdo pro gratia gratis data. Tertio modo pro dispositiōe ad iustificatē: isto modo possunt virtutes morales dici haberi ex dono & gratia Dei: ut pietas mititas vel naturalis vel acquisita. Vel si quæ autoritates sonāt Angelū in gratia creatū possunt exponi de proxima dispositione ad gratiā, sicut de proximo ad dignitatē dicimus quod iam est in illa: de proximo ad mortē quod iam mortuus est, de filia Iairi Marcus. 5. refert dixisse patrem q. erat in extremis Matth. vero. 9. q. mortua erat. Tenendo fuisse creatos in gratia ponemus in eistres morulas. In prima omnes fuerunt in gratia, in secūda boni meruerūt mali peccauerūt. In tertia fuere in termino, boni in gloria, mali in poena. Tenēdo fuisse creatos in puris naturalibus sine gratia videlicet gratū faciēte multipliciter Sco. assignat morulas, sed pono duos modos & q. fuerint quatuor morule. In prima oēs fuerūt in puris naturalib⁹, in secūda omnib⁹ fuit collata grā, quia est principiū merēdi, & debet poni ut boni mererent, & cū De⁹ nō discernat inter hos, & illos antequā ipsi

per suos actus se discreuerint inter se, vt Scotus hac. d. litera. G. deducit ex August. & refertur in litera: dando gratiam bonis de dit & illis qui ceciderunt. In tertia fait meritū, & demeritū. In quarta fuerunt in termino. Hæc via ponit in angelis plures status. Atq; in nobis multū iuuat plura vidisse, & pertrāsisse ecclesi. 34. Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit enarrabit intellectum. Et statutū est in ecclesiastica Hierarchia per Caium Papā, quod si quis episcop⁹ fieri mereretur prius fiat lector, ostiarius, Acolyth⁹, exorcista, deinde subdiaconus, diacon⁹, presbyter, & exinde episcopus. A simili in angelica hierarchia experti essent status sibi cōueniētes. Quia iste modus nō cōgruit cum Magistro & negantibus malos angelos habuisse gratiam, posset poni alter modus cum præfatis quatuor moralis: ita quod in secunda mali peccauerunt & posuerunt obicem ad gratiam, boni perstiterūt: in tertia bonis apposita fuit gratia & meruerūt.

Propo. 4. Angelis bonis reuelari potuit sua gloria, quando erant viatores, quia non implicat contradictionem, & aliquibus hominibus fuit reuelata, quanuis paucissimis & dilectissimis.

Propo. 5. De facto neque bonis sua gloria, neque malis suus casus fuit reuelatus. Ita docet Magister hac. d. Alex. 2. p. q. 25. M. 1. & 2. Bona. hac. d. num. 14. Ricar. art. 3. q. 1. Probat Magister de malis, quia facta reuelatione aut volebant suum casum vitare, aut nolabant: si volebant vitare & non poterant, erāt miseri: si poterāt & nolabant vitare erant stulti, & maligni. Hoc est argu. Magistri, & confir. volēdo vitare suū casum propter Deū mererentur & fuissent protinus confirmati: Nolendo vitare ibi esset primū peccatū angeli, quod est negandū. Ultra, quia volendo vitare si non poterant, tristarentur quæ esset poena & miseria ante peccatum, & quod plus est non peccassent in eo, quod vitare non poterāt, & cū non sit ratio quare illos Deus inter se distingueret, priusquā ipsi se per culpā, & demeritū, distinxissent, sicut malis suus casus ita neq; bonis sua gloria reuelata fuit. Si quæ autoritates sanctorum dixerint eos præsciuisse suum principatum super malos: vel q; Deus assumpturus esset naturā humanā, quā iuxta multorū opinionē non assumeret nisi propter peccatū respondendum est quod viderunt posterius & non prius sicut Ioseph. Genes. 37 vidit suam exaltationem, sed non venditionem.

Depo.

De potētia Dei ordinaria nō potuit malis suus casus reuelari. De hac vide in. 1. d. vlt. Ricard. hac. d. art. 3. q. 2. non admittit, quod talis reuelatio cum irreparabilitate, id est, reuelatio certa de sua dānatione posset fieri, quia causaret desperationem, & sic Deus esset causa desperationis, quod est impossibile, & videtur loqui Ricardus de potestate Dei absoluta, sed quod si foret reuelanda erat reuelanda, cum reuelatione reparabilitatis. Alexand. 2. p. q. 25. M. 3. tenet quod de potentia absoluta potuit illis reuelare suam damnationem, non tamen decebat ipsum Deum neq; expediebat Angelis. Si dicas, quod beato Petro reuelatus fuit suus casus Ioan. 13. dic. quod non fuit reuelata damnatio, sed peccatum, neq; ipse illam recepit nisi comminatiue, aut sub conditione, si non sibi caueret. Alioquin non respondisset Matth. 26. si oportuerit me mori tecum non te negabo. Imo reuelata illi fuit sua reparatio futura Lucæ. 22. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et cum in reuelatione certa damnationis sint inconuenientia, quæ non militant in reuelatione certa de saluatione non est similitudo inter vtramque vt si vna potest fieri, possit alia.

Propo. 6.

DISTINCTIO V.

De merito: & peccato angelorum.



Mnes angeli habuerunt liberum arbitrium. Ita Magister. d. hac & præcedenti, & infra. d. 25. Probat, quia poterant ratione iudicare, id est, discernere, & voluntate eligere quodlibet, sed in his constat liberum arbitrium, ergo. Maior ex eo patet, quia aliqui steterunt, aliqui peccauerunt, Iob. 4. in angelis suis reperit prauitatem.

Propo. 1.

Secundum Magistrum cum omnes angeli fuissent creati in puris naturalibus, boni conuertentes se ad Deum ex naturalibus, receperunt gratiam cooperantem, quæ iuuat ad operandū bonum & perseverandum: atq; hanc non receperunt ex merito, alioquin non esset gratia. Mali verò non perstiterunt vt gratia apponeretur, & sic eorum culpa fuit, quod gratiam non habuerunt. Quod verò intelligat Magister, bonos angelos incepisse, &

Propo. 2.

Cc 3 inchoasse

inchoasse suam conuersionem per naturalia, patet in hac. d. mox ad principium. In qua sententia sunt Bona. nu. 37. & Ricar. art. 2. q. 1. Sed consummata fuit per gratiam. Quid sit gratia operans & cooperans infra. d. 26.

Propos. 3. Secundum Magistrum. §. siue cap. ult. huius. d. in angelis præmium præcessit meritum, & data est bonis gloria propter obsequia exhibenda hominibus. Sed in hoc Magister non tenetur. Est aliorum positio, quam ipse ibidem refert, quod in angelis meritum & præmium fuerit simul tempore, sed meritum præcessit causa, ut ipse dicit, vel natura, ut communiter nos loquimur. Hæc secundam sequitur Bona. hac. d. q. ult. & dicit suo tempore fuisse communem: in ea est & Ricar. ar. 2. q. 1. ubi & dicit plus, quod scilicet, tam cōuersio inchoata per naturalia, quam per gratiam, & collatio gloriæ fuerit simul tempore, quamuis non simul natura. Et probatur, Deus potest dare beatitudinem in quocunq; instanti, ergo in instanti meriti. Secundo, In eodem instanti in quo aliquis meretur augmentum gratiæ, Deus dat illam, ergo in instanti quo meretur beatitudinē potest illam dare. Item, sicut dicimus quod in eodem instanti in quo est vltima dispositio ad formam introducit formam, sic etiam in instanti in quo est vltimatum meritum potest Deus dare beatitudinem. D. Thomas in quodlibeto. 9. ar. 8. hanc opinionem non reputat improbabilem. In his tribus propositionibus clauditur litera Magistri.

Argumen. ¶ Contra primam arguitur, ex eadem litera Magistri dicentis, quod liberum arbitrium est libera potestas, & habilitas voluntatis rationalis, sed angeli sunt intellectuales, & non rationales ut supra. d. 3. p. 17.

Solutio. ¶ Ad hoc dico, quod notificatio prædicta arbitrij est proprie pro arbitrio, ut est hominis, extendendo tamen rationale ad intellectuale quadrat etiam angelo. Nam aliqui sancti vocant angelos rationales vnde Damascenus lib. 2. cap. 3. ait. Est ergo natura angeli rationalis & intellectualis, & libera potestate, arbitrioq; fulta. Et Gregorius in homilia Epiphanię. Iudicis tanquā ratione vte tibus rationale animal, id est, angelus, prædicare debuit. Cū enim intellectus & ratio differant quantū ad modū cognoscendi, quia intellectus simplici intuitu: ratio vero cognoscit discurrendo: sancti non attendentes ad rigorē vocabuli penes modum cognoscendi,

di, sed ad obiectum cognitionis, quod est idem respectu intellectus & rationis quandoq; vnum pro alio sumunt. Vel dic, quod vere angelus in multis discurrat, & ratiocinetur, & id sancti concederent. Infra. p. 8. in solutione argumenti.

Probabilissimum est, quod omnes angeli habuerunt aliquod præceptum penes quod probarentur. Hanc tenet Ambrosius Catharinus lib. de Angelorum gloria, & malorum lapsu. Citat pro ea Caietanum supra capitulum secundum Genesis, dicentē. Credimus enim angelis impostam legem fuisse fidei supernaturaliū credendorū, & supernaturalis felicitatis sperandæ. Et ratione probatur. Homini datum est peculiare præceptū penes quod probaretur, ergo & angelo debuit dari. Probatur consequentia, quia Apocalyp. 21. dicitur. Mēsurā hominis, quæ est angeli, id est, eadem est vtriusq; mensura. Matth. 22. Erunt sicut angeli Dei, ergo sicut in gloria erunt æquales & similes, ita fuisse debuerunt in merito, & in causa merendi, quæ est obedientia ad præceptum. Et per consequens præceptum debuit dari & imponi.

Quod fuit illud præceptum non constat è sacra scriptura: dicit vero Iacobus de Valentia super psal. 81. & 102. quem sequitur Catharinus, quod reuelata fuit angelis incarnatio filij Dei, & fuit illis præceptum, quod illum hominem adorarent. Probatur ex illo Pauli Heb. 1. Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit. Et adorent eum omnes angeli Dei. Posuit, iterum, autoritas, quia ipse Catharinus vult angelos ante mundam corporeum creatos, & in illa reuelatione primo introduxit filiū in orbem terræ, secundo introduxit in incarnatione. Sed cum ista autoritas sumpta sit è psalmo. 96. loquitur de secundo aduētū ad iudicium: vnde dicens: Adorate eum omnes angeli Dei subdidit: Exultauerunt filiaę Iudæ, id est, animæ sanctæ, propter iudicia tua domine, scilicet, iudicia damnationis, & saluationis. Neque autoritas aliud præ tendit, quam quod in secunda introductione ad iudicium illum omnes angeli adorabunt. Imo esset contra Catharinum, quia si in secunda introductione iubet eum ab omnibus adorari, ergo in illa reuelatione prima non iusserat adorari. Quod si dicas, stando in præfata nostra interpretatione, ergo in primo aduētū, scilicet, incarnationis nō præcepit ab oibus angelis adorari. Cōcedo, quia neq; incarnatio facta oibus fuit

fuit nota, vsq; ad diem ascensionis. Si dicas, non ergo adorauerunt vsq; ad diem iudicij, nego, quia quamuis in præfata reuelatione & in die ascensionis adorauerint & hodie adorent, Paulus ex illo Psalmo intendit, quòd Christus est maior angelis, quando quidem est adorandus ab omnibus in die iudicij, neque illud præceptum ibi à Paulo expressum est ad merendum: ideo illa autoritas non probat intentum, verosimilis tamen est illa reuelatio de gloria Christi hominis, quæ & facta fuit Adæ in illo sopore Genes. 2. Non igitur ex ista affirmatiua bene inferetur negatiua. Adorabunt, ergo non adorauerunt. Si posset sustineri, quòd illis reuelatum fuisset, quòd ministraturi erant hominibus, & impostum præceptum, defensari poterat Magister, quòd propter obsequia exhibenda habent gloriam, quia illa cum promptitudine acceptauerunt. Possentq; forsan verba Magistri ad hoc flecti, dum ait in fine dist. huius. Acceperunt præmium, quia propter obsequia nobis exhibita ex Dei obedientia & reuerentia mereri dicunt, videtur tamen vis eius verbis interpretatione hac fieri. Nihilominus tamen Bona. nu. 44. probabilem reputauit opinionem Magistri. Sed tam contra opinionem in se, quam contra hanc modo positam interpretationem. Aliqui angeli non ministrant nobis vt Seraphim, & Cherubim, vt infra. d. 10. p. 3. Ergo non fuit illis de nostro ministerio impostum præceptum, neq; propter obsequia nostra collatum illis fuit præmium.

Propos. 6. In angelis meritum præcessit præmium tempore, seu duratione, quòd præcesserit supra. p. 3. diximus contra Magistrum, & probatur. Meritum est via ad præmium tanquam ad terminum, sed via est prior termino, ergo & meritum priusquam præmiu. 2. ad Timoth. 2. cap. 2. Non coronabitur nisi qui legitime certauerit, sed in legitima certatione est meritum, ergo præcedit coronam, id est præmium. Sed quòd præcedat duratione tenet Scotus. hac. d. litera. H. & d. 4. litera. N. & probatur. Status viatoris, & comprehensoris de lege repugnant, Meritum est viatoris, præmium comprehensoris, ergo non sunt simul tempore. Secundò, Actus viatoris est credere & sperare: comprehensoris loco fidei videre, loco spei tenere, ergo non possunt esse simul tempore. Tertio, non potest esse, quòd in instanti præmij quis mereatur per dilectionem Dei, ergo neq; per aliquid aliud. Antecedens patet

et. Prius natura est visio beatifica Dei, quam dilectio, sed illa cognitio non est nisi beatitudo, ergo ista dilectio non est meritoria. Antecedens probatur. Prius natura est cognitio quam dilectio, & ista cognitio non est abstractiua, aut cõfusa, ergo beatifica, & ex cõsequenti cū prius sit visio beatifica, quã dilectio, non meretur per dilectionem, neq; est per quid aliud mereatur. Quartò, Caritas viatoris est imperfecta, comprehensoris perfecta, ergo non potest quis esse simul viator & comprehensor, & per consequens, neq; simul meritum, & præmium. Quinto, Angelis bonis pro magno merito ascribitur vicisse tentationem malorum Apocal. 12. factum est prælium, &c. Sed non est simul tentari & præmij, ergo neq; meritum & præmium.

¶ Ex hac inferitur, quòd mora viæ angelorū non fuit instantanea, neq; indiuisibilis. Ita tenet Alexan. 2. p. q. 109. M. 11. probat ex illo Ezech. 28. Ambulasti perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te, & loquitur cum Lucifero, sed ambulatio dicit successione in motu, & aliqualem perseuerantiam, ergo non fuit via angelorum instantanea. Alexandrum sequuntur Scotus hac dist. litera. I. & in reportatis. Thomas. 1. p. quæst. 62. artic. 5. ad secundum & quæst. 63. art. 5. ad quartum & ar. 6.

Probabile est, quòd angeli post vnum actum meritorium habuerunt beatitudinem. Probatur ex Damasceno lib. 2. cap. 4. Quod est hominibus mors, hoc est angelis lapsus, sed homines post mortem non possunt mereri, ergo neq; angeli post primū peccatum resurgere: & cum Deus sit pronior ad miserendum quam ad puniendum, si propter vnum peccatum malos damnauit, propter vnum meritum bonos præmiauit. Probatur consequentia, quia homo propter vnum peccatum solum dicitur cadere à iustitia, & eius peccatum dicitur casus. Confir. quia homo vno actu bono meretur beatitudinem, ergo & angelus, & nullum erat impedimentum quare non daretur, ergo fuit post vnū meritum data. Hæc debet esse mens Alexandri. 2. p. quæst. 19. Memb. 2. dum ait, quòd natura rationalis, naturaliter semel est vertibilis de se non pluries, nisi ex vnione cum aliquo alio, sicut est de anima rationali separata à corpore, quæ necessario permanet in statu, in quo erat ante separationem. Angelica natura

tura semel auersa à Deo semper permanet in auersione, & conuersa semper permanet in conuersione, sed constat, quod angelus habens gratiam gratum facientem non potest non conuerti ad Deum, conuersus semel non potest auersus esse, ergo patet quòd angeli apostatæ nunquam habuerunt gratiam gratum facientem. Hæc Alexand. ubi nota tria. Primum, quòd natura rationalis semel est vertibilis de se. Secundū, quòd angeli semel cōuersi, aut auersi, permanserunt sic, & hoc secundum facit cum cōclusionem, & suis probationibus. Tertiū, quòd ex mente Alex. sicut mali angeli non habuerunt gratiam, ita neq; aliquod meritum. Durandus. d. 4. q. 2. ad. 1. quanuis teneat angelos fuisse creatos in gratia, tamen cum Alex. negat eos habuisse aliquem actū meritorium, quod est contra Thomam. 1. p. q. 63. ar. 5. ad. 4. De sententia Alex. vide infra. d. 7. p. 3.

Propos. 8. Probabilius est, quòd per plures actus, assecuti sunt beatitudinem, quanuis in breuissimo tempore elicitos. Ita tenet Scotus hac dist. quæst. 2. ad tertium principale, & ante solutionem argumentorum, & in reportatis dist. 4. in solutione ultimi argumenti, & probatur. Primò, quia Mora viæ angelorum non fuit instantanea, ergo non est verosimile, quòd angeli boni fuerunt ociosi, aut elicuerunt actus indifferentes. Secundo, quia boni angeli resistenterunt tentationi malorum Apocalyp. 1. 2. factum est prælium in celo, in qua resistantia multum meruerunt, & credendum est, quòd habuerunt aliquem actum circa vltimum finem, ergo habuerunt plures actus meritorios. Confir. quia supra. p. 5. habuerunt præceptum, penes quod boni meruerunt, & etiam meruerunt in illa resistantia. Tertiò, quia mali non sunt damnati post vnum peccatum, quia peccauerunt pluribus peccatis, scilicet, superbix, & inuidix, sed si ex primo peccato fuissent in termino: in via non possent peccare secundum peccatum, ergo neque boni fuerunt præmiati post vnum actum meritorium.

Argum. ¶ Contra hanc arguitur. Angeli acquirunt suam perfectionem naturalem per vnicum actum sine discursu, ergo & perfectionem supernaturalem acquirunt vnico actu, & per consequens per vnum actum meritorium assequuti sunt beatitudinem. Probatur consequentia, quia gratia non destruit naturam

naturam sed perficit. ¶ Hoc argumentum videtur conuicisse Thomam. 1. p. q. 62. art. 5. sed quia protinus quæst. 63. art. 5. ad quartum fatetur omnes angelos in primo instanti meruisse: vnde arguebatur Thomas præcipue à Scoto de contradictione, quia tunc omnes angeli fuissent beati, & præmiati, Caietanus in præfatis locis non parum laborat pro exponendo Thoma. Et resolutio suæ expositionis stat in hoc, quòd in doctrina Thomæ via angelorum integratur ex duobus instantibus. Primum ita est via, quòd non terminus. Alterum verò est simul via & terminus, via in quantum est ex libero arbitrio: terminus in quantum consummatè à Deo perfunditur gratia. Habent ergo angeli suam beatitudinem post vnum actum meritorium, vt est ille actus via & non terminus. Cum quo tamen stat, quòd post illum actum, qui est puræ viæ potuit præstari impedimentum per malos angelos in altero instanti, qui simul erat via & terminus, idcirco quanuis in primo instanti omnes habuerunt actum meritorium, in secundo, posito à malis impedimento fuere damnati, & non præmiati, sicut boni qui cum non posuissent impedimentum post illum primū fuere præmiati. Vnde in via Thomæ solum fuere dux moræ viæ angelorum. Quicquid aut sit de opinione Tho. Ad argum. dico quod antecedens posset negari, sed qd vere angelus in multis possit discurre, neq; hoc reputat Sco. inconueniens in hac. d. q. 2. ad vlt. quia non est necessariū, quòd simul cognoscat principiū, & omnes cōclusiones virtualiter cōtentas in principio, ad idē est in. d. 7. ante literam. D. & prius in. d. 1. q. 6. litera. A. & in reportatis. d. 4. huius ad argu. vlt. idē tenet Ochā in. 2. q. 16. conclu. 6. quod Scotus. Faciunt in hanc sententiam auctoritates sanctorum vocantium angelos rationales. supra. p. 3. bene quidem, vt Scotus ait, non ponunt diem neq; annum ad cognoscendas conclusiones deducibiles ex principijs. Est q; apparēs ratio, quia discurre nō est cognoscere vnū post aliud, sic enim angeli cognoscūt, nō enim possunt simul intelligere, quod est contra Duran. d. 3. huius. 2. q. 8. Vide Thom. 1. p. q. 58. ar. 2. & q. 85. ar. 4. Sed discurre est cognoscere vnum per aliud in virtute alicuius consequentiæ, sed angeli ad cognoscendas cogitationes cordium, & aliqua supernaturalia procedunt ab vno ad aliud, vt patet in Dæmone,

vt tentet, & Matth. 4. ad cognoscendum an Christus esset filius Dei. Dic vt lapides isti panes fiant, similiter ad futura contingetia. Alias enim si cognito principio, cognosceret omnes conclusiones, & cognita causa omnes effectus, aut veritates scibiles, cognosceret infinitas, aut tot quot eius capacitas capere possit: propterea ergo bene posset negari antecedens, vel si concedatur cū Thoma, vel respōdeatur, quod trāseat, negatur cōsequētia, quia non est simile de discursu. Nam beatitudo naturalis quæ acquiritur operatione, acquiritur operando vnum post aliud. A simili beatitudo supernaturalis operando vnum & postea aliud acquiritur, atq; cognoscere vnum post aliud non est discurrere. Non ergo vnus actus meritorius fuit sufficienter inductiuus beatitudinis, & dispositio vltimata, vt probant rationes factæ ad conclusionem, & dicit Scotus hac. d. Aliter respondebat quidam Scotista, quod quando dicimus per plura merita Angelos acquisisse beatitudinem, non intelligitur per plures actus meruisse illam, sed per meritum quod durauit per plura instantia, & non per vnum instans solum. Atq; sic poterat concedi consequentia, neque ex consequenti sequetur, ergo per vnum instans durauit mora, imo addebat posse negari, quod perfectionem naturalem habuerunt per vnum actum & vnum instans, quia alius erat in ipsis assensus præmissarum, alius conclusionis. Prior tamen solutio magis est ad mentem Scoti. Argumenta tertiæ propositionis loquuntur de possibili, nos de facto.

Corol.

¶ Ex præhabitis siue per vnicum actum, siue per plures in breui tempore elicitos, inferitur, quod ad magnum præmium plus facit intensio actus, quam multitudo meritorum, quia homines post multos actus & difficultates assequuntur adæquari angelis. Vide Scotum hac dist. quæst. 1. ad secundum principale. Idcirco in scriptura admonemur feruorem, & reprehendimur de remissione Apocalyp. 3. vtinam frigidus esses, aut calidus. Heb. 12. remissas manus & soluta genua erigite. Rom. 12. sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruietes, Matth. 25. reprehenditur seruus piger. Lucæ. 12. ignem veni mittere. Vbi non tam caritas, quam feruor per ignem qui calidissimus est commendatur.

D E

DE PECCATO MALORVM ANGELORVM.

Certum est malos Angelos peccasse peccato superbiæ, & illud fuisse primum eorum peccatum psal. 73. superbia eorū qui te oderunt ascendit semper ecclesi. 10. initium omnis peccati superbia, & initium superbiæ apostatare à Deo. Modo angeli dicuntur, spiritus apostatici. Secundo peccauerunt inuidia, sapientia. 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Tertio peccauerunt ira, vnde de illo Apocalyp. 12. dixerunt Angeli sancti. Væ terræ quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam. Hæc tria peccata fati inuit Basilius serm. de inuidia protinus in principio dicens. Quemadmodum boni est non inuidere, sic diaboli propria est inuidia: & aliquanto inferius. Quid autem mali Dæmonem ad bellum contra homines excitauit: nonne inuidia, per quam aduersus Deum pugnare palam conuictus est? Indignatus quidem Deo propter munificentiam erga hominē, vlciscens vero hominem, quando quidem Deum nō poterat. Ex eo quod illum pugnasse aduersus Deum ait, ostendit superbiam. Sic etiam in nobis hæc peccata concatenantur, quia è superbia inuidemus, ex inuidia contra proximos irascimur, ex ira detrahimus, & susurramus.

Proposi. 9.

Angelus appetijt similitudinem Dei. Isaia. 14. Ero similis altissimo. Sed quomodo potuit appetere similitudinem Dei variæ sunt Doctorum sententiæ: Bona. hac. d. num. 16. & Thomas. 1. p. q. 63. art. 3. distinguunt, quod æqualitas Dei est vel æquiparatiæ vel similitudinis & imitationis. Alex. 2. p. q. 109. M. 2. & 3. vocat æquiparantiam simpliciter: aut secundum quid: Dicunt ergo Bona. & Thomas, quod æquiparantiam, scilicet quæ est æquiparantia simpliciter non potuit angelus appetere, quia sciebat sibi impossibilem, neque potest cadere in cognitionem siue intellectū, & addit Bona. quod si quis fingat, non appetit æqualitatem, sed suam fictionem. Similitudinis seu imitationis potest appeti ordinate, & inordinate. Hanc angelus appetiuit, sed inordinate. Secundum Thomam appetijt finalem beatitudinem per suam propriam virtutem, quod est proprium Dei. Bona. dicit quod appetijt alijs præesse, & hoc fuit imitationis: sua tamē autoritate, quod fuit inordinationis, quia est solius Dei, & æquiparantiæ nulli sub-

Propo. 10.

D d 3 belle

belle. Atque ex hoc hi duo sancti exponunt Anselmum dicentem quod appetijt illud ad quod peruenisset si stetisset, & Gregorium quod appetijt esse sui iuris. Scotus. d. 6. q. 1. tenet quod æqualitas Dei potest appeti etiam cognita vt impossibilis, quia voluntas bene est impossibilium. 3. ethi. ca. 5. & Augustinus ait. Ambitiosa voluntas non quid possit, sed quid velit attendit. Illa tamen volitio non esset efficax apponendo media. Sed esset tantum velleitas, id est, velle complacentiæ. Electio quoniam ad eã pertinet ponere media non potest esse impossibilium, vt ibidem Philosophus dicit. In illa velleitate potest esse meritum & peccatum vt dicit Scotus loco citato, & in. 3. dist. 16. quæst. 2. litera. G. Addit & Scotus quod primum peccatum angeli non fuit superbia propriè dicta, quæ est appetitus excellentiæ, dicente Augustino. 14. de ciuitate Dei cap. 13. Quid est superbia, nisi perueriæ celsitudinis appetitus? & per cõsequens excellentia respectu aliquorum, quibus alijs excellat, sed angelus nil appetebat primo in ordine ad alios, sed in ordine ad se. Dicit ergo citata d. 6. q. 2. litera. N. quod propter delectationẽ quam importabat, magis videtur reduci ad luxuriam, non quæ sit actus carnis, sed propter delectationẽ in amore immoderato sui. Ad hoc facit autoritas quædam Albini super Genesim quam refert Alex. citata. q. 109. M. 2. quãuis etiã dicat esse superbiã. Ait, ergo sic. Ad seipso conuersi sunt, & sua propria sunt delectati potestate, & iste est primus defectus & prima inopia rationalis creaturæ, & hoc vitium quid aliud nisi superbia nuncupatur. Iacobus de Valentia & Catharinus supra citatus dicit quod nota vnione humanitatis & Verbi ex amore suæ excellentiæ appetijt Lucifer illã vnionẽ suæ naturæ: atq; sic esse Deũ & exaltari super astra Dei, id est angelos, & esse similes altissimo, quod est propriũ filij, esse similes patri, & habere imperiũ super omnẽ creaturam, sine meritis, quia neq; præsciuit diabolus merita & passionẽ Christi, propter quæ fuit exaltatus Philipp. 2. & Hebr. 2. Facit illud Ioan. 8. Queritis interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, vos ex patre diabolo estis & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, ergo velle occidere Christũ fuit opus diaboli ab initio, & eius ira contra Christum hominem, & per consequens inuidia aduersus eius gloriam in quãtum homo est. Confir. quia inuidia non

non habetur de illis qui nimium excellunt, & circa illa quæ quis sibi videt esse improportionata, ergo angelus non inuidit Deo suam diuinitatem, idcirco si inuidit filio Dei inuidit illam vnionem, & superexaltationem humanæ naturæ. Secundo ex Apocalyp. 12. de Dracone stante ad deuorandum filium mulieris per quam beata Virgo signatur, & per filium Christus. Et post illud odium aduersus filium mulieris ponitur pugna Michaelis & aliorum angelorum, igitur circa hoc mysteriũ fuit illorum peccatũ Neque per hoc quod appetebat illam vnionem, appetebat non esse qui appetitus est contra naturale desiderium quo vnaquæque res desiderat conseruare suum esse, quoniam ille appetitus erat ad perfectius, & melius esse. Vel potest dici ex Bernardo ser. 17. super cantica, quanuis id dicat dubitãdo, quod præsciuit homines futuros pares in gloria, & inuidit, molit⁹ habere subiectos socios dedignatus, quia infirmiores natura.

Ex his apparet angelorum aliorum peccatum, quia secundũ *Corol.* Thomã & Bona. peccatum illorum fuit simile volendo sibi beatitudinem inordinate, quia non est credendum quod voluerint gloriam alteri priusquam sibi: non tamen crediderunt se posse illam consequi sine Luciferi sublimitate, ideo illi consenserunt, & proprie superbierunt, & superbiæ consenserunt. Secundum opinionem aliam dicere possumus, quod consenserunt quod illa vnio fieret in natura ipsius Luciferi, quia non erat fienda nisi in vna tantum natura singulari, & indiuidua. Secundum aliam Bernardi nolere habere homines pares in gloria. Tertullianus lib. de habitu muliebri, in principio dicit angelos cecidisse e⁹ celo ex amore mulierum cum adhuc inculte & incompositæ essent. Quæ sententia videtur hæretica quoniam ante multiplicationẽ foeminarum ceciderant, & serpens, id est, diabolus tentauerat primos parentes. Genes. 3.

Angelus potuit peccare in primo instanti sui esse, vel suæ creationis. Hanc tenet Scotus hac. d. 5. q. 2. & in reportatis. d. 4. Sequitur eum Gabriel. d. 4. q. vnica. artic. 3. dubio. 1. & est contra multos præcipue contra Thom. 1. p. q. 63. art. 5. cõtra Durã. hac. d. q. 2. & probat, quia in illo instãti potuit imponi ei aliquod præceptũ, & ille potuit nõ operari, ergo potuit peccare saltẽ peccato omif-

omissionis. Aliqui Thomistæ Salmanticæ hoc argumentum concessere interpretati Thomam quod loqueretur de peccato commissionis. Duran. & Caieta. neque de peccato omissionis concedunt. Secundo probatur. In primo instanti potuit mereri, ergo & peccare. Antecedens conceditur, quia Christus in primo instanti meruit, vide in. 3. d. 18. Probatur consequentia, quia equalis libertas requiritur ad peccandum & merendum. Caietanus concedit quod est liber ad operandū, & ad nō operandū, si tamē de beat operari q̄ debet operari bene, quia omnis operatio quæ incipit cū esse rei, est effectiue à causa producēte rē in esse: & si prima operatio angeli posset esse mala Deus esset autor mali. Durā. quanuis consentiat opinioni, impugnat tamen rationem hanc, quæ est in qua se fundat Thomas. Sed tam ad conclusionem quā contra istam rationem sic arguitur, tertio. Possunt homines peccare in primo instanti quo veniunt ad vsum rationis, & est verisimile quod aliqui peccant sine hoc quod illa prima operatio ipso rum sit à Deo, ergo & angeli. Patet consequentia, quia non sunt minus liberi angeli quam homines in illo instanti. Quarto & est ad idem. Posset Deus annihilare aliquem existentem in aliqua mala voluntate, & posset illum reproducere in eadem mala volitione, sine hoc quod imputaretur Deo eius mala voluntas, nisi tāquam causæ valde remotæ, ergo à simili, mala volitio angeli prima non posset imputari Deo nisi remotissime, quia, scilicet est causa productiua ipsius angeli, cuius volitio libera fuit à seipso. Confir. quia secunda volitio angeli non est magis libera quam prima, sed potest peccare in secunda, ergo & in prima. Antecedens probatur, quia sicut ad primam est inclinatio naturalis, ita, & eodem modo est ad secundam, cum natura non habeat minorem vim in secundo instanti, quam in primo: sed non obstante illa inclinatione est liber ad secundam, ergo & ad primam. Alia argumenta facit Scotus pro se, & multa contra se quæ tamen soluit. Cum Thoma est Ricardus. d. 3. huius. q. vlti. Videtur que fuisse mens Alexandri. 2. p. q. 29. M. 1. arti. 7. vbi mouet quæstionē, sic. Vtrum in eodem instanti potuerunt esse hæc duo in angelo, scilicet vertibilitas & versio? Et quanuis per corpus quæstionis semper respondere videatur, vt de facto, quod angelus non fuit malus tamen ex titulo quæstionis patet quod respondet ad possibile

sibile, & in solutione argumenti penultimi dicit; quod in nulla creatura simul est actus in eodem instanti, cum potentia, nec cū essentia simul, dico nec natura nec duratione. Vnde videtur fuisse Alexandri opinio, quam secutus est Thomas. Est tamen discrimen quia Thomas concessit meritum in angelis in primo instanti: Alexan. sicut neque peccatum, ita neque meritum concedet.

Ad argumentum in quo se fundat Thomas, Respondemus *Solutio.* quod ex eodem fundamento probabitur opinio Alexandri. Prima operatio incipiens cum esse rei est à Deo, sed operatio angelis quæ non est libera, & propria ipsius non est meritoria, ergo sicut in primo instanti non potuit peccare, ita neque mereri. Patet consequentia quia prima talis operatio est à Deo & non ab angelo. Sed quod potuit mereri & de facto meruit concessit Thomas supra. p. 7. & 8. Dico ergo q̄ illa propositio habet locum in habentibus principium naturale, non vero in habentibus principium liberum. Atque Durandus, neque in omnibus habentibus principium naturale admittit, nisi penes principium passiuum naturale, vt in grauibus & leuibus, quæ non habent principium actiuum sui motus, sed solum passiuum, oportet q̄ sit extra ipsa, & hoc est generans, quæ est proxima causa motus. At vero in igne atque alijs habentibus principium actiuum non attribuitur generanti nisi sicut causæ remotæ. V. g. quando ignis est, in eodem instanti illuminat, quæ illuminatio ipsi igni attribuitur, neque magis in secundo instanti quam in primo, perinde & soli, qui quandiu causat lucem semper est lucidus aër ab ipso sole, tam in primo instanti, quam in secundo.

Angeli non fuere puniti in eodem instanti in quo primo peccauerunt. Hanc tenet Scotus. hac. d. quæst. 2. litera. N. & probatur quia mora viæ illorum non fuit instantanea, neque indiuisibilis, & peccauerunt pluribus peccatis vt habes supra. p. 8. & 9. Item homines non puniuntur poena damnationis protinus in instanti in quo primo peccant, ergo neque angeli. Consequentia videtur satis probabilis cum simus & loquamur in materia morali. Tertio, Angeli boni non fuere præmiati in primo instanti in quo meruerunt, vt habes supra, neque Thomas negauit

gavit, ergo neque mali fuere puniti in primo instanti in quo peccauerunt. Patet consequentia, quia pronior est Deus ad miserendum, quam puniendum. Quarto quia Deus non imputat homini ad damnationem malam voluntatem quam habet in termino viæ qui est primum instans punitionis, ergo neque angelis imputavit. Consequentia est valde moralis. Hæc propositio est contra Thomam ponentem duo instantia: in primo meritum fuit, etiam malorum: in secundo peccauerunt & puniti simul sunt. Vide supra. p. 8. in solutione argumenti.

*Argumen.
Solutio*

Si dicas; ergo peccatum angelorum primum fuit remediabile. Concedo, quandiu via duravit. Neque mirum quod nullus illorum fuit reuersus à via sua mala cum ad poenitendum egeret auxilio speciali Dei, quod iuste Deus nemini illorum præstitit. Est enim angelus vt Damascenus ait lib. 2. capitu. 3. in adeptius poenitentia, idest, cum magna difficultate poenitens ante terminum: quia difficillime euellitur angelus ab eo, cui semel adhæsit. Vel est in adeptius, post clausum terminum suæ viæ, vti homines post mortem. Potest dari simile in hominibus, quia omnes possunt saluari, sed non extra ecclesiam: peccatores etiam, sed non sine poenitentia. Si dicas potuit Deus in eodem instanti peccati punire. Concedo, sicut potest homines, non tamen punit: extat enim verbum Christi, qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit. Matth. 24. Vnde cum requiratur perseuerantia, datur tempus ad vtrunque, ad merendum & peccandum: & simile debet moraliter conijci factum cum angelis. Aduerte tamen quod hæc instantia posita in via angelorum, secundum Thomam, accipiuntur secundum successionem in actibus ipsorum. Vide in. 1. parte. quæst. 62. artic. 5. ad. 2. ratio est quia ipse tenet operationes æuiternorum mensurari tempore. Scotus tam hac. distin. quæstio. 1. litera. H. quam distin. 2. quæstio. 4. tenet esse diuersa nunc æui. Vide supra distin. 2.

p. 4. Ita quod secundum Scotum non sunt instantia temporis discreti.

(?)

DIS.

DISTINCTIO VI.

De qualitate Angelorum cadentium: & de loco in quem ceciderunt.



Plures Angeli permanserunt quā ceciderunt. Hanc docet Alex. 2. p. q. 110. M. 4. probat ex illo. 4. Reg. 6. quod dixit Heliseus ad Giezi plures sunt nobiscū quam cum illis, quod Hugo de sancto Victore exponit de angelis bonis, & malis quasi dicat plures Angeli boni sunt parati nobis ad auxiliū, quā mali ad nocendū. Item Apocaly. 12. Draco trahebat cauda tertiam partem stellarum. Videtur ergo quod tertia pars angelorū cecidit, & duæ tertiæ remanserunt. Ratione probat hanc Thomas. 1. p. q. 63. ar. 9. Quæ sunt contra naturam accidūt in paucioribus, peccatū fuit cōtra naturalē inclinationē angelorum, ergo fuit in paucioribus. Maior probatur quia natura consequitur suum effectū vel semper, vel vt in pluribus. Hæc ratio est congruitatis in agentibus liberis, habet vero pondus in ijs quæ naturali actione suū effectū consequuntur. Posset autē retorqueri pro hominibus quos constat plures dānari. Matth. 19. Multi sunt vocati pauci vero electi. Respondet Thomas aliud esse de hominibus, quia sequūtur bona sensibilia, quæ sunt pluribus nota. Angeli sunt intellectuales, neque bona sequuntur sensibilia. Nihilominus tamen posset adhuc replicari, quia ratio in hominibus semper deprecatur ad optima, & synteresis obmuratur, libere tamen peccant. Sed non est opus, sat est quod ratio sit congrua, & in angelis ita fuerit.

Propos. 1.

De quolibet ordine angelorum aliqui ceciderunt. Ad hanc facit Magister in litera dum ait, quod de vtroq; gradu, scilicet de maioribus & minoribus quidam corruerunt, & clarius. d. 9. Iam nunc. Idem docent Alex. 2. p. q. 110. M. 3. Bona. hac. d. num. 12. probatque duabus autoritatibus: prima est Hugonis lib. de sacramētis. De quolibet ordine aliqui ceciderūt & vnū ordinē contrariū fecerūt, vbi nō est ordo, sed sempitern⁹ horror inhabitat. Alia est Gregorij, in homilia pentecost. quod ad omnes ordines angelorū aliqui homines assumūtur, sed hoc est ad implendas ruinas

Propos. 2.

Ee 2

angelo.

angelorum iuxta id psal. 109. implebit ruinas, ergo. Sed notandum quod quando dicimus angelos esse huius aut illius ordinis est propterea quod si starent ad illum ordinem assumerentur, ut potes videre in litera Magistri d. 9. In scriptura vero non inveniuntur nomina Seraphim & Thronorū dici de Dēmonibus, quia ut dicit Alexan. vbi supra, & post eum Bonauen. hac. dist. nume. 14. atque Thomas. 1. p. quæst. 63. artic. 9. ad. 3. Hæc nomina ab aliquo sumuntur quod repugnat dici de malis. Ut Seraphim ab ardore caritatis, Throni dicunt sedem in qua Dominus requiescit & inhabitat ut sua iudicia decernat. Hæc non possunt esse communia bonis, & malis, quia non sonant esse posse cum peccato mortali. Cætera nomina sunt communia bonis & malis: ut Cherubim, idest, plenitudo scientiæ, Potestates, Principatus.

Proposi. 3. Lucifer si stetisset fuisset collocatus in ordine Seraphim. Ita docet Magister in litera dum ait, vnus fuit omnibus alijs cadentibus excellentior, neque inter stantes aliquis eo fuit dignior & probat testimonijs scripturæ atque sanctorum. Ad conclusionem est Alexan. 2. p. quæst. 109. M. 1. artic. 1. & 2. Bonauē. hac.

Argum. 1. dist. quæst. 1. Ricar. quæst. etiam. 1. Thom. 1. p. quæstio. 63. arti. 7. Si dicas quod vocatur Cherub extentus & protegens Ezechiel: 28. sub persona regis Tyri. Ratio huius denominationis iā dicta est in præcedenti propositione, & datur expresse à Bonamodo citato, quia habuit in sua creatione habitum scientiæ conuenientem ordini Cherubim: non tamen habuit habitum incendij caritatis nisi à gratia, qui habitus conuenit ordini Seraphim, & non se compatitur cum peccato, de quo ibi reprehendebatur per Ezechielem: ideo non vocatur Seraphim, quāuis ad illum ordinem esset præparatus.

Solutio. Si addas quod Damasc. lib. 2. capit. 4. dicit, quod ex angelicis virtutibus ea, quæ præerat terrestri ordini, & cui à Deo terræ custodia cōmissa erat eleuata est aduersus Deum & collapsa, & quod corruit infinita multitudo angelorum sub ea ordinatorum: vbi videtur sentire quod fuerit de infima Hierarchia cui conuenit præesse terræ ut infra. dist. 11. p. 2. Huic auctoritati dupliciter respondet Alexan. Hallens. loco citato. Primo quod omnes sunt administratorij spiritus ut dicitur. 1. Hebr. idcirco omnibus etiam supremis conuenit

Argum. 2. ut dicitur. 1. Hebr. idcirco omnibus etiam supremis conuenit

Solutio. ut dicitur. 1. Hebr. idcirco omnibus etiam supremis conuenit

administrare quodammodo hæc terrestria. De hoc vide infra. d. 10. proposi. 3. Hanc interpretationem amplectitur Bona. citatus. Dat aliam Alex. quod fuit vna positio dicens duo genera bonorum angelorum fuisse. Vnum supercelestium, in quibus nunquam fuit, qui cadendo diabolus factus est, alterum genus fuit mundanorum, qui mundanis ministerijs distributi fuere sub alijs sublimioribus & beatioribus, ut pro recte gestis præposituris suis accipiant illam vitam beatam: in his fuit diabolus. Atque si de his angelis Damascenus loquitur non est cum eo tenendū, quia dicit Augustinus lib. 11. super Genesin cap. 19. vbi hoc refert. Afferant hæc duo genera bonorum angelorum qui potuerint, mihi fateor vnde hoc secundum scripturas asseram non interim occurrit, vnde hanc opinionem vel reprobatur, vel saltem ex scriptura non esse certam affirmat. Vide eundem Augustinum de Ciuitate Dei lib. 8. cap. 14. referentem opinionem Platoniorū tripliciter diuidentium animas rationales: in Deos, qui excelsissimum locum tenēt: in dæmones, qui medium locum in aere infra globum lunarem: in homines qui infimum in terra: & in lib. 9. cap. 2. opinionem refert dicentium, dæmones alios bonos, alios malos esse. Cum quibus videtur consonare positio citata ab Alexandro, & ab eodem August. super Genesin, neque in illa credendum esset fuisse Damascenum, quod si tamen secundum illam fuerit locutus patet, quod non est tenendus. Easdem ambas Alexandri solutiones dat Ricardus. q. 1. Et Thomas vbi supra: exponitque sane dictum Damasceni.

Proposi. 4. Lucifer cum omnibus prauitatis suæ consortibus deiectus est in istum aerem caliginosum, qui est eis deputatus in carcerem vsque ad diem iudicij ad exercitium & probationem hominum. Ita docet Magister in litera. Vnde patet, quod duplex locus est dæmonibus deputatus, in poenam, aer vsque ad iudicium: infernus post iudicium. Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius. Vocatur autem aer caliginosus, primo quia è se, nullam habet claritatem. Secundò, quia ut lumen solis illuminet, eius radij debent terminari ad corpus opacum, & inde reflecti: quod patet, quia radij solis de nocte non videntur, quanuis inter nos & coelum intercipientur, terminati vero ad lunam reflectuntur & habemus lumen. Habitant ergo dæmones

mones illam partem aeris ad quam radij solis à terra reflexi nō ascendunt, & ille est caliginosus aer. Idcirco à Paulo Ephes. 6. vocantur, principes rectores tenebrarum harum: & principes aeris Ephes. 2. Signantur sub auibus cœli Matth. 13. Ex illo aere ad tentandum homines descendunt. Si autem aliqui sint in inferno dicit Magister, quod verisimile est quod aliqui quotidie illuc vadunt, quia animas cruciandas deducunt, & alternatis vicibus animas illic detinent atq; cruciant. Ad idem est Bona. num. 16. quod descendunt secundum quod inter se habent deputata maledictionis officia. Sicubi autem inueniatur, quod dæmones portant secum gehennæ ignem quocunq; vadunt, debet intelligi vel de igne quem aliqui dicunt eos secum reuera portare, quamuis illo minus intense modo crucientur, quam post diem iudicij vel de igne vitiorū, scilicet, iræ, inuidiæ, superbiæ, quoniam alij negant eos modo torqueri igne materiali, at vero scientes se igni deputatos valde torquentur, sicut angelis sanctis quando ad nos veniunt nihil de gloria aufertur: ita & dæmonibus nihil de poena minuitur. Vide de ista Alexand. 2. p. quæst. 116. Thom. 1. p. q. 64. art. 4.

Propos. 5. Lucifer creditur fuisse qui tentauit primos parentes in paradiso, & Christum Dominum in deserto: & quod ex eo tempore quo victus fuit à Christo in deserto, aut saltem in passione est religatus in infernum secundum illud Apocalyp. 20. quod draco serpens antiquus religatus est, & clausus atque signatus donec mille anni consummentur. Magister in litera referens vnam opinionem. Alij quos ibidem refert putant ex quo cecidit fuisse illuc demersum. Tempore Antichristi soluetur, vel ex inferno, si iam ibi est, vel saltem, quia habebit maiorem potestatem contra homines quam modo habeat. Idem Magister, tenendo, vt certius quod post Christi victoriam sit in inferno debet intelligi potius post passionem, quam ante, quia Luc. 4. dicitur, quod consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo vsq; ad tempus, quoniam tempore passionis reuersus est per persecutionem apertam, quamuis non per suggestionem. Alligatio etiam diaboli est non permitti exercere tantam potestatem quantam potest dolo, & vi. De ista ligatione vide Alex. 2. p. q. 111. & 112. vbi & petit an per Christi aduentum fuerit potestas diaboli magis

gis alligata, quam prius: & distinguit, quod potest dici ligata vel ex parte gratiæ, vel ex parte maioris bonitatis in eis qui tentantur: ex parte gratiæ, magis ligata est per Christum: per quem gratia, & veritas facta est Ioan. 1. possumus dare exemplum, si sint contra vnum sex hostes, cui tamen in adiutorium fiant alij quatuor, aut sex, quia hostium vires magis tunc dicuntur & sunt debiles: vide in d. vltim. in fine tertij. Ex parte bonitatis eorum qui tentantur, in quibusdam est magis ligata, in alijs magis soluta. Quanto enim maior est gratia Dei, tanto contemptus illius est grauior, vnde Hebr. 10. Irritam quis faciens legem Moyfi sine vlla miseratione duobus, aut tribus testibus moritur quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit. Ad idem sunt verba Christi Matthæ. 12. de dæmone expulso à Iudæis in receptione legis, & post non receptum ab eis euangelium reuerso cum septem alijs nequioribus se, quibus facta sunt nouissima peiora prioribus. Et. 2. Petri. 2. Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri Iesu Christi, his rursus implicantur facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Vide & 1. 3. d. 19. p. 8.

In dæmonibus est prælatio, ita quod alij imperant, alij obediunt: habentque prælationes alij maiores, alij minores, quidam vni prouinciæ: alij vni vitio, aliqui vni homini præsunt. Magister in litera: sequuntur Alexand. 2. p. quæst. 37. Memb. 3. Bona. & Ricard. hac dist. Thomas. 1. p. quæst. 109. artic. 2. Dicitque Bonauentu. quod conantur imitari filij tenebrarum filios lucis, & quamuis dicatur Prouerbio. 13. inter superbos semper sunt iurgia, tamen ex odio quod habent in homines, obediunt minores potentioribus in naturalibus, & subtilioribus in malitia: sicut superbi homines obediunt superbis ex appetitu triumphi, & odio inimicorum: tum etiam vt expleatur diuina iustitia sicut inter carcerarios, & tortores vnus præest, alij obediunt. Ideo Job. 41. dicitur Lucifer rex super filios superbiæ. Durabit autem hæc prælatio vsque ad diem iudicij, quando secundum Paul. 1. Corinth. 15. per Christum euacuabitur omnis principatus. Debetque illa eorum prælatio dici potius de facto, quam de iure.

Propos. 6.

Proposi. 7. Si Dæmon victus aliam hominem tentet, Magister duos modos dicendi refert, vnus dicit, quòd semel victus amittit potestatem tentandi. Alij dicunt, quòd solum amittit potestatem de illo vitio in quo superatur. Bona. q. literali dicit, quòd melius est dubitare, quam aliquid super hoc definire. Est tertia positio quam refert Thomas. 1. p. q. 114. ar. 5. quòd potest alios tentare, sed non eundē. Est & quarta, quā sequitur & tenet Thomas ibi, quòd potest alios, & eundem tentare, atq; de eodem vitio sed eundem non nisi post aliquod tempus, sicut Lucæ. 4. dicitur de diabolo, quòd consummata omni tentatione Christi Domini recessit vsque ad tempus. Vnde & debes aduertere, quòd vt dæmon dicatur victus non sufficit eum vinci in vno conflictu solo, vt patet in Christo Domino qui eum semel vicit in deserto: secundo in pinnaculo templi. Tertio in monte, & ibi perfecta fuit illa victoria. In Iob etiam aspice, qui semel & pluries tentatus fuit, quanuis in vno, & altero eum conflictu vicisset. Vide Alex. 2. p. q. 111. vbi per tria membra tractat de hoc: & resolutio stat in hoc, quod quantumcunq; victus semper adhuc tentat, quia licet posset esse vt plene victus non vltius tentaret illo genere tentationis, tamen in hac vita nunquam est perfecta, & plena victoria quin remaneat aliquid vincendum. In illis in quibus non est fomes vt in Christo, vel in quibus esset extinctus, cohibetur dæmon à tentatione interiori, non tamen ab exteriori. Neq; est simile de hoste in bello interfecto, quia talis vltra non potest bellare, & in rebellionem surgere, sicut posset si duntaxat victus foret. Neq; item est simile de Monomachia seu duello, in quo superatus non potest bellare de iustitia, & habetur infamis quasi conuictus de periurio. Non sic in bello spirituali, quia permittitur diabolo sua potestas, eo quòd tentationes profunt electis, & sunt in vtilitatem non tentantis sed tentatorum. Bene quidem semel sufficienter victus amittit audaciam tentandi, vt patuit in Christi prima victoria in deserto, facit & illud Iacob. 4.

resistite diabolo & fugiet à vobis. In his dictis resoluuntur prædicta tria membra

Alexandri.

D I S-

DISTINCTIO VII.

De confirmatione bonorum angelorum, & obstinatione malorum, & quid possunt demones ad immutandas creaturas.



Proposi. 1. Angeli boni post confirmationem peccare non possunt in sensu composito, bene tamen in sensu diuiso. Ita propositio pro vtraq; parte docetur à Scoto in 4. d. 49. q. 6. litera. G. quia hoc non solum habet locū in angelis, sed in omnibus beatis, & per gratiam confirmatis. De angelis specialiter, quòd non possint peccare docet Magister in litera, & est de fide contra Calvinū dicentem, quòd angeli boni Deo obedientes continuo peccant, fundatq; se in illo Iob. 4. Ecce qui seruiunt ei nō sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatē, seu iniquitatē, si iniquitatem ergo & peccatum, quia peccatum est iniquitas. 1. Ioan. 3. & cum Ioannes Calvinus non ponat discrimen inter mortale & veniale, constat eum loqui de mortali. Contra hanc & pro conclusi. Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem patris, sed si angeli semper peccarent non possent esse in coelo, sed in stagno ignis iuxta id Apocalyp. 21. de super coelesti Hierusalem. Nō intrabit in illam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium Tobia. 12. angelus Raphael, & Lucæ. 1. Gabriel dixit. Asto ante dominum. Illorum obedientiam laudat Dauid. psal. 102. Benedicite Domino omnes angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius. Ministri eius qui facitis verbum eius. Citat Magister Isidorus dicentem. Angeli mutabiles sunt natura, immutabiles sunt gratia. Vide supra. d. 3. p. 6. autoritatem Damasceni, & Gregorij. Est & alia Augustini super Genes. ad literam, illa natura quæ peccare non potest in sanctis angelis est. Ratione probatur. Per beatitudinem transformamur in similitudinem Dei. 1. Ioann. 3. Cum apparuerit similes ei erimus: sed Deus est impeccabilis, ergo & beati. Confirm. quia dato opposito, & quòd Angeli peccarent essent in odio Dei, dicente Ecclesi. cap. 12. Altissimus odio habet peccatores.

Ff

Solutio.

catores. Sapientiz. 14. Odio est Deo impius, & impietas eius. ¶ Ad argum. Caluini patet, quod illa verba non fuere ipsius Iob, sed Eliphaz Themanitis qui proposuit quandam sibi reuelationem factam, quæ an vera fuerit, vel ab ipso conficta, sub dubio est. Dato autem, quod fuerit vera inducitur tamen ab eo in falsum intellectum, scilicet, quod nullus innocens à Deo punitur in præsentia absq; aliqua culpa. Ideo ad auctoritatem dico, quod angeli non sunt stabiles de se, & ita est auctoritas intelligenda, vt sonant verba Gregorij supra. d. 3. p. 6. quod si omnino ea intellexit Eliphaz de angelis, vt per gratiam Dei, & gloriam non sint stabiles, verba ipsius sicut supponebant falsum, sic & probatio per instabilitatem angelorum post beatitudinem est falsa. Alia pars auctoritatis: In angelis reperit prauitatem, loquitur de demonibus. Ista impeccabilitas secundum Scotum prouenit ab extrinseco, scilicet, à diuina mantenentia, quia nunquam Deus cum beato ad actum peccandi concurrat, sed semper conseruabit in eo actum fructuosis. Thomas tam in. 1. p. quæst. 62. artic. 8. vbi docet hanc positam conclusionem, quam in. 1. 2. quæst. 4. artic. 4. & quæst. 5. art. 4. tenet, quod prouenit ab intrinseco videlicet ab ipsa natura voluntatis, & actuali visione obiecti infinite boni, quod visum necessario amatur, neque potest non amari, cum Thoma est Ricardus hac. d. q. 1. tenendo hanc primam conclusionem vide lib. 3. d. 3. p. 11.

Proposi. 2.

Angeli per hoc, quod non possunt peccare non amiserunt liberum arbitrium. Magister in litera. Alexand. 2. p. q. 74. M. 3. Bona. & Ricard. hac. d. quomodo autem cum beatitudine sit libertas vide in. 4. d. 49.

DE OBSTINATIONE MALORVM.

Proposi. 3.

Dæmones, imo & alij damnati de potentia Dei ordinaria nequeunt pœnitere pœnitentia fructuosa ad iustificationem. Hac est de fide contra Origenē, qui dixit neq; beatitudinem neq; miseriam esse perpetuam. Et probatur Daniel. 12. De his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt alij in vitam æternam, alij in opprobrium vt videant semper. Lucæ. 16. dixit Abraham diuiti. Inter nos & vos chaos magnum firmatū est,

est, vt hi qui volunt transire ad vos non possint, nec inde huc transire, & Matth. 25. Item maledicti in ignem æternum. Ratio nem dat Bona. hac. d. q. 1. Et Scotus litera. L. & M. atq; in reportatis. q. 1. quia sunt in termino. Et Damascenus ait. Hoc est angelis casus, quod hominibus mors. Et Augustinus de fide ad Petrū sic creauit Deus angelos vt qui vellent perpetuo boni essent, & qui nollent nunquam eos diuina misericordia repararet, vide & in. 4. d. 50. in litera Magistri auctoritatem Augustini ad idem, incipit. Tempus acquirendi vitam æternam: per quas etiam refellitur heresis citata Caluini in priori. Si ergo petas quare dæmon non iustificatur. Respondetur secundum Bona. quia non fructuose pœnitet, quare non pœnitet? quia Deus non præuenit eius voluntatem gratia excitante ad pœnitentiam de qua psal. 58. Deus meus misericordia eius præueniet me. Quare non præuenit? quia sunt in termino: extatq; lex Ecclesi. 11. si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem vbicunq; ceciderit ibi erit. Itaq; secundum Bona. à quo non disidet Scotus causa obstinationis est à Deo deferente, & iuste negante obstinatis auxilium speciale, de quo cum sint certi causatur in eis desperatio. Sed est dubium, An etiam neget, & subtrahat auxilium generale? Doctores qui tenuerint quod possit peccator cum solo auxilio generali se disponere ad pœnitentiam, debent dicere, quod etiam Deus tale auxilium subtrahat obstinatis. Scotus hac. d. litera. I. mouet hanc quæstionem, & remittit se ad quartum librum quid possit peccator facere cum influenza communi, seu auxilio generali, vide in. 4. dist. 16. de contritione ad finem, Hoc est contra aliquos doctores diuerso modo loquentes de causa obstinationis. Nam Ocham in. 2. quæst. 19. tenet, quod Deus tanquam causa totalis causat in voluntate angeli actum illum odij, quo angelus damnatus odit Deum, & in voluntate angeli beati actū amoris, atq; in intellectu actum videndi, ita quod voluntas se habet passiuè. Hanc opinionem dicit Gabriel teneri à multis, vide hac. d. neque reputant magis inconueniens dicere, quod Deus concurrat vt causa totalis, quā quod concurrat vt partialis. Alij dicunt quod infundit Deus aliquem habitum vitiosum in pœnitentiam suorum peccatorū, vt velint nolint, permaneant in tali voluntate. Et secundum istas opiniones vel infundendo habitum,

vel causando volitionem, Deus non est autor mali, sed boni, videlicet poenæ propter quam id facit, quia illa volitio, seu habitus in quantum à Deo nō habet rationē culpæ, sed poenæ. Sed cōtra, quia Deus non potest infundere intellectui habitum ad assentiendum falsis, neq; causare assensum falsum, quia repugnat veritati, ergo neq; infundere habitum voluntati, aut volitionem malam, quia repugnat suæ bonitati Deus enim est intentator malorum Iacobi. i. esset autem maxima tētatio infundere intellectui assensum, quod Deus non est, neq; minor infundere, quod Deus odiatur cum sit odium Dei intrinsece malum. Confir. quia Deus non potest non amare seipsum, ergo neq; facere se solo, quod nō ametur ab alijs. Et quod plus est, minus potest ad hoc necessitare. Contra opinionem de habitu bene arguit Ocham, quia habitus eiusdem rationis est in via, & in termino, sed habitus in via non necessitat potentiam voluntatis, ergo neq; in termino.

¶ Alia est opinio Thomæ. i. p. q. 64. art. 2. quod angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut nos apprehendimus prima principia: similiter in adhæsione voluntatis postquam semel adhæsit, immobiliter adhæret volito, ita quod quanuis libera sit sua voluntas ad adhærendum vni, vel alteri, postquam semel adhæsit immobiliter adhæret, quoniam vis appetitiua in omnibus proportionatur apprehensivæ, sed apprehensiva quæ est sicut motor est in apprehēdēdo immobilis, ergo & appetitiua quæ est velut mobile immobiliter adhæret. Hæc positio Thomæ coincidit cum Alexandro Halensi, vide. d. 5. p. 7. impugnaturque à Scoto hac. d. & à Durando. hac eadem. q. 2. Effectus communis debet habere causam communem, sed tam voluntas hominis, quam angeli damnati est obstinata in malo, ergo causa obstinationis debet eis assignari secundum aliquod commune, & non secundum id, in quo differunt, scilicet, penes mobiliter, aut immobiliter adhærere. Si dicas cum Alexandro, quod eadem est ratio de anima separata, quæ de angelo, bona est replica in littera Scoti. Anteseparationem, & in via non apprehendit, neque adhæret immobiliter, post separationem & in termino non demeretur, sed per actus habitos in via recipit suam poenam, unde ergo est obstinata? Confirmatur in Lazaro, & alijs resuscitatis, qui si adhæsissent immobiliter, postea in via, boni essent

essent impeccabiles, & mali obstinati, quod est falsum primo quia sunt viatores, secundo quia apostoli multos gentiles suscitauerunt qui postea facti sunt Christiani. Item secundum Thomam omnes angeli habuerunt bonam electionem, & meritum, qui tamen non adhæserunt immobiliter, quibus tamen intellectus non minus immobiliter ostendebat ad primam, quam ad secundam electionem. Tertio, in angelis sunt volitiones oppositæ volendo hodie vnum, cras diuersum, ergo non adhærent immobiliter. Antecedens patet in angelis tentantibus vt. V. g. in Christi passione, verissimile est eundem angelum incitasse Iudeos ad illum occidendum, & postea vxorem Pilati vt mortem impediret. Alias enim si vnus excitasset, alius impediret, diuisum esset regnum diaboli, quod non est vt dixit Christus. Matth. 12. Neque videtur esse vero simile in regno tenebrarum, quod idem negocium tam arduum cōmitteretur nisi vni, aut si pluribus, ita quod omnes in eo essent, & nullo modo diuisi. Constat autem eos intentasse diuersa, ergo angeli habere possunt oppositas volitiones. Quidam Thomista negabat Thomam sic intellexisse, sed quod loquebatur de lege conformi naturæ suæ angelicæ, non autem absolute.

Dæmones & alij damnati possunt operari opera bona bonitate essentiali, & bonitate generica. Probatur quoniam bonitas essentialis conuertitur cum entitate, cuius est propria passio: bonitas ex genere est, quando actus transit super obiectum conueniens, vt actus comedendi super obiectum gustus. Hoc modo comedere venenum non est bonum, quia venenum non est conueniens potentiæ nutritiæ: & dicitur bonitas generis, quia habet aliquid de bonitate generis moralis existens in potentia ad perfectam bonitatem moralem: sed damnati diligunt se, & odiunt, poenam qui sunt actus bene circumstantionabiles.

Dæmones & alij damnati non possunt facere opera meritoria & gratuita quia requiritur gratia & caritas quas ipsi non habent, neq; habere possunt: vt patet ex tertia propositione.

Dæmones possunt operari bona opera moralia. Ita tenet Scotus hac. d. littera. Q. Et in reportatis. q. 2. sequitur Durā. q. 2. huius Ocham. in. 2. q. 19. quanuis teneat oppositum, nihilominus dicit hanc Scoti opinionem esse probabilem. Est autem secundum

Proposi. 4.

Proposi. 5.

Proposi. 6.

eundē Scotū quodlibeto. 18. litera. C. & in presenti. d. bonitas moralis integritas omnium eorū quæ recta ratio dicit, & iudicat debere inesse actui. Vnde Dionysius de diuinis nominibus. Bonū est ex vna & tota causa. Malum autē ex particularibus defectibus. Vocat totā, id est, integratam ex omnibus circumstantiis. Probat modo proposito quia in dæmonibus secundū Dionysium naturalia remanserunt integra, & natura eorū naturaliter inclinatur ad bonū, ergo secundum illam inclinationē possunt habere actū aliquem bonū. Secūdo quia si nō possent, proueniret eis vel à natura: vel à culpa: vel à Deo: Non à natura, quia aliàs ipsa esset mala, & peccassent in primo instanti, neque fuisset aliqua mora in qua fuissent viatores. Non à culpa, quia nō manet in eis ad hoc vt cōtinuo peccēt, quāuis bene semper sunt in reatu peccati. Nō à Deo, quia ipse non vult mala fieri, neq; est autor malorū, neq; fecit legē quæ existentes in termino suæ dānationis nō possint operari bona moralia, nisi talis lex inuenitur. Hęc videtur esse contra Thomam. 1. p. q. 64. arti. 2. ad 5. Contra Bona. num. 9. Contra Ricardum. artic. 2. q. 2.

Argum. 1. Sed contra hanc arguitur, quia ipsa concessa possent damnati facere opera moralia, quæ sint dispositiones ad gratiā, vt habendo motus informis attritionis, vt dolendo de offensa Dei. Maxime dicente Augustino de fide ad Petrum cap. 5. si possibile esset vt humana natura, postquam à Deo auersa est bonitatē perdidit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere posset, multo possibilis hoc haberet natura angelica, quæ quāto minus grauat corporis terreni pondere, tātō magis hac esset prædita facultate, & hoc habere posset. Sed homo potest ex naturalibus habere motus imperfectæ attritionis, & doloris, qui sint boni morales, ergo & illos poterit habere angelus & sic disponi ad gratiam.

Argum. 2. Secundo & est ad hominem, quia idem Scotus in reportatis. q. 2. & 3. petendo an angelus permaneat in aliquo actu deformi elicitō, quāuis non demeritorio, & exponendo quomodo possit permanere ponit duos modos. Primum quod continet vnū actum malum perpetuo, secundum quod perpetuo sit in aliquo actu sed nunc in vno, nunc in alio: sed secundum quemcunque horum modorum angelus semper habet actum malum, ergo nō potest habere aliquem actum bonum moraliter.

Dico

Dico ad primum quod ipse Scotus facit hoc argumentum tā *Ad. 1.* hac. d. litera. I. quam in reportatis. q. 1. sed in reportatis respōdet: Cuius responsio stat in hoc quod non est simile de via & termino, quia in termino amicitia est iam soluta simpliciter, neque est locus reconciliationi, in via nō est sic soluta, ideo in via est meritum de congruo, ad reconciliationem. Atq; hoc patere potest quia nullum est meritum de condigno ad gratiam in peccatoribus, sed datur ex mera liberalitate Dei, de qua liberalitate extat lex quod non extenditur ad existentes in termino. Idcirco quāuis operetur illa met opera bona quæ in via facta ab homine peccatore sint dispositiones de congruo, nunquam in termino dabitur eis gratia. Atque per hanc solutionem posset admitti quod obstinatis Deus quāuis retrahat auxilium speciale, non tamen retrahit auxilium generale. Vel potest secundo respōderi quod conclusio concedit eos posse habere aliquem actum bonum moraliter, sed non quemcunque, maxime illum, aut illos qui contrariantur impoenitentia finali in qua ipsi sunt, tales sunt dolor de peccatis bonus moraliter dilectio Dei.

Ad aliud dico quod ex illis duobus modis amplexatur Scotus *Ad. 2.* illic primū modū quod scilicet continuant vnū actū malum ita actualiter acti nunc illum elicerent: & per hoc est intelligendus in. 4. d. 46. q. 4. litera. G. Dum ait. Damnatus continuo est in aliquo malo velle. Videlicet in vno actu malo elicitō: Respondet ergo quod si ille actus malus est ita intensus quod nō cōpatitur secum alium actū perfectū nisi ordinatū ad illum primum, tunc poterit perfecte habere aliū actū disparatum ab illo primo. Et sic poterit bene operari moraliter nō actū cōtrariū primo, sed actū disparatū. Ad idē videtur Ricardus, quod diabolus semper est in actu appetēdi sibi indebitā excellentiā: vel in actu appetēdi aliquid aliud in virtute illius indebitæ excellentiæ, quia excellentiā illā statuit sibi pro fine, ad quē ordinat cætera omnia, vide in art. 2. q. 2. Sco. quia posuit primū peccatū angeli in amore sui immoderato, ponit perfectum actum in amore intenso sui.

Probabile est quod de facto nullū bonum morale agunt. Hęc *Propos. 7.* tenet idem Scotus, quia magis sequuntur suam malitiam, quam naturalem inclinationem, quia licet velint aliquod bonum, semper illud volunt mala voluntate, si obediunt Deo & fan-

sanctis est cum odio, & murmure, si credunt & contremiscunt ut Iacobus ait. 2. cap. ordinant in malum finem, non credentes nisi inuiti, & per effectus quos vident, neque propter eum finem propter quem oportet credere, veritatem dicit ut postea decipiat securius. Neque forte Bona. Thomas, & Ricardus aliud volebant, nisi loqui de facto, & non de possibili.

DE POTESTATE DÆMONVM, ET DE MAGICIS ARTIBUS.

Propos. 8. **N**on possunt dæmones sola voluntate sua transmutare creaturas in varias formas, quia hoc est proprium Dei. Magister in litera dicens. Materia visibilium non seruit dæmonibus ad nutum, neque possunt dici creatores: quia ut dicit Augustinus. 3. de Trinit. cap. 7. Angeli mali in transmutando materiam ad formam se habent sicut agricolæ ad segetum productionem: sed agricolæ non dant formam, tantum applicant actiua passiuus, ergo id tantum faciunt dæmones. Vide Bona. & Rica. aliosq; Scholasticos hac. d. Thomam. 1. p. q. 110. art. 2.

Propos. 9. Dæmones applicando actiua passiuus possunt operari secundum sex genera motuum: ita quod fiat generatio, corruptio, Augmentatio, diminutio, Alteratio, & secundum locum mutatio, quia in ipsis naturalia manserunt integra, norunt rerum proprietates, ex quibus & quā cito fiet transmutatio, possuntq; secundum suam virtutem mouere, ut Matth. 4. dæmon non prohibuit transferebat Christum Dominum: & Daniel. 14. Angelus trāstulit Abacuc prophetam in capillo capitis à Iudæa in Babylonem. Non tamē credo quod vnus angelus possit mouere totum mūdum sursum deorsum, quia mouere debet secundum limitatam & finitam virtutem.

Propo. 10. Dæmones non possunt facere miracula proprie dicta quoniā de ratione miraculi est quod aliquid fiat preter ordinem totius naturæ creatæ, ut quod mortuus resurgat. Vnde Augustinus citatus ab Alex. 2. p. q. 42. M. 1. ait in lib. de vtilitate credendi. Miraculum est arduum aliquid & insolitum supra spem & facultatem existens admirātis. Quā descriptionem sic exponit Alex. Arduum dicitur supra potestatem naturæ, Insolitum contra solitum

litum cursum naturæ, Atque per hæc duo notificatur res mira id est, id quod in miraculo est res, & quia ratio miraculi dicitur in comparatione ad nos, ponitur supra spem, ex parte affectiua, supra facultatem ex parte cognitiua. Inde habetur quod eclipsis, quauis sit insolita quia raro fit, non tamen est contra consuetum cursum naturæ: neque ascensio lapidis violenta est contra vniuersalem naturam, sed contra particularem ipsius lapidis: neque monstra, quia licet sint contra naturam vnum intendentem, tamen sunt à natura, per errorem naturæ, alio agente cōcurrente in oppositum, & quodlibet illorum intēdebat rectū iuxta suam naturā. Vnde ut ait idē Alex. M. 3. nō incongrue dicitur facere Deus contra naturam, quādo facit contra id quod nouimus in natura. Propter hæc soli Deo cōuenit facere miracula ut dicit idē Alex. ibidē. M. 4. ar. 2. & Tho. 1. p. q. 110. ar. 4. quia illi soli cōuenit agere cōtra naturam qui est illa superior tāquam eius Dominus. Vnde psal. 135. Qui facit mirabilia magna solus. Dæmones per illam applicationē dicuntur facere prodigia, portēta, aut miracula improprie dicta, quia scilicet quantū ad nos quibus sunt ignotæ virtutes, vel causæ illarū rerū videntur esse miracula, quoniam miraculū ab admirādo dicitur. Similiter angeli sancti quandoq; dicuntur facere miracula, & hoc dupliciter, vel quia ad eorū preces deus facit miracula, sicut quādo facit illa ad preces aliorum sanctorū, vel quia angeli præparant & disponunt materiā ad miraculū fiendum. Ponit etiā idem Alex. eadem. q. M. 1. differentiā inter Mirabile, Miraculum, Virtutem, Signum, Prodigium, dicitq; quod idem sunt, sed comparatione ad diuersa. Nā virtus dicitur ratione principij à quo; Mirabile & Miraculum respectu eius in quo & cui fit: Signū respectu eius ad quod. Nam signum est ad demonstrandam virtutem diuinæ sapientiæ, & signum aliquid signat in quocunq; tempore, prodigium signat sed in futurum ideo signum est superius, quia omne prodigium est signum, sed non e conuerso.

Propos. 11 **Q**uinq; modis possunt dæmones facere prodigia, & mirabilia. Primo sicut homines celeritate manuum remouendo vnum, & substituendo aliud. Secūdo applicando actiua passiuus ut Magi Pharaonis fecerunt ranas ex materia disposita ad illarum generationem. Tertio sicut artifices in materia, magna celeritate operan-

operando formas artificiales. Quarto in aëre causando mutationes vt opinemur nos videre Leones. Quinto mouendo phantasmam, quæ est sensus interior, quia hoc facit natura in phreneticis & dormientibus quibus phantasmata representantur vt obiecta Aliquo istorum modorum fecerunt Magi in Aegypto. Vide. q. 43. Alexandri, quæ est de præstigijs Magorum.

Propo. 12. Vera miracula discernuntur à falsis ex quatuor. Primo ex parte principalis agentis: quia in veris operatur agens infinitæ virtutis, & supra naturam, in falsis operatur natura adiuta per alias rerum naturas. Secundo ex parte ministri, quia falsa fiunt per priuatos contractus: quia magus operatur per pactum initum cum dæmone, & illud pactum cum priuata persona est contractus priuatus: Christiani boni per publicam iustitiam faciunt miracula quia iustitia diuina est in toto orbe, sicut lex publica in ciuitate: faciunt ergo per fidem viuam, quæ iustificat, & quam veritas omnibus prædicat. Mali christiani faciunt per signa publicæ iustitiæ, quia fidem habent & videntur habere opera, & sic per publicam iustitiam secundum apparentiam. Tertio ex parte finis, quia vera fiunt ad Dei gloriam, & vtilitatem vel totius ecclesiæ, vel saltem alicuius particularis, falsa fiunt in ostentationem, vel delectationem corporalem, & fraudes. Quarto ex parte facti, quia vera fiunt suscitando mortuos, & faciendo res magnas, falsa circa vilem materiam, vt ranas, herbas, muscas, coruos. Vide Bona. hac. d. num. 87. Alex. citata. q. 43. M. 3. arti. 3. Illam autoritatem Augustini, Christiani faciunt miracula per publicam iustitiam, sic exponit: quod est quædam priuata potestas siue particularis, quæ confertur vnicuique creaturæ in creatione sua secundum gradum suum, est alia publica siue vniuersalis scilicet diuina, & hæc dicitur publica iustitia quia publicè regit omnia, & hæc influit super creaturas, & cum aliquis in ista confidit virtute ipsius influentis fiunt miracula. Cum bonis Christianis influit super inuocantem quantum ad fidem formatam & quantum, ad illud, quod cum illa requiritur vt bonus faciat miracula, & influit super factorem. Cum malis influit super solo factorem. De ista publica iustitia vide & in. 4. d. 46.

Propo. 13. Inuocare dæmones in auxilium, vt illa quæ possunt operentur,

tur, aut quæ sciunt dicant, mortale peccatum est prohibitum lege diuina, & lege positiua, imo credit Ricar. hac. d. q. vltima, quod etiam sit prohibitum lege naturæ, eo quod diabolus est aduersarius obstinatus summi principis nostri Dei, & est ab ecclesia irreuocabiliter præcisus, & ita mendax, & fallax quod si veritatem dicat, est vt fallat, vel quia compellitur à Deo. Hæc dæmonum inuocatio cum ad res varias, & per diuersa fiat, varia fortitur nomina, vt Hydromantia, Necromantia, Diuinitio, Augurium, vide. 26. q. 4. ca. igitur, quod est beati Isidori. Vide & Alexan. 2. p. q. 184. quæ est de diuinatione, qui in. M. 6. §. 2. petēs de diuinatione per iudicia astrorum circa res furtiue sublatas docet esse peccatum, per Astronomica iudicia inquirere ea, quæ subsunt libero arbitrio, quia ad illa cum varientur secundum motum liberi arbitrij non sufficit Astronomia, quæ circa talia est reprobata, non autem circa ea naturalia, in quibus salua Dei voluntate quæ omnibus præminet, stellæ operantur vt frigus, siccitatem, & similia. Vide eundem. quæst. 185. quæ est de Sortilegio: & Thomam. 2. 2. quæst. 95. in qua plurima sumit ab Alexandro. Nostra propositio non curans de nominibus, sed de re in dæmonum vocatione probatur Levitici. 20. Vir siue mulier in quibus Pythonicus spiritus fuerit, vel diuinationis morte moriantur, lapidibus obruent eos. Et infra. Anima quæ declinauerit ad Magos & Ariolos, interficiam illam de medio populi sui. Deut. 18. Non inueniatur in te qui Ariolos sciscitetur & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, neque incantator neque Pythones consulat, neque diuinos, & quærat à mortuis veritatem. In iure ciuili imponitur poena contra Sortilegos, id est, contra illos qui dæmones inuocant. In iure canonico de sortilegis extra, capitul. 1. imponitur poenitentia. 40. dierum pro Sortilegio occulto, quia notorium grauius punitur. Datque Alexan. in citata quæst. 185. M. 6. causam quare plus abundat Sortilegium in sexu muliebri, & dicit quod ordo doctrinæ dominicæ fuit, vt à Deo in Christum, à Christo in viros, à viris in mulieres, quia caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus. 1. Corinth. 11. E contra diabolus à muliere transfudit in virum. Genesis. 3. ita & modo seruat propter illius sexus fragilitatem & facilitatem

Proposi. 14

Dæmones triplici scientiæ acumine vigent, subtilitate naturæ, experientia temporum, reuelatione superiorum potestatum. Ita Magister in litera ex Isidoro lib. 1. de summo bono capitu. 12. Ad idem citat Augustinum, qui August. refertur etiam à Gratiano. 26. quæst. 4. capitu. Sciendum. Per hæc annuntiant aliquando futura. Quandoq; etiã ipsi dæmones, vt habes in litera, quæ acturi sunt velut diuinãdo prædicunt. Vel dic etiam quod cum sint aerij spiritus, quæ alibi facta sunt mira celeritate præueniunt annuntiantes suis familiaribus vt habeantur propheta. ¶ Ex prædicta experientia argue quod angeli discurrant.

Corol.

Argum.

Sed contra Ex Ecclesiaste. 4. Melior est puer pauper & sapiens rege senes & stulto, qui nescit præuidere in posterum. Vbi Glossa Ordin. ex Origene & Victorino exponit: puerum pauperem & sapientem, Christum: regem senem & stultum dæmonem qui ostendit ei omnia regna mundi. Sed senectus est causa obliuionis: stultitia opponitur acumini scientiæ, ergo dæmones nõ habent memoriam & experientiam de præteritis, neque vigent acumine scientiæ, atque subtilitate naturæ circa præsentia, & futura.

Solutio

Hoc argumentum petit an obliuio, & deceptio sit in dæmonibus quas quæstiones vide in Bona. hac. d. & in Ricardo. Vide Alex. 2. p. q. 113. Thom. 1. p. q. 64. arti. 1. Dico ergo quod in dæmonibus non cadit obliuio circa præterita, quia cum Memoria sit intellectus cū specie, nulla species indita à Deo ipsis dæmonibus deleta est. Et per hoc patet ad deceptionem, seu obcæcationē quia quātum ad intellectū speculatiuū in nullo est excæcat⁹ quantū ad naturalia, quia in ipsis remanserūt integra, & species inditæ etiã integræ: (Non loquor de specie diuinæ essentiæ) quātum ad cognitionem quæ est per gratiam cognoscendo secreta diuina, non tot cognoscunt, quot cognoscerent si stetissent. In intellectu practico ad quem est iudicium agendorum bonorum sub ratione boni, sunt excæcati, quia propter obstinationē voluntatis iudicant agenda mala, quæ intentant & agunt. Per hoc potest declarari Alex. quãdò dixit in vltimis verbis citatę quæst. Si autē aliqua pœna dicitur in eis ratiõe cognitionis rerū in proprio genere, hoc nõ est quia pauciora cognoscunt, sed quia non
ita

ita clare cognoscunt. Nam ex errore intellectus practici, & obstinatione voluntatis non sunt ita attentī, & in actuali rerum cognoscendarum intelligentia conuertente se super memoriam. Propterea vocatur stultus, vtpote quia errat in agendis.

DISTINCTIO VIII.

De angelis in comparatione ad corpora.

Angeli habeant corpora Magister duas refert op-
positas opiniones. Vna dicit, quòd habent corpora, quæ innitur sententiæ Augustini, quæ habetur in litera dicentis, omnes angelos habuisse ante confirmationem, vel lapsum corpora aerea de puriori, ac superiori aeris parte formata, & vocantis dæmones aerea animalia. Secunda opinio negat illos habere corpora, sed quòd sunt omnino incorporei. Dicunt ipsam tenentes, quòd Augustinus refert aliorum opinionem, id est, Platoniorum ponentium quædam animalia aerea quæ dæmones vocabant. Vide lib. 8. de Ciuitat. cap. 16. Primam opinionem tenet Rupertus lib. 1. de victoria verbi Dei cap. 28. Negatiuam tenent communiter omnes doct. scholastici. Alexand. 2. p. q. 34. M. 1. Bona. & Ricard. hac. d. Scotus. d. 9. ante literã. P. & lib. 3. d. 22. litera. E. Thomas. 1. p. q. 50. & 51. art. 1. Est pro ipsa manifeste Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. vbi docet quomodo dæmones qui sunt incorporei pati possint ab igne corporeo inferni. Est & Ricard. de sancto Victore in fine. 4. de Trinita. & sumit pro argumento, quòd in vno homine erat vna legio dæmonum. Marci. 5. quæ continet sex millia sexcentos sexaginta sex, sed si essent corporei, quantumcunq; haberent subtilissima corpora non possent esse tot in vno homine, quia duo corpora eiusdem quantitatis non valent occupare eundem locum, quia omne corpus est perfectum trina dimensione, quæ dimensiones corporum diuersorum nullo modo se penetrant. Secundo, quia ipsi angeli in scriptura vocantur spiritus. psal. 103. Qui facit angelos suos spiritus, eo modo quo Deus dicitur spiritus. Ioan. 4. sed Deus non est corporeus, quia spiritus carnem &
Gg 3 ossa

Proposi. 1.

ossa non habet Lucæ ult. ergo neq; angeli. Tertio, quia dato op-
posito essent animalia, & per consequens mares, & femina. Quar-
to, quia si illa corpora forent terrestria, quod contraria opinio
negat, vel aerea, debebant esse diuisibilia: si coelestia oportet de-
clarare cuius figuræ. Aduerteq; non sat esse, quod dicantur ma-
teriales, vt dicantur corporei, quia aliqui tenentes illos esse mate-
riales, negant esse corporeos, vide supra. d. 3. in secunda synodo
Nicena, quæ est septima generalis actione. 5. tractatur hæc quæ-
stio si angeli sint corporei.

Proposi. 2. Angeli tam boni quam mali apparent hominibus in corpo-
ribus quæ assumunt. Ita tenet communis schola Theologorum.
Quæ corpora fiunt ex aere condensato & figurato, & vocantur
phantastica. Angelum verò assumere corpus vt dicit Scotus hac.
d. non est quod informet corpus, aut quod ei vniatur hypostati-
ce, sed tantum quod sit intrinsecus motor illius corporis: finito
ministerio pro quo assumpta fuere, resoluuntur: demones defun-
ctorum corpora assumpserunt aliquando: vnde ad vitandas illu-
siones dæmonum circa illa corpora aspergimus aqua sancta. Di-
ximus fieri ex aere, vel solo condensato, sicut videmus condensari
aquam solam in glaciem: vel ex aere condensato admixtione al-
terius elementi. Hos duos modos refert Bona. nu. 26. Dat & ter-
tium modum, quod sit corpus formatum ex quatuor elementis,
illum tamen reprobat. Magister sub dubio relinquit dato quod
habeant corpora si quando apparent, in suis appareant corpori-
bus ipsa sua corpora transformando in id, quod volunt accom-
modatum ad id quod agunt. An grossiora superinducant ex in-
ferioribus elementis. Alexand. citata. q. 34. M. 4. dicit, quod bo-
ni angeli assumunt corpora ex parte superiori & puriori aeris,
qui vocatur æther: mali ex inferiori quæ non est ita pura, & vo-
catur aer. Rationem quare non assumunt ex materia coelesti dat
idem Alex. quia corpus coeleste non sic conuenit qualicumque
mutationi, vt aer. Et in M. 5. dicit, quod angelus præparat huius
modi corpus, formatio autem vltima est Dei. Sed nõ video qua-
re non possit angelus inducere illam formam corpori phantasti-
co, sicut possunt sculptores in lignis & lapidibus, quando quidem
non est vera forma corporis humani.

Argum. ¶ Contra quia si angeli non assumpsissent vera corpora deceptis-
sent

sent homines. Itẽ neq; Spiritus sanctus ostendisset veras linguas.
¶ Secundo, si tantum sunt in corporibus vt motores, quodcũq; *Secundum.*
corpus mouerint dicentur assumpsisse.

¶ Tertio, quia Christus dedit pro testimonio suæ resurrectionis, *Tertium.*
quod habebat corpus palpabile. Luc. 24. quia spiritus carnem &
ossa non habet, ergo potius est dicendum, quod angelorum ap-
paritiones sint imaginariæ. Alioquin si habent corpora Christus
non probasset efficaciter suam resurrectionem.

¶ Ad primum vide in lib. 1. d. 16. p. 3. Ad secundum dico, quod *Solutio.*
assumptio corporis plus importat, quia assumptio dicitur ad se *Ad. 2.*
sumptio, & sic dicit coniunctionem assumpti ad assumentem, vt
quasi faciant vnum. Secundo vt sint tibi operationes quasi vnus
totius, cum sint ab assumente, & fiant per illud assumptum. Finis
huius assumptionis, atq; operationum esse debet ad manifesta-
tionem & significationem vel suam, vel alterius. Hæc deducuntur
manifeste ex Alexand. citata. q. 34. M. 3. Ideo dixit Bona. num.
13. & 19. Pro tanto angelus dicitur corpus assumere, quia illud
accipit ad se, vt in illo operetur, vt in illo manifestetur, vt in illo
conuerfetur. Eadem conditiones Thomas expressit. 1. p. q. 51.
art. 2. ad secundum dicens. Corpus vnitur angelo, vt motori re-
præsentato per corpus mobile assumptum: illa met potest de-
ducere ex Scoto ad prim. argum. in hac. d. & in principio quæstio-
nis, atq; similiter in reportatis.

¶ Ad aliud fuit opinio, quod omnes apparitiones angelorũ fue- *Ad. 3.*
re per imaginationẽ. Hanc refert Thomas & impugnat. Caieta.
ibi dicit fuisse opinionem Rabbi Moyfis. Dico ergo, qd Christus
sufficenter probauit suã resurrectionẽ per sui corporis tactũ, &
sic Thomas qui fuerat incredulus fuit conuictus. Nam corpora
phantastica angelorũ facillime dijudicantur an sint vera: & hoc
ex duobus vt dicit Caiet. 2. 2. q. 95. ar. 3. Primo in temperamento,
quia nequeunt sic cõmisceri, vt vera corpora humana. Vnde ipse
demõ cũ suũ corpus esset molestũ quasi glaciãle cuidã sibi fami-
liari respõdit, se nõ potuisse melius facere. Secũdo ex delectatio-
ne tactũ & cõcubitũ, qd est lõge delectabilior cõtactũ verẽ carnis.
Sed cõtra quia si demõ assumeret corpũ alicuiũ defũcti nõ posset *Rep.*
ex tactu discerni, ergo nõ põt assumere corpus mortuũ. Dico qd *Solutio*
Scotus hac. d. dicit qd posset assumi cadauer mortui. Audiui etiã
ego

ego à quodam nobili milite, quòd ad reliquias Philippi diaconi de quo in actibus apostolicis cecidisset cadauer mulieris iam incipiens putrefieri, in quo erat dæmon, apparebatq; mulier esse formosa & procax, acclamante dæmone cum ad reliquias trahebatur, quo me ducitis: non est viuum sed mortuum hoc corpus, ipseq; miles eo tempore in ciuitate illa manebat quanuis tunc ad reliquias non adfuerit sed ab alijs militibus nobilibus audiuit. Dico ergo ad argumentum, quòd boni angeli credo non assument corpora defunctorum, licet possint. Mali etiam non assument corpora iustorum cum potius ab eorum reliquijs diffugiant. Cum ergo opus fuerit probare illos spiritus ne nos illudat, sicut ex tactu discernentur corpora phantastica, sic ad pietatem probantium Deus manifestabit illusionem dæmonis fieri per cadauer.

Proposi. 3.

In præfatis corporibus angeli non possunt exercere opera vitæ secundum triplicem animam vegetatiuam, sensitiuam, rationalem. Quando loquuntur est, quia faciunt in aere sonos similes voci humanæ: quando ostendunt se intelligere non minus intelligunt sine corpore. Alii, augeri, & generare non possunt. Visi comedere, est quòd per motum localem maxillarum cibum diuidunt. Vnde Tobix. vlt. dixit Raphael. Videbar quidem vobis cum manducare & bibere. Cum enim ista officia toti animato composito conueniant, & ex angelo & corpore non fiat compositum animatum non possunt ei conuenire. Motus localis bene conuenit, quia non est aliquod corpus ita imperfecte mixtum quin habeat in virtute sua aliquid. Vbi patet in exhalatione que ascendit sursum, nix & ros descendunt, vide Alexand. 2. p. q. 35. Dæmones quandoq; Domino permittente sub specie mulierum succumbunt viris, & vocantur succubi: & sub specie virorum incumbunt foeminis, & vocantur incubi, & transmissio femine virorum in mulieres sequitur generatio: genitus verò, est filius hominis cuius erat semen, & non dæmonis. An autem sub specie mulierum possint generare, Ioannes Bassolis hac. d. refert doctores antiquos id negantes, refert vero ipse quòd contrarium dicitur aliquando accidisse. Datq; modum quo id fuerit possibile, videtur vero mihi potius, quòd sub forma mulieris emiserit puerum aliunde asportatum.

Dæ-

Dæmones possunt subintrare corpora humana. Patet ex euangelio in multis dæmoniis, Marci. 9. Lucæ. 4. Ratione probatur, quia dæmones sunt spiritus, quibus nullum corpus obstat, ergo sicut lumen solis penetrat vitrum, possunt dæmones subintrare corpora humana, & ibi esse, illaq; mouere.

Proposi. 4.

Contra dæmones institutus est in ecclesia ordo minor qui vocatur Exorcistarum. Dicuntur autem Exorcistæ Græce, Latine, adiuratores, siue increpantes vt dicitur. 2. 1. d. cap. Cleros. inuocant enim super catechumenos, & super eos, qui habent spiritum immundum nomen Domini Iesu adiurantes per eum vt egrediantur ab eis. Verba catholici exorcismi sunt. Spiritus immunde in nomine Iesu exi ab homine isto, tace, & obmutesce. Alia verba & orationes non sunt de essentia, sicut in missa: cætera, præter consecrationis verba, sunt de deuotione ecclesiæ, & præcepto. Sumpta sunt verba exorcismi ex verbis Christi citato loco Marci, & Lucæ. in. 4. propositione. Loqui ibi cum dæmone de alijs superfluis, modo ei non credatur, neque familiariter fiat, graue peccatum est leuitatis curiositatisque, non tamen apparet mortale. Potest à dæmone peti suum nomen vt ad illum nominatim sua præcepta dirigat Exorcizator. Potest inquiri de socijs, quot sint, quomodo nominentur, vt imperetur eos secum trahere in quantum potest, ne amplius hominem vexent: potest inquiri & causa propter quam intrauit, vt quanuis non credatur, ad cautelam amoueat, vt si est peccatum, quòd homo poeniteat.

Proposi. 5.

Angeli tam boni quam mali nequeunt illabi animabus. Quia de ratione illapsus duo sunt. Primū, quòd illabens sit intimum ei cui illabitur. Secundum quòd illabens intime operetur in illo, cui illabitur secundum omnimodam præfidentiam, & dominium. Hæc sunt propria Dei: Hanc sextam, & quartam docet in litera Magistri.

Proposi. 6.

Dæmones nō possunt immittere malas cogitationes proprie loquendo de immisione, neq; imprimere malas affectiones in voluntate. Hanc docet Bona. & Ricar. hac. d. duabus vltimis questionibus. Ratio est, quia proprie loquendo immittere est intus mittere, ipse verò dæmon nō potest intellectui nostro speciē intelligibilem imprimere, neq; potest immediate conuertere intelle-

Proposi. 7.

Hh etum

atum ad rem iam per speciem nobis repræsentatam. Large capiēdo, puta quia operatur circa vires sensitivas, vt quia mouet phantasmata dicuntur esse immisiones per angelos malos. psal. 77. & Ioan. 13. quod misit in cor Iudæ, quod traderet dominum. Multo minus potest involuntate, quæ liberrima est. Sed quemadmodum in corporalibus dicitur quis incendere ignē, quia subministrat materiam quæ ignis inflāmat, & in se conuertit, ita dæmon dicitur incensor malorum cogitationum, & affectionum, quia subministrat mouendo, & operando circa organa virium sensituarū. Inde Iacobi. 3. dicitur lingua, ignis, vniuersitas iniquitatis inflāmans rotam, idest, cursum, natiuitatis nostræ, idest, vitæ nostræ, inflammata, ipsa lingua, à gehenna, idest, à dæmone, propter quem facta est gehenna, sicut ibi exponit glossa ordi. Osee. 7. dicuntur omnes adulterantes esse quasi clibanus succensus à coquente. Nihilominus tamen potest voluntas non consentire, & intellectum diuertere, maxime si habet illum assuetum bonis cogitationibus. Bene immoderata passio in appetitu sensitiuo obnubilat valde intellectum, ita quod aliud iudicat agendum quandiu est illa passio, quod non iudicabat extra illam. Vnde talem philosophus. 7. ethico. cap. 3. comparat dormienti & vinolento, qui habent scientiam & illa non vtuntur. Qui habere quodammodo, & non habere videntur, & quia habitu sunt præditi scientes, quia illo non vtuntur inscij dicuntur, videatur de hac propositione Alexand. 2. p. q. 39. & 40. Thom. 1. p. quæst. 111. art. 2. & 3.

Proposi. 8. Angeli tam boni, quam mali non possunt certitudinaliter cognoscere cogitationes & volitiones cordium humanorū. Probat. 2. Paralip. 6. Tu solus nosti corda filiorum hominum. Hierem. 17. Præuū est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor, & probās renes. 1. Corin. 2. Quis enim scit hominum quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est? sed vnde hoc prouenit?

Proposi. 9. Probabile est, quod nisi angeli à Deo impedirentur, naturaliter possent scire omnia secreta cordium humanorū. Ita tenet Scotus in. 4. d. 10. q. 8. ad. 3. principale, & nō solum de secretis cordium, sed de quibuscunq̄ intelligibilibus etiam de mysterijs gratiæ postquam positi sunt in effectu. Ita quod naturaliter posset angelus

gelus cognoscere virginitatem Mariæ, existentiamq̄; corporis Christi in Eucharistia. Imo videtur consequens ad idem, quod Verbi incarnationem: nō quidem intelligo cum hoc dico, quod ipsam personam Verbi videret, sed cognosceret humanitatem non esse personatam à semetipsa, & sic deduceretur in cognitionē incarnationis. Ad idem est idē Scotus de cogitationibus aliorum angelorū. d. 9. q. 1. in. 4. & 5. arg. contra. 1. art. Henrici, & in 1. argum. contra. 2. art. Et in. q. 2. ad primū principale. Idem tenet Ocham in hoc. 2. q. 20. litera. F. q̄ angelus naturæ suæ derelictus potest videre intuitiue cogitationes & affectiones in angelo alio & in nobis, dicit vero sine assertionē: Gabriel super canonē lect. 3. 1. litera. L. Probat. Primò, quia obiectū adæquatū intellectus angelici est ens inquantū ens, sed secreta cordium continentur sub ente, ergo possunt illa naturaliter cognoscere. Maior docetur à Scoto hac. d. litera. O. & in quodlib. 14. litera. P. Confir. quia ista sunt accidētia habētia quicquid habēt alia accidētia ad immutandū intellectū. Cōfir. secundò, quia visus potest naturaliter in omne visibile debite approximatum, ergo & intellectus in omne intelligibile. Item arguitur. Si essentia diuina esset obiectum naturale nostrum, cognoscendo ipsam possemus cognoscere cogitationes Dei, ergo cognita essentia angeli, & animæ naturaliter potest cognosci omne quod est in corde ipsorū. Antecedēs probatur, quia diuinus intellectus cuius sua essentia est obiectum naturale cognoscit omnia quæ sunt in sua essentia. Si dicas, q̄ angelus, & anima sunt liberi & propterea possunt occultare. Cōtra quia saltem posset cognoscere intellectiones quæ sunt actus naturales. Tertiò, Angelus potest cognoscere species quæ sunt in intellectu alterius angeli, vt tenet Tho. 1. p. q. 57. ar. 4. ad. 2. ergo pōt intelligere actualē cognitionē. Cōfir. quia angeli habēt cōcreatas species per quas secūdū aliquos repræsentātur indiuidua, quādo sunt. Sed cogitationes, atq̄; affectiones sunt indiuidua, ergo &c. Ad argumēta quæ possunt fieri ex autoritatibus præcedētis, & similib⁹, dicēdū est, q̄ loquūtur de facto vt modo est, q̄ nō intelligūt eas, sed nō loquūtur de possibili. Rationē quare De⁹ nō coagit cū angelis vt cognoscāt secreta cordium dat Scot⁹ in reportatis quia in volitione cōsistit meritū & demeritū formaliter, in intellectione cōsistit materialiter. Quoniam ergo Deus reseruat sibi

Corol.

vniuersale iudicium de bonis, & malis non coagit angelis vt videant quæ naturaliter possent. Atq; ex hoc patet quid sit angelum impediri ne videat secundum hanc opinionem, scilicet, Deum illi non coagere ad videndum.

Propo. 10.

Probabile etiam est, quod angeli non possunt naturaliter cognoscere secreta cordium. Hanc tenet Alex. 2. p. q. 26. M. 3. vbi dicit, quod ea, quæ libero arbitrio subsunt solus Deus potest cognoscere, quia creatura de se impotens est ad illa cognoscenda immediate: in eadem est Bona. hac. d. q. vlti. Sequitur eos Thomas. 1. p. q. 57. ar. 4. Ricar. hac. d. ar. 2. q. 4. Probatur autoritatibus octauæ propositionis præcipue illa Pauli. 1. Corinth. 2. vbi addit: ita & quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei, sed quæ sunt spiritus Dei non possunt sciri naturaliter, ergo neque quæ sunt spiritus hominis. Ratione sic, Angeli nunquam cognoscunt de facto, ergo neq; possunt. Probatur cōsequētia, quia Deus nunquam priuauit aliquam speciem, aut genus in omnibus indiuiduis operatione sua naturali dicente August. 7. de Ciuit. cap. 30. ita administrat omnia quæ creauit vt ipsa proprios exercere, & agere motus sinat. Secūdo, quia in republica & politia humana nō esset bene cōstitutū si secreta ducū, & imperatoris possent esse nota omnibus, ergo à simili respublica angelorū, & rationaliū suppositorū non esset bene instituta, si quilibet posset cognoscere secreta alterius, vt angelus inferior secreta superioris, & angelus quilibet secreta hominum. In assignatione rationis proprie ad conclusionem est varietas. Nam qui tenent angelicum intellectū moueri ab obiecto, & volūt tenere hanc opinionē dicūt, qd volitio, & intellectio nō est obiectū proportionatū nisi intellectui in quo est subiectiue, sed in alio intellectu alterius angeli nō est subiectiue nisi voluntas alterius velit ipsi reuelare. Ita videtur defendere Greg. Ariminen. citatus à Gabriele lect. 3 1. super canonē, & à Caiet. vbi sup. Thomas. Alij vt Thomas iuxta quod ibi dicit Caiet. tenēdo angelos nō cognoscere nisi per species inditas, dicūt, qd cogitationes cordiū quoad esse actuale in particulari, nō repræsentātur per species, quia tales cogitationes eo ipso qd volūtatas eas vult sunt supra ordinē causarū & effectū naturalium, neq; repræsentantur per species illas. Bona. dicit quod sicut Deus volūtati dedit dñū, cui nulla potētia præfidet nisi diuina, sic dedit

cognitiue

cognitiue conscientie secretum cuius secreta & profunda non penetrat, nisi diuina sapientia. Ricardus dicit, quod ea quæ in anima sunt voluntarie non multiplicant suam similitudinem nisi ad imperium voluntatis, & cum angelus non possit illabi animæ, neque potest secreta illius cognoscere. Quid sit probabilius nescio. Scoti opinio credo quod sit magis intelligibilis, nam Alexan. qui est parens huius opinionis confitendo, quod fatentur omnes videlicet quod per aliquos effectus, & signa possunt cognosci secreta cordium humanorum ab angelis, ad quod citat Augustinum, quem citat etiam Thomas. facitque illa autoritas ecclesi. 13. cor hominis immutat faciem eius siue in bono siue in malo: addit inquam Alex. quod vnus angelus potest cognoscere secreta alterius, quæ subsunt libero arbitrio per signa intelligibilia, quæ indicia non sunt tantæ simplicitatis, quantæ ipse cogitationes & affectiones: vnde nō sequitur quod si possit cognoscere indicia, possit & affectiones. Quæ indicia non intelligo quæ sint.

Ex prædictis infertur quod tenendo angelos posse intelligere, & cognoscere nostras intellectiones & volitiones, si nos eis reuelamus, secundum opinionem Scoti debet dici quod hoc est quia Deus coagit cum eis, quando nos etiam in corpore mortali volumus quod illas cognoscant. Secundum aliam opinionem debet dici, quod quanuis nos ignoremus tamen è solo imperio nostræ voluntatis multiplicant suam similitudinem, & fiunt ab ipsis intelligibiles. Quod que scire possint quando nos volumus videtur: quia posset aliquis facere pactum mentale cum dæmone. Neque opus est quod nostræ intellectiones sint subiectiue in angelis contra Gregorium: quia angeli cognoscunt cogitationes Dei sine hoc quod sint in eis subiectiue, quæ tamē sunt secretiores quam nostræ. ¶ Vnum tamen dicit Gabriel citatus, quod

Corol.

in omni opinione credo verum quod Angelus Custos hominis nō scit omnia eius secreta cum hoc non

impediat, imo adiuuet effectum

sue custodix.

¶ Hh 3 DIS.

¶ DIS.

¶ DIS.

¶ DIS.

DISTINCTIO IX.

De ordinibus angelorum qui sint. & quot.

Proposi. 1.



Quem sunt ordines angelorū distincti in tres Hierarchias, quarum quilibet continet tres ordines. Magister in litera. Suprema continet hos tres Seraphim, Cherubim: & Thronos. Secunda, Dominationes, virtutes, & potestates. Tertia: Principatus, Archangelos, & Angelos. Ita quod à Seraphim descēdimus, ab angelis ascendimus. Annotat Bona. num. 5. quod beatus Dionysius disponit ordines, & numerat, vt modo numerauimus: Gregorius, & Bernar. ponunt Principatus in secunda hierarchia loco Virtutum, virtutes in tertia loco Principatum, & quod magis innitēdū est dicto Dionysij, tum quia ipse, vt dicit, didicit à Paulo: tum quia Gregorius in confirmationem eorum quæ in hac materia dicit, inducit auctoritatem Dionysij. Magister in principio numerando ordines secutus est Dionysium, postea interpretando nomina Gregoriū. Dicitur Hierarchia, id est, sacer principatus. Sumuntur hæc nomina à scriptura. Seraphim Isaie. 6. Cherubim Genes. 3. collocauit Cherubim ante paradysum & in alijs locis psal. 79. Qui sedes super Cherubim. Thronos, Dominationes, Potestates nominauit Paul. Coloss. 1. Virtutes Ephes. 1. prædicando quod Christus super hos omnes tenet principatum. Angeli pãssim nominantur in vtroque testamento psal. 103. Qui facit angelos suos spiritus. Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem patris. Archangelus. 1. Thess. 4. Dominus in voce Archangeli descendet de cœlo. Beatus Isidorus. libr. 1. de summo bono cap. 12. hos nouem ordines signatos dicit ab Ezechiele. capitulo. 28. sub totidem nominibus lapidum cum de primatu, angeli apostatæ loquebatur. Per dicta conuincuntur duæ hæreses circa angelos. Vna est Dositheatorum post Sadducæos negantium angelos esse in rerum natura, quos Theodoretus libro. 1. hæret. fabularum putat emerxisse ex schola Simõnis Magi, eos sequuntur Libertini hæretici nuper exorti post Caluinum in Gallia & Germania: Marpurgenses imaginantur Angelos esse motus vel affe-

affectiones animorum in nobis, & vocari bonos, quando instant ad bonum, malos quando ad malum. Alia est hæresis Ioãnis Caluini dicentis, angelos non esse distributos per nouem ordines, in ea sunt Erasinus Sarcerius, Rapsodi Magdeburgenses dicentes Dionysium coaceruasse nugas extra scripturæ reuelationem. Diuus etiam Petrus. 1. capitu. 3. nominat Angelos, potestates, & virtutes.

Ordo angelorum, dicitur multitudo cœlestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ simulantur, sicut & in munere datorū naturalium conueniunt. Magister in litera, & explicat nomina ordinum. Vide & Gregorium hom. 34. super euāg. quæ est dominicæ. 3. post Trinit. vbi prosequitur iuxta quas conuersationes, & opera sint homines in quolibet ordine disponendi.

Supposito quod plures angeli possunt cōuenire in specie, refert Bona. hac. d. q. 1. duas opiniones. Vna dicit quod in angelis est diuersitas secundum speciem, & genera subalterna: ita quod Hierarchia est quasi genus, tres ordines tres species, quoniã vn⁹ ordo excedit alium. Alia opinio quod omnes sunt eiusdem speciei: quemadmodū omnes homines. Huic adhæret ipse, qui vbi supra. d. 3. p. 5. non expressit huius opinionis autores, & addit quod sicut in hominibus sunt gradus & ordines quo ad naturalia, & quo ad officia commissa, siue dignitates, & quo ad gratuita saluauitate speciei, sic intelligendum est in angelis. Hanc eius opinionem loco citato reiecinus.

Si angeli eiusdē ordinis sint equales Magister duas refert opiniones. Prima tenet eos esse equales. Alia cui ipse Magister adheret tenet oppositum, quia Lucifer si stetisset fuisset eiusdem ordinis cum multis, & tamen omnibus illis excellentior, quia sicut vnus est ordo apostolorum, & tamē in illis sunt alij alijs digniores, & in cōfessoribus, martyribus, atq; virginibus, ita & in angelis. Huic secūde cōcordat Bona. q. 8. & quod sicut de quolibet sancto pōt dici. Nō est inuētus similis illi eccle. 44. sic tuo modo de angelis. Est tamē maior excessus in angelis diuersorū ordinū quā eiusdē. Ad idē sunt Tho. 1. p. q. 108. art. 3. Ricar. artic. 2. q. 4. qui & ait. Non omnes angeli eiusdē ordinis sunt equipotētes, nec in scientia dirigente, nec in voluntatis perfectione, nec in potentia exequēte officiū ad quod sunt deputati. Allegāt Dionysij. 10. cœlesti.

Proposi. 2.

Proposi. 3.

Proposi. 4.

celest. Hierar. dicentem quod in quolibet ordine sunt primi, medij, & ultimi. Exponit vero Ricar. ipsum Dionys. dicentem. 9. ca. quod Archangeli sunt equipotentes principatibus quod non simpliciter, sed secundum quid, scilicet in quantum sunt ad ministerium idem ordinati in modo recipiendi diuinam illuminationem vel aspiciendi in Deo communes leges, & rationes, quibus regit aliquas partes mundi determinatas.

Propos. 5.

Hæc ordinum distinctio partim fuit à Gratia, partim fuit à natura. A natura initiatiue, à gratia completiue. Ad hanc facit descriptio ordinis in secunda propositione. Facit & litera Magistri capit. Iam nunc. Videatur Bona hac. d. q. 2. Ricar. d. 6. huius. 2. q. 1. Thom. q. 108. arti. 4. Fuit enim angelis data gratia secundum capacitatem, & quantitatem suorum naturalium (quod non est in hominibus.) Ita docet Bona. q. 3. Rica. d. 5. q. vltima. Thom. 1. p. q. 62. arti. 6. Qui tenuerint angelos creatos in puris naturalibus, dicent eos ex naturalibus conuertentes se ad Deum secundum totum conatum intensius, & fortius se disposuisse ad gratiam, & ita maiorem gratiam recepisse. Ratio ad conclusionem est, quia Deus condidit naturam angelicam ad beatitudinem, ergo videtur quod diuersos gradus naturæ angelicæ ad diuersos gradus beatitudinis. Est simile de artifice expoliente lapides ad ædificiū quia ex hoc quod alios pulchrius aptat, videtur in parte honoratiore velle collocare: secundo quoniam angeli, quia non habent impedimentum, eo quod non sint compositi ex parte sensitua, ferebantur tota virtute in Deum, & sic qui erant melioris naturæ conuertebantur vehementius, & fortius.

Propos. 6.

Hæc ordinum distinctio post finale iudicium remanebit quantum ad excellentiam in natura & gloria. Non tamen quantum ad executionem ministerij ad quod sunt ordinati, quia illud est propter electos, qui non indigebunt illo. Clare tamen ab omnibus videbitur qui, ad quæ ministeria fuere deputati. Ricar. hac. d. q. vltima. Tho. q. 108. arti. 7. vbi dat simile de officijs militaribus, Quorum distinctio est in acie, & in triumpho, quamuis ratione diuersa, ibi ut pugnetur & potiantur victoria: hic ut triumphent.

Propos. 7.

Si ex hominibus debeat fieri distinctus ordo in gloria, qui sit decimus Magister dicit quod non: sed quod propterea dicatur para-

decimus ordo completus ex hominibus, quia ex hominibus reparabitur, quod in angelis lapsus est, de quibus tot corruerunt, ut posset fieri decimus ordo. Neque minus ad illos ordines assumetur homines, si angeli non cecidissent, non tamen eo tempore illa assumptio fuisset in reparationem ruinæ angelorum, sed in glorificationem. Hæc est sententia Anselmi lib. 1. Cur Deus homo. Quoniam alias, ut ipse ait, si natura humana facta est propter reparandam ruinam angelorum, nisi illi angeli ab illa beatitudine cecidissent homines ad illam non ascenderent. Item quia nisi natura humana propter se facta fuisset, superabundaret in vniuerso, quod de minimi vermiculi natura dicere non audemus. Alij de quorum numero est Bona. hac. d. q. 7. dicunt quod decimus ordo constituetur figuratus in decima drachma Lucæ. 15. ad quem ordinem assumentur, qui habebunt minora merita, propter quæ non merentur exaltari ad ordines angelorum, sed meritis Christi saluati sunt, pro quorum salute sol Christus per decem gradus descendit, quod figuratum fuit Ezechie regi. 4. reg. 20. tales sunt pueri solo baptismo recepto decedentes, & qui post baptismum fuere Moriones neque aliqua opera fecerunt: imo & illi Christiani qui fuere in via parum feruentes ad merendum. Tenendo istam opinionem de choro decimo apparet manifeste quod saluabuntur plures homines quam fuere angeli cadentes. Beatus Gregorius homil. citata, & refertur à Magistro, dicit quod tot homines saluabuntur quot angeli permanserunt. Atque ex istis opinionibus debet dici, quod cum sint collocandi inter angelos qui habuerint merita propria, & feruentia, tertiaque pars angelorum ceciderit, quod tertia pars hominum assumetur ad reparandam ruinam angelorum: Et alia duæ partes hominum vel constituuntur in choro decimo, & erunt plures saluati ex meritis Christi & proprijs licet remissis, quam ex meritis feruentibus: vel ad ordines angelorum assumetur plures quam angeli cadentes, ne sint duæ partes hominum in choro decimo. Ad hanc Gregorij sententiã vide Anselmum lib. 1. Cur Deus homo. cap. 18. vbi exponit illam Deut. 32. Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel, quia alia translatio habet. Statuit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei. Exponit ergo Anselmus dupliciter. Primo per Israel homines sanctos, quia tandiu erunt populi, & erit in hoc mundo homi-

num procreatio donec numerus electorum compleatur, quo completo, cessabit. Alio modo per Israel, angelos: & hoc dupliciter, quia constituit tot futuros homines sanctos intellectos per terminos populorum, quot sunt angeli Dei: vel intelligendo per Israel tam sanctos homines quam angelos, quod tandiu erunt populi donec numerus angelorum ex hominibus compleatur. Ex dictis infertur rationabilem esse opinionem Durandi in hoc. 2. d. 3. q. 4. ad. 1. quod sunt plures anime futurae, quam angeli. Probat. Tot homines saluabuntur quot angeli perstiterunt, & angeli permanentes fuere plures, quam peccantes ut supra. d. 6. p. 1. sed plures homines damnantur quam saluantur, quia multi sunt vocati pauci electi. Matth. 20. & 7. Angusta est porta quae ducit ad vitam, pauci inveniunt eam, spaciofa quae ducit ad perditionem, & multi intrant per eam. Si dicas quod non est numerus militum eius. Job. 25. Respondeo quod neque etiam est animarum sanctorum quia Ioannes in Apocalyp. 7. vidit turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. Et Genes. 22. dictum fuit Abraham: quia non pepercisti filio tuo propter me, multiplicabo semine tuum sicut stellas caeli, & velut arenam quae est in littore maris. Semine, intellige spirituale quia Abraham est pater fidei omnium creditum. Rom. 4. & 9. Qui filij sunt promissionis est imantur in semine. Illo igitur modo quo angeli dicuntur innumerabiles, dicuntur & anime scilicet quo ad nos: quia Deus & numerat multitudinem milliarum psal. 146. etiam angelorum. Si adhuc instes, quod ordo naturae exigit ut substantiae nobiliores excedant in numero, sicut in corporalibus excedunt in magnitudine. V.g. corpora caelestia excedunt magnitudine elementa. Respondeo dupliciter. Primo quod satis est quod excedant quantitate perfectionis sicut corpora caelestia quantitate molis: sic respondet Durandus. Vel dico secundo quod satis est quod exceperint in prima creatione, quando Deus tantum formavit Adam, & Euam, & quod excedant quocumque die, & anno simul & actualiter, non tamen numerando quae fient successiue. Nunquam enim actu uiuent tot indiuidua humana, quot sunt angelica, usque ad tempus ultimum.

DIS.

DISTINCTIO X.

De missione angelorum, deque nominibus eorum.



Angeli tam boni, quam mali mittuntur à Deo. De bonis probatur. Exod. 23. Mittam angelum meum qui praecedat te. Tobia. 12. Tempus est ut reuertar ad eum qui me misit. Luca. 1. Missus est angelus Gabriel à Deo. De malis probat Alex. 2. p. q. 36. M. 2. ex illo. 3. Reg. vlti. de Angelo decepturo Achab, cui dixit Dominus. Egredere & praeualebis: egressus ille fuit missio: ite psal. 77. immisiones per angelos malos. Vbi dicit glossa quod mali angeli mittuntur. Sed aduerte quod illa glossa neque est, quam dicimus ordinariam, neque interlinealem, nescio tamen quae sit, saepe allegatur ab antiquis glossa, cuius verba non inveniuntur in praedictis. Tertio Matth. 8. Mitte nos in porcos. Ratione probatur. Mitti est ab alio procedere ut sit ubi ante non erat, vel si erat, ut operetur quod antea non operabatur, hoc est ut sit tibi per alium modum, sed angeli ad imperium Dei incipiunt esse ubi non erant, aut operari quod non operabatur, ergo mittuntur. Vide Magistrum in litera. Alex. 2. p. citata. M. ubi & dicit, quod angelus angelum mittit, sed autoritate solus Deus. Vide & scholasticos hic. Tho. 1. p. q. 112. ar. 1.

Omnes angeli mittuntur. Patet ex citata notificatione Missionis. Inde Paulus Heb. 1. dicit omnes esse spiritus administratorios. Quam autoritatem Thomas ibi ad. 1. argumen. art. 2. exponit aliter. Videlicet quod Paulus illi hic solum de illis angelis loquebatur, per quorum ministerium data fuit lex Moysi: ut ergo ostenderet quod Christus autor euangelij est maior angelis per quos data est lex, & sic probaret legem nouam excellentiorem veteri, dixit esse spiritus administratorios omnes illos per quos data fuit lex.

De modo huius missionis, ut de omnibus angelis verificetur tenet, & docet Bona. quod est missio interior, & exterior. Exterior est usque ad nos: interior est unius angeli ad alterum angelum propter nos. Dicit ergo num. 9. quod omnes mittuntur missione interiori, sed non mittuntur omnes missione exteriori: & sic saluat verbum Pauli ponderans, quod non dixit missos omnes

Ii 2 ad

Corol.

Propos. 1.

Propos. 2.

Propos. 3.

ad nos, sed propter nos. Non autem explicat Bona. qui sunt qui mittuntur ad nos. Thomas dicit quod quatuor ordines assistunt Deo, quinque mittuntur ad extra. Vide ibidem. arti. 4. Magister in litera refert tres opiniones. Vna dicit quod omnes angeli mittuntur missione exteriori, sed quia superiores rarissime ad extra mittuntur dicuntur Deo assistere. Hanc sequitur Alex. 2. p. q. 36. M. 3. explicat tamen exteriorem missionem per hoc, quod est quidam usus officij exterior, vt est nunciare, punire, & similia, ad quæ superiores nunquam mittuntur: est aliud officium interius scilicet purgare & illuminare. Ad hoc bene descendunt ad nos superiores, vt ad Isaiam Seraphim. 6. capitu. Ad idem vide eundem. q. 109. M. 1. Hanc improbat Bona. vbi supra, & Thomas. arti. 2. quæst. 112. Est secunda opinio, quod suprema hierarchia semper assistit, infima ad nos descendit, media vero accipit reuelationem, seu illuminationem à superiori hierarchia, & defert angelis inferioribus, possetque non iniuria videri aliquibus quod in hanc sit Bonauentura Ricardus. articulo primo. quæstione secunda. Videtur sentire quod duæ Hierarchiæ infima, & media mittantur ad extra. Principatus ad principes, Archangeli ad prouincias: Angeli ad inferiores personas, sed Angeli de media Hierarchia ad ea opera quæ expediunt regimini vniuersi. Est tertia opinio quod infima Hierarchia sola descendit ad nos videlicet ad illas personas de quibus dixit Ricardus, & hanc tertiam amplector: Et probatur autoritate Daniel. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant, ergo plures assistunt, quam mittuntur, intelligendaque est autoritas multiplicatiue. Thomas qui tenuit plures ministrare quam assistere intelligit autoritatem citato Gregorio partitiue ac si diceretur Millia de numero millium: poniturque numerus ministrantium indefinitus, ad designandum excessum: Assistentium numerus finitus decies millies centena millia, proceditque hoc secundum opinionem Platonicorum dicentium quod quâto aliqua sunt propinquiora vni principio, tanto sunt minoris multitudinis, sicut numeri quâto appropinquât ad vnitatē sunt minores. Ratione probo tertiam opinionem id quod melius est, à Deo est magis intētū, & multiplicatū, vt corpora superiora & celestia sunt maiora, & superexcellētia inferioribus sed angeli assistentes sunt superiores, & perfectiores quam

quam ministrantes, ergo sunt plures, & rationabiliter plures in duplo. ¶ Contra hanc arguitur primo, ex citata autoritate Pauli. Omnes sunt administratorij. ¶ Secundo ex eo, quod ad Isaiam missus dicitur Seraphim. cap. 6. Idemque ad sanctum patrem nostrum Franciscum. ¶ Tertio, quia Michael missus fuit ad extra, & vocatur Daniel. 10. Vnus de principibus primis. ¶ Ad autoritatem Pauli iam patet intellectus. Dat illi interpretationem aliam Magister, quod non intelligat singulos ordines mitti, sed de inferioribus ordinibus singulos angelos.

¶ Ad aliud dicit idem Magister, quod fuit de angelis inferioribus, sed quia missus fuit ad inflammandum, seu consumendum delicta Isaiæ vocatur Seraphim propter operationem, seu effectū, qui ad Seraphim pertinet. Vel potest dici, quod missus fuit mediante Seraphim, vnde & à mittente nomen accepit, sicut Papa vel superior dicuntur aliquem absoluerē etiam si absoluant mediante altero. Hanc tangunt Tho. ar. 2. q. 112. & Ricard. vbi supra. Solutio Magistri deducitur ex Dionysio.

¶ Ad aliud dico, quod autoritas est pro me, quia vocat ipsum principem, id est, de ordine principatum. Vocatur primus, quia in quolibet ordine sunt primi medij, & infimi vt supra dist. 9. p. 4. Si dicas, quod ex victoria cum dracone illi attributa, videtur quod fuerit supremus in coelo, vide infra in vltimis. p.

Angeli quando è coelo mittuntur ad nos localiter mouentur, suntque in loco. Hanc sonant verba scripturæ. Gene. 19. venerunt duo angeli Sodomam, & 18. dixerat, quod apparuerunt tres viri stantes prope Abraham, quod inde se conuerterunt & abierunt Sodomam. 1. Paralip. 2. 1. Stabat angelus iuxta aream Ornā Iebusæi Luca. 1. Ingressus angelus ad eam. Ratione probatur, quia non magis repugnat motus localis angelo, quam animæ se paratæ, sed animæ post mortem transeunt, vel ad cælum, vel purgatorium, aut infernum per motum localem, ergo angeli similiter. Confir. quia anima Christi erat beata & descendit ad inferos, vt est articulus fidei. De motu & localitate angelorum non sunt pauca quæstiones, neque faciles, qui vult videat Alexand. 2. p. q. 32. & 33. Scotum in hoc. 2. d. 2. Thom. 1. p. q. 52. & 53. Annoto autem aliqua breuiter. Primum, quod in isto motu, angeli non acquirunt nouum vbi circumscriptiuum, sed diffinitiuum: ita

li 3 quod

Argum. 1.

Argum. 2.

Argum. 3.

Solutio.

Ad. 2.

Ad. 3.

Proposi. 4.

quòd sicut competit angelo esse in loco, scilicet, diffinitive, ita ei competit moveri ad locum. Sumitur ergo motus localis in angelo extensive pro quanto acquiritur nova presentia ad locum, cui prius non erat. Nam proprie motus localis est ad ubi circumscriptionem. Secundò, quòd quantumvis ex parte mobilis, puta angeli non fit successio in motu, quia angelus non est divisibilis, ut una pars attingat prius locum quam alia, cum non sit quantus, videtur tamen esse successio ex parte medij, seu spatij per quòd transit: non quia mediū illi resistat, sed quia virtus angeli est finita, & non potest quodlibet spatium pertransire in instanti. Alias enim simul esset in termino à quo, & in termino ad quem, sed prius est in termino à quo, & postea in termino ad quem, ergo movetur in tempore, licet hoc sit subito, & non in tempore determinato. Est simile in motu generationis, ubi est prefixus ordo formarum sibi in vicem succedentium, quia non potest agens naturale immediate facere transmutationem. Tertio, quòd angelus non potest moveri ab extremo in extremum nisi transeat per medium quòd probat simile datum de successione formarum, quoniam à prima ad ultimam procedit natura per medias. Neque contra hoc facit, quòd corpus Christi, quòd est in coelo, sine transitione medij est in Eucharistia, quia in illa transubstantiatione corpus Christi non mutatur, neque movetur à coelo ad eucharistiam. Quartò, videtur mihi problema ad partem utramque sustentabile. An potentia motiva angeli sit aliqua virtus distincta ab eius voluntate? quòd non sit videtur tenere Scotus. d. 2. q. ult. ad primum argumentum. Et probatur, quia non est ponenda pluralitas sine necessitate. Secundo, quia in anima nostra non videtur quæ alia virtus sit ut moveat se quando est separata, neque quando est coniuncta, ut moveat corpus, licet bene aliquid sit in corpore quo movetur, & movetur, est vero appetitus aliquis propter motus antecedentes rationem. Tertio, quia in Deo ut moveat alia, non est aliqua virtus executiva distincta à sua potentia, ergo neque in angelis. Partem affirmativam videtur tenere Thomas quòd lib. 6. ar. 2. & probatur. Primo, quia tunc posset angelus movere quòdcumque, & ubicumque vellet, etiam si non sit ibi presens. Secundo, quia intellectus & voluntas sunt distinctæ potentie, quia habent actus distinctos, sed actus voluntatis, & actus potentie motive sunt diversi, ergo di-

versæ

versæ potentie. Tertio, quia non satis est ad motum, velle movere se, nam Petrus volendo se movere ad aliquam horam determinatam aliter se habet in hora qua movetur se, quam quando ante voluit moveri, ergo videtur esse aliqua alia potentia motiva quam voluntas. Quinto dico, quòd ratio existendi angelum in loco non est operatio. Ita tenet Scotus. d. 2. q. 6. & videtur contra Tho. 1. p. q. 5. 2. art. 1. & 2. Et probatur primo ex art. Parisiensi damnato, qui dicebat. Substantie separate sunt alicubi per operationem, & non possunt moveri ab extremo in extremum nec in medium, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut in extremis. Ratione. Angelus prius natura est quam operetur, & non fuit creatus nisi in loco, scilicet, in coelo empyreo, ergo prius est in loco quam operetur. Secundo, quia si Deus ab angelo existenti in loco suspenderet omnem actionem tam immanentem quam transeuntem, sequeretur quòd nullibi esset, consequens est falsum, ergo & illud ex quo sequitur. Falsitas consequentis patet, quia eodem modo tunc distaret, neque magis neque minus, ergo remaneret in eodem loco. Est igitur angelus in loco per suam essentiam, & ita tenuit Alex. 2. p. q. 32. M. 3. Sexto dico, quòd angelus non potest esse simul in pluribus locis, posset tamen per divinam potentiam, sicut potest esse idem corpus, & eadem anima in pluribus hostijs in eucharistia. Septimo dico, quòd an duo angeli esse possint in eodem loco de potentia sua naturali, maius dubium est. Thomas tenet, quòd non. 1. p. q. 5. 2. ar. 3. Alijs forte videbitur quòd sic, quia materia & forma possunt esse simul in eodem loco, & duo accidentia ut albedo atque dulcedo. Tamen de potentia absoluta Dei tenet Scotus. q. 8. d. 2. quòd possunt, & certe nisi teneremus, quod possunt esse duo corpora simul lib. 2. d. 22. p. 5. tam videretur repugnans unum, sicut aliud. Octavo & ultimo dico, quod ea que dicta sunt de motu, & localitate angelorum, est dicendum suo modo de animabus, cum hac limitatione, quòd anima est minoris virtutis ad movendum, quam angelus, & angelus inferior minoris, quam superior. Et si dicas, quòd anime portantur ab angelis. Lucæ. 16. ergo non semoveant. Dico quòd ideo dicuntur portari, quia ipsas angeli comitantur, & non quia non se moveant. Magister in. 1. d. 37. tractat de motu, & localitate spirituum creatorum. Et ibi Bona. & Ricardus.

Angeli

Proposi. 5. Angeli sibi inuicem loquuntur. Probat ex varijs locis scripturæ. Zach. 2. Dixit vnus angelus alteri. Curre loquere ad puerum istum. Daniel. 8. Clamauit angelus & dixit, Gabriel fac intelligere visionem. 1. Corinth. 13. Si linguis hominum loquar & angelorum.

Proposi. 6. Quando angelus loquitur de illo, quod angelus audiens prius non cognoscebat dicitur loquens alium illuminare. Quoniam illuminatio, est alicuius veri manifestatio dicente Paulo. Ephes. 5. Omne quod manifestatur lumen est. Et. 3. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia illuminare omnes. Vnde locutio est in plus, quam illuminatio, quia omnis illuminatio, locutio est, sed non è contra, quia possunt loqui de noto ambobus.

Proposi. 7. Hæc illuminatio alia duo habet nomina, quanuis sub diuersa ratione, scilicet, purgatio, & perfectio. Dicitur illuminatio quantum ad luminis traditionem, & receptionem: purgatio quantum ad nescientiæ remotionem: perfectio quantum ad actualem cognitionem in quam dirigit illud lumen. Ricard. dist. 9. art. 2. quæst. 2.

Proposi. 8. Regulariter loquendo angeli superiores illuminant inferiores, & non è conuerso. Ita docent Alexand. 2. p. quæst. 27. M. 5. Thomas. 1. p. quæst. 106. art. 3. Ricard. d. 9. art. 2. quæst. 3. Dixit enim Dionysius citatus à Thoma, hanc legem esse diuinitatis immobiliter firmatam vt inferiora reducantur in Deum per superiora. Et cap. 15. de Angelica Hierarchia, vt citatur à Ricardo. Si superiores regerentur ab inferioribus esset confusio. Possent quidem Deus de potestate absoluta, quia non implicat contradictionem reuelare aliquid inferiori, & ille inferior loquens de reuelato angelo superiori illud nesciente, diceretur quodammodo superiorem illuminare, ita Scotus dist. 9. littera. L.

Proposi. 9. De facto crediderim mysterium incarnationis notum fuisse aliquibus inferioribus, qui illud alijs superioribus reuelauerunt. Nam Gabriel, vt mea fert opinio, fuit archangelus, (idest, de illo ordine, quorum officium est magna nunciare) qui mysterium incarnationis nouit, atq; reuelauit. Ascendente Christo Domino angeli ipsum comitantes dicebant superioribus qui semper assistunt illud psal. 23. Attollite portas principes vestras à quibus petebant

petebant superiores. Quis est iste rex gloriæ? Isaia. 63. Angeli superiores petebant. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra. Quare rubrum est indumentum tuum? Et quis negat aliquos angelos inferiores cum Christo tunc ascendere cognoscentes mysterium Scotus hac. d. tenens omnes angelos miticum Alexandro. dicit quod Gabriel fuit de superioribus, & quod hæc vox dicta per Isaiaem fuit vox angelorum inferiorum. Paulus. 3. Ephes. dicit. Vt innotescat in cœlestibus per ecclesiam vbi docet, quod per prædicationem apostolorum & ecclesiæ nouerunt aliqui angeli mysterium incarnationis, quare ergo angeli superiores non nosset hoc mysterium per angelos inferiores? Ricard. vbi sup. ad primum argum. exponit hanc autoritatem, quod Christus dominus aliqua reuelabat apostolis per seipsum, quæ ipsi apostoli nouerunt priusquam angeli, & hoc decens erat, quia erat Deus & homo, neq; per angelos sed per seipsum docebat, ideo dicitur innotuisse per ecclesiam. Talis decentia non erat inter angelos, vt prius cognoscerent inferiores & ab eis superiores. Alij quos ipse refert, dicunt, quod angeli per apostolorum prædicationem non didicerunt quæ nesciebant, sed per conuersionem gentium venerunt in veritatis cognitionem: per apostolorum doctrinam per accidens, in quantum per eam gentes sunt conuersæ. Alex. 2. p. q. 26. M. 1. dicit, quod aliqui angeli à principio suæ conditionis cognouerunt, alij non, & qui cognouerant in verbo, cognouerunt postea in proprio genere per ecclesiam. Hinc Paulus. 1. Timo. 3. Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis. Vbi dicit gloss. ordi. Non in Deo tantum innotescit angelis quod absconditum est, sed & hoc apparet eis, cum efficitur atq; propalatur. Eadem verba refert Alex. tanquam August. 5. sup. Genes.

Quid sit Angelum alteri loqui controuersa est quæstio. Ad intellectum controuersæ, nota, quod hoc est ab omnibus concessum, quod intelligibile est in intellectu tripliciter. Primo in habitu sicut species quanuis ea non vtatur, & sic existens, dicitur esse in memoria. Secundo modo est in actu, cum quis vtatur specie existenti in intellectu, & isto modo dicitur quis loqui sibi. Tertio modo per actum voluntatis refertur intelligibile ad alium, & sic est in intellectu vt relatum. In corporalibus ad alios relaturi vt i-

mur organo linguæ & causatur auditio. Vertitur ergo in quæ-
 stionem. Quomodo angeli inter se referunt sua intelligibilia? De
 qua sunt duo modi dicendi celebres. Vnus quod solo imperio
 voluntatis refert angelus suum conceptum alteri, sine hoc, quod
 causet aliquid in angelo audiente, quia intellectus angelinõ est
 passiuus. Hac relatione manifestatur conceptus, quæ manifesta-
 tio in manifestante dicitur locutio, in alio auditio. Ita Tho. 1. p. q.
 107. ar. 1. Tenentes intellectũ angelicũ esse passiuũ dicunt, quod in
 angelo audiente aliquid causatur. Hi diuersificantur. Scotus. d. 9.
 litera. A. tenet, quod angelus loquens causat immediate aliquid
 in angelo audiente: secundum cuius doctrinam sunt tria dicta.
 Primum, quod angelus potest causare in alio angelo actum &
 non speciẽ: quando, scilicet, loquetur de aliquo noto alteri, quod
 & homines faciunt. Secundum, potest causare speciem & non
 actum, sicut nos quandoq; in alio occupato vehementi aliqua
 imaginatione, qui ex auditu non cessat à tali imaginatione, ces-
 sante vero imaginatione recordatur quid alius dicebat. Causata
 ergo fuit in illo species & nõ actus. Tertium, potest causare vtrũ
 que, sicut in nobis doctor causat in discipulo speciem & actum,
 ergo, & angelus si loquatur alteri non habenti speciem alicuius
 singularis causabit speciem & actum. Neq; est inconueniens con-
 cedere, quod intellectus angeli superioris est passiuus respectu
 angeli inferioris, & propterea inferior, vt sit proportio actiui ad
 passiuum. S. Bona. dist. hac. art. 3. q. 1. & Ricardus. d. 9. art. 2. q. 1.
 dicunt aliter, scilicet, quod angelus loquens nihil causat in audiẽ-
 te, sed protendit suam cogitationem ad audiẽtem, & illa species,
 quæ est in intellectu loquentis, protensa ad audiẽtem ipsum ex-
 citat, & ipse audiens propria virtute facit in seipso illammet spe-
 ciem, & suscipit: illammet, intellige, vt ponit Ricardus, scilicet,
 aliam similem, quia talis species cum sit accidens non potest trã-
 migrare de subiecto in subiectum. Bonauent. dicit quod illa co-
 gitatio quæ est verbum in intellectu loquentis, quando proten-
 ditur fit quasi nutus, & verbum exterius apud nos. Idem dixerat
 Alexand. 2. p. q. 27. M. 6. de nutu, quod illa species prout est in
 actu manifestandi dicitur nutus, & quod à verbo seu cogitatione
 non differt realiter, sed ratione. Ricardus videtur ponere simili-
 tudinem quandam, quam angelus protendit ad alium, educen-
 do

do illam de potentia, ad actum sui conceptus. Hic modus dicen-
 di, maxime Ricardi est minus intelligibilis, quia illa similitudo
 educta de potentia ad actum, & protensa ad audientem, aut si-
 gnificat ad placitum, & tunc oportet quærere per quid cognos-
 citur significare, & erit processus in infinitum, & sic arguit Ale-
 xand. contra suos nutus. Aut significant naturaliter, atque tunc
 est mirum quomodo cæteri angeli non cognoscant per illos,
 & sic loquendo vni, loqueretur omnibus. Contra ipsum Ale-
 xand. non currit argumentum cum dicat cogitationem, & nu-
 tus esse idem realiter. Possemus dicere, quod opinio Bonauent.
 forte est media inter Thomam, & Scotum, conueniens cum
 Thoma in illa manifestatione, discordans vero in hoc,
 quod sola manifestatio non sufficit, sed requiritur passibilitas
 intellectus audientis, & in hoc concordat Scoto, dissidet vero,
 quia loquens non causat, sed ipse audiens. Alexand. memb. 7.
 quæstionem mouit, vtrum angelus imprimat in audiente velit
 nolit. Et distinxit, quia in locutione, quæ est per gratiam, hoc
 est, illuminatione, quam vocat per gratiam, vt patet in .M. 5.
 habet potentiam manifestandi, & conuertendi alium ad atten-
 tionem: in locutione quæ est per naturam, est in voluntate au-
 dientis conuertere se ad attentionem, aut non. Quæstio ergo
 hæc est ambigua & perplexa.

¶ Sed pro Thoma sic arguitur. Angeli loquuntur Deo, & tamen
 nihil causant in Deo, ergo neque angeli quando angelis lo-
 quuntur.

*Pro Thom.
 Argum. 1.*

¶ Hoc argumentum posset etiam retorqueri in Thomam, quia
 nihil Deo manifestant.

¶ Posset dici pro Scoto, quod si esset aliquid quod posset cau-
 sari in diuino intellectu, illud causarent: idemque pro Thoma,
 quia si aliquid esset manifestabile manifestarent, quando ergo
 angeli siue animæ suas cogitationes dirigunt ad Deum dicun-
 tur Deo loqui. Si desiderant aliquid à Deo fieri, dicuntur ora-
 re iuxta id psalm. 9. Desiderium pauperum exaudiuit dominus.
 & 20. Desiderium animæ eius tribuisti ei.

Solutio.

¶ Secundo cõtra Scotũ. Ipse fatetur, vt habet sup. d. 8. p. 9. q. natu-
 raliter poterat angelus cognoscere intellectiones, & volitiones

Argum. 2.

Kk 2 alterius

alterius angeli, ergo quando angelus vult, satis est, quod Deus coagat intellectui audientis & hæc erit locutio, scilicet, ex parte loquentis velle manifestare, & ex parte Dei lex, quod coaget, ut audiens videat. Huic respondebit Scotus. d. 9. litera. F. quod non sufficit talis visio, seu cognitio ad locutionem, quia requiritur quod intellectio audientis fiat in eo per alium intellectum exprimentem, & agentem talem auditionem, seu intellectionem.

Solutio

Argum. 3. ¶ Si angelus causaret in altero speciem, posset causare in eo notitiam abstractiuam distinctam cuius non præcessit intuitiua, verbi gratia, vnus habet notitiam abstractiuam de Roma, & alter potest illam suscipere ab alio. ¶ Huic dupliciter respondent Scoti.

Solutio.

Primo, quod non potest causare in alio nisi sicut in se, sed in se non potest causare abstractiuam sine intuitiua, neque intuitiua sine specie. Alij concedunt, quod potest dari abstractiua distincta sine intuitiua, atque sine specie quod plus est. Et quando dixeris quod est contra philosophiam, dicunt quod iste ordo intelligitur in eo, qui debet producere, non autem in illo, qui debet recipere, quia dicit Scotus, quod potest esse visio præcedens auditionem, & auditio præcedens visionem, & quod si audiens habet speciem, species non concurrit, ergo species nihil facit ad auditionem. Sed re vera in opinione Scoti cum gratia & cætera accidentia creentur, mirum est, quomodo Angelus producat & causet speciem in alio, sine hoc quod creetur, aut quomodo illam speciem educat de potentia alterius intellectus. Atque etiam quomodo poterit angelus audiens scire, quod illa species, vel actus causetur in se plus à Gabriele, quam à Michael, si ambo sunt præsentis. ¶ Sequitur ex opinione Scoti, quod agens agat in extremum non agendo in medium. Concedit Scotus hoc arg. litera B. quia medium non est natum recipere actionem eiusdem rationis. Debet idem argumentum solui ab alijs, quia quomodo cunq; angelus intelligat immutatur audiens, & nihil producit in medio. Exemplum est de sole generante vermem in terra, & actione generationis non agit in medium generando vermem in aere.

Pro Scoto.

Argum. 1. ¶ Si angelus nihil causat in alio angelo, alter potest non audire, & sic oportet querere quomodo cogere possit vnus alterum ut audiat.

¶ Secun-

Secundo quia esto quod in communi locutione posset vnus non audire ut fatetur Alex. si Deus imperet Michaeli ut illuminet Gabrielem, aut alterum qui nolit acquiescere, vel sit malus angelus, vel saltem essent in naturalibus, ut non se conformaret diuinæ illuminationi, debet esse in Michael potestas aliqua ad cogendum alium, & producendam in eo notitiam, & auditionem. Tertio. Hoc est certum quod vnus angelus potest ligare alium angelum sicut Tobia. 8. Raphael ligauit Asmodeum in deserto superioris Egypti, & Christus Dominus Lucæ. 11. dixit se non eijcere dæmonia in virtute alterius dæmonis, & petiuit. Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia filij vestri in quo eijciunt? Vbi non negauit imo concessit posse vnum dæmonium, aliud pellere de loco suo. Atque ita boni Angeli malos expulerunt de coelo: Sed virtus motiua angeli vel est sua voluntas, ut supra, vel saltem quæcunque virtus sit, est virtus spiritualis. Sicut ergo Michael potest angelum inferiorem etiam nolentem ligare infra suæ actiuitatis spheram ut quandiu est præsens Michael non possit se mouere, quare ergo non poterit causare in eius intellectu, saltè actum intelligendi circa illam speciem, quam iam angelus alter habet, & sic eius intellectum conuertere ut audiat, & intelligat quæ Michael vult? Hæ tres difficultates sic currunt contra Bonifacium contra Thomam. ¶ Ex dictis patet quomodo potest vnus angelus loqui vni, & non alteri: puta referendo suam cogitationem ad vnum, & non ad alterum: vel causando in vno & non in alio. Patet etiam quod requiritur debita distantia quia virtus illorum est finita non potens operari in quacunque distantia, ut docet Scotus. d. 9. q. 2. contra. 4. arti. & ibidem litera. C. q. est contra Tho. 1. p. q. 107. art. 4. illa tamen distantia dicit Alex. 2. p. q. 27. M. 7. quod non debet intelligi localis, sed spiritualis quæ nos latet. Quæ Alexandri sententia ex eo probabitur, quia Angelus non dependet à loco neque requirit illum ad suam existentiam, ergo neque ad suam operationem. Antecedens probatur quia si esset vacuum, vel modo existente angelo in loco Deus destrueret locum maneret angelus in vacuo, & si esset, posset angelus ponere se in vacuo. Potest etiam angelus loqui pluribus angelis sicut potest homo pluribus hominibus, non tamen omnibus.

*Argum. 2.**Argum. 3.**Corol.*

Angeli habent nomina, ut Michael, Gabriel, Raphael, Quæ *Proposi. 11*
Kk 3 omnia

Quod sit de infimo choro probatur, quia illi secundum Grego-
conuenit infima nuntiare, sed in officijs angelorum videtur mi-
nimum custodire priuatam personam. Verisimile est reuelatio-
nes speciales priuatarum personarum siue in scriptura, siue alijs
factas fuisse per angelos proprios earum, vt. V. g. Raphael quod
fuit angelus custos Tobix, Seraphim qui apparuit beato Franci-
sco fuerit eius custos. ¶ Ex hac apparet quanta sit multitudo an-
gelorum, quando ex vno solo choro tot angeli sunt inter nos,
quot homines. Neque est verosimile chorum illum manere de-
solatum, vt semper assistant, & nascentibus hominibus possint
alij deputari ex illo choro ad custodiam.

Corol.

Propos. 3.

Angelus custos non deserit quem custodit vsque ad finem vi-
te. Probatur: quia vsque tunc est necessaria sua custodia. Tam re-
spectu boni acquirendi, augmentandi, & conseruandi: quam ma-
li euitandi, aut minuendi, & hoc tam quo ad corpus, quam quo
ad animam. Intelligit non deserit quantum ad custodiam, quia
quantum ad actualem presentiam potest ire in locum distantio-
rem, pro vtilitate custoditi, cernitque in diuina essentia qua-
do sua presentia erit necessaria. Vel posset alteri suum officium
commendare, vt si duo homines simul vadunt potest angelus al-
teri vices suas committere quandiu societas durabit. Quod dici-
tur Hier. 5. dixisse angelos curauimus Babylonem relinqua-
mus eam. Et Damascenus citatus a Bona hac. d. num. 26. quod
Antichristus carebit angelorum praesidio, intelligi debet respec-
tu boni, quia desperata promotione boni desinit procurare bo-
num: sed malum procurat quod sit minus, ita Antichristus plura
mala faceret nisi ab angelo custode impediatur: vel potest dici
deserere respectu poenarum quas non repellit, vt tribulationes,
damna temporalia. Sic Isaia. 5. dicitur. Auferam sepem eius, id est,
angelorum custodiam: quia relicta fuit domus Israel in potesta-
te aduersariorum.

Propos. 4.

A principe daemoniorum deputatur etiam homini alter an-
gelus malus in exercitium. Magister in litera, citato in hanc Gre-
gorio. Hic nobis procurat omnia mala etiam mortem corpora-
lem, & spiritualem, & quia homicida ab initio: Ioan.
8. & hoc vsque ad mortem. Vnde glossa ordi. Tobix. 6. dicit qd
domino in cruce passo diabolus aduenit quaerens si quid peccati
habe-

haberet. Ioan. 14. Venit princeps mundi huius & in me non ha-
bet quidquam.

Homo in quantum persona publica, ultra proprium angelum
habet alium ratione officij, possetq; habere decem, & viginti se-
cundum officia plura dignitatum officiorum, aut principatuū.
Ratio est quia indigent peculiari auxilio, & maiori illuminatio-
ne. Conuenit ergo angelis custodire priuatas personas, & alia exi-
gua, vt arces, villulas, vicos. Archangelis, episcopos, Archiepisco-
pos, Diceceses, Ducatus, & amplas congregationes. Principibus,
reges, regna, imperatores, Romanum Pontificem.

Propos. 5.

Christus Dominus non habuit angelum custodem, quia illo
non indigebat & cum angelorum custodia ultra ministeriū, im-
portet quandam praesidentiam respectu hominum. Illam non po-
tuit habere respectu Christi. Habuit tamen angelos plurimos in
ministerium ex die Natiuitatis, quando, Gloria in excelsis decan-
tauerunt. Lucæ. 2. Matth. 4. & accesserunt angeli & ministra-
bant ei.

Propos. 6.

Angelus facit illa tria, posita in d. 10. p. 7. circa hominem scilicet
purgare, illuminare, & perficere. Non tamen causat actualem in-
tellectionem, neque speciem intelligibilem immediate, & vt tota
lis causa. Potest tamen amouere impedimentum circa virtutem
phantasticam, si erat perturbatio humorum, vel spirituum. Ra-
tio huius est quia pro statu isto intellectus noster determinatur
ad phantasmata, sine quibus non possumus intelligere. Vide su-
pra. d. 8. p. 7. atq; Scotum hac. d. 11. Qui ex hac infert litera. B.
quod angelus non potest aliquem intellectum rapere ad visionē
intellectualem, & quod omnis raptus factus virtute diaboli est
praecise ad aliquid intense imaginandum, neque ibi est intellectio
aliquis mere intelligibilis non imaginabilis. Perinde est in rap-
tu ad quem se homo disponit per consuetudinem. Ideo Bernar-
ser. 5. 2. in cantica. Cupiditatibus viuendo non teneri humane virtu-
tis est, corporum similitudinibus speculando non inuolui, an-
gelicæ puritatis. Vtrunque tamen diuini muneris est.

Propos. 7.

Corol.

Angelis bonis quando apud nos sunt nil suæ gloriæ deperit,
semper enim vident faciem patris Matth. 18. Neque propterea
quod pereat ille quem custodiunt aliquod damnum aut tristitiā
incurrunt: si saluetur gloria eorum substantialis non augetur, li-

Propos. 8.

cet bene gloria accidentalis gaudij. Angelus enim est beatus in quem non cadit tristitia, quæ causatur ex his quæ nobis nolentibus accidunt. Volunt enim salutem sui clientis tamē diuina prædestinatione supposita, & meritis, ideo neque tristatur, neq; aliquid euenit contra voluntatem eorum quæ pendeat ex conditione, neque ipsorum desiderium frustratur. Illud Isaię. 33. Angeli pacis amare flebunt, vel intelligitur de nuntijs Ezechiaę regis qui fleuerunt ob verba Rapsacis. 4. Reg. 18. in sensu literali, vel de Apostolis & alijs prælatis in sensu allegorico, de angelis beatis in sensu Anagogico, sed per metaphoram signando quod volunt hominum salutem, sicut de Deo. Gene. 6. dicitur tactus dolore cordis intrinsecus quia ad modum se habuit dolentium, qui dolent quæ fecerant, ita angeli. sic nostram salutem desiderant, & procurant sicut faciunt homines quando laborant, & flent pro illis quæ desiderant. Non enim aliquis angelorum negligentia perit, quicquid possunt pro nobis agunt.

Propos. 9.

Inter angelos custodes non est discordia cum sint Deo conformes, & etiam inter se: per metaphoram dicuntur sibi resistere, & secum pugnare, quia quilibet procurat negotia sibi commissorum, qui in suis negotijs sunt diuisi. Vt si duo orant contra riam quilibet angelus orat pro suo cliente vt à Deo audiatur, quousq; sciunt certitudinaliter quid Deus magis acceptet. Hoc signatum fuit Danielis. 10. in resistentia Principis Persarum & Gabrielis quia Gabriel petebat quod audiretur oratio Danielis pro liberatione populi Iudaici, princeps Persarum videns ex detentione populi Iudaici apud Persas commodum spirituale ipsis Persis accresci ex exemplo suæ bonæ conuersationis postulabat detineri. Et hoc supposito quod erat angelus bonus secundum quod sensit Gregorius. Secundum Hieronymum quæ refert Alex. erat angelus malus. Vide. M. 6. art. 3. q. 4. cuius opera fiebat quod adhuc populus peccata haberet pro quibus mereretur adhuc detineri. Idem angelus custodit plures homines siue eodem tempore simul, siue diuersis. Magister in litera. Iam supra habes quod vnicuique est deputatus suus angelus, & hoc est longe probabilius, relinquebat enim Magister sub dubio si erant tot angeli, quod sufficerent ad custodiendam cuiusque hominis dari singulos, sed quod sicut vnus Abbas, & Episcopus prescitur pluribus, ita & vnus angelus. Hoc de Archangelis & principibus

bus dici bene potest, qui deputatur pro pluribus in ciuitate existētibus, aut castro. Diuersis temporibus ita fit: quod mortuo aliquo homine angelus reuertitur ad assistendum in celo quousq; sibi mandatur alterius custodia.

Beatus Michael, quæ diximus esse principem, quandoque vocatur Archangelus id est, angelorum princeps, quoniam hoc nomen angelus, est nomen officij. Quando de celis ad annuntiandum hominibus mittitur, ex ipsa annuntiatione angeli nominantur, hoc est nuntij: Attribuuntur illi aliqua supra ceteros angelos. Primum quod est prepositus paradisi. i. Ecclesie sicut fuit olim Synagoge. Secundum quod sit iudex animarum in morte, & iudicio particulari. Vnde canit Ecclesia. Archangele Michael constitui te principem super omnes animas suscipiendas, & pingitur cum libra. Hoc sic intelligo quod angeli particularium hominum fidelium in eorum morte recurrunt ad sanctum Michaelē, vt ab eo de salute aut de damnatione ipsorum illuminentur, Vt animam dimittant demoni, vel secum in paradysum ducant. Nam quod Christus ad mortem cuiusque hominis veniat ipsum iudicaturus, non est certum, imo verisimilius oppositum potest esse quod sicut alij à Michaelē, ita Michael à Christo homine de illorum salute illuminatur. Cui pater dedit omne iudicium Ioan. 5. scilicet generale & particulare. Tertium, quod vicit Luciferum Apocaly. 12. Quartum quod in fine seculi veniet in adiutorium populo Dei Daniel. 12. & vincet Antichristum, & deferet vexillum crucis ad iudicium, ideo vocatur Signifer.

Duodecim sunt effectus angelice custodie Primus pro delictis increpare iudicium. 2. eduxi vos de Aegypto, & non audistis vocem meam.

Secundus. A vinculis peccatorum absoluere, intellige dispositiue, sicut ad presentiam angeli ceciderunt Petri catenæ. act. 12.

Tertius, Impedimenta ad bonum auferre, signatus Exod. 12. vbi Angelus percussit primo genitum Aegypti.

Quartus arcere demonem, vt Tobia. 8. cōpescuit Asmodeum. Quintus docere intus, & illuminare. Dan. 9. Egressus sum vt docerem te.

Sextus. Secreta reuelare. Genes. 18. Nunc celare potero Abraham. Septimus. Consolari afflictos Tobia. 5. forti animo esto.

Octauus. In via Dei confortare. 3. Reg. 19. surge, comede, grandis tibi restat via, dixit angelus Helia.

L1 2 Nonns.

Propo. 11.

Propo. 12.

Nonus: In via deducere & reducere Tobia. 5. ego ducam, & reducam. Decimus. Hostes deicere, Isaia. 37. Angelus Domini percussit in castris Assyriorum. Undecimus, Tentationes mitigare signatus Genes. 32. in foemore Iacob percusso ab angelo, cui & neruus emarcuit.

Duodecimus & vltimus orationes nostras ad Deum ferre Tobia. 12. Ego obtuli orationem tuam domino. Hoc est, orando vt acceptaret illam, consului quid super eam vellet disponi. Apocalypsis. 8. Data sunt angelo in censa multa, vt daret de orationibus sanctorum. Act. 10. Dixit angelus Cornelio. Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, Quæ verba tractans Origenes Hom. 11. super numeros ait. Inuenimus Cornelium antequam doctrinam verbi Dei, vel gratiam baptismi susciperet à Petro, audisse ab angelo, quia oratiões eius & eleemosynæ ascendissent ad Deum, vnde & per ipsum angelum videtur Deo primitiæ oblatas esse Cornelius. Hæc Origenes. Glossa interlinealis super id Matth. 18. de ingrato seruo qui suffocabat debitorem, videtes autem conserui quæ fiebant, narauerunt Domino suo, ait, idest, angeli qui referunt Deo gesta hominum. Per hæc reuincitur hæresis Mathiæ Flacci Illyrici: & Ioannis Vvigandi aliorumq; Centuriatorum qui in suis Centurijs negant angelos offerre Deo nostras orationes. Caluinus & Hugnostici negant angelos colendos & inuocandos, contra quos faciunt exempla sanctorum, quia Genes. 18. & 19. Abraham & Loth, angelos adorauerunt, & 32. rogauit angelum Iacob, & Osee. 12. Item Genes. 48. dixit Iacob Angelus qui eruit me benedicat pueris istis. Iob. 5. Ad aliquem sanctorum conuertere, idest, angelorum, vt habet translatio. 70. quos per domini nostri Iesu Christi gloriam oratos & obtestatos velim, vt nostri recordentur, petitionesq; nostras Deo offerant, optata cum Dei benedictione referant, quò pro acceptis,

Deum & ipsos fratres nostros aliosque supernæ

Hierusalem conciuēs exal-
temus.

DIS.

DISTINCTIO XII.

De productione materiae, quæ est principium creaturæ corporalis.



DE materia creaturæ corporalis an sit in omni creatura corporali, & eiusdem rationis triplex opinio refertur à Nicolao Lyrano super primum capitulum Geneseos, & à Gabriele hac. d. q. 2. Prima est commentatoris de substantia orbis dicentis, quòd cœlum non habet materiam, sed est substantia simplex. Ratio sua erat, quia sola transmutatio substantialis arguit materiam, quæ est pars substantiæ, sed in cœlo non est possibilis talis transmutatio, ergo ibi non est materia. Hanc sequitur in hac. d. q. 1. Durandus tãquam probabiliorem. Ita quod est simplex non solum simplicitate opposita mixtioni, per quem modum elementa dicuntur corpora simplicia, sed etiam opposita compositioni.

¶ Secunda opinio ponit in omnibus corporalibus materiam sed diuiditur, quoniam quidam dicunt materiam corporum cœlestium non esse eiusdem rationis cum materia elementorũ. Hanc tenet Alexand. 2. p. q. 44. M. 2. Bonauent. hac. d. nu. 24. Ricard. q. 8. huius. Sequitur Thomas. 1. p. q. 66. ar. 2. Fundamentum stat in hoc, quòd materia de se est in potentia ad formas cum priuatione illius quam non habet, sed si materia cœli esset eiusdem rationis cum materia corruptibilium erit simul sub forma incorruptibili, qualis est forma cœli, & sub priuatione formæ corruptibilis ad quam habebit potentiam, ergo idem erit simul corruptibile & incorruptibile secundum naturam, quod est impossibile. Caietanus ibi, plus explicat, videlicet, quod tot sint materiæ speciei differentes, quot sunt cœli, ita quòd materia cuiuslibet cœli non habet potentiam nisi ad solam formam sui cœli.

¶ Tertia opinio dicit materiam cœlorum, & aliorum corporum esse eiusdem rationis. Hanc tenet Scotus. d. 14. huius. q. 1. & impugnat ambas præcedentes, sequitur Ocham. q. 22. huius. Neq; Scotus contradicit sibi. lib. 1. d. 3. q. 3. litera. C. quia illic arguit ad hominem ex concessio à Thoma quòd cœli materia differt à ma-

L1 3 / teria

Propos. 1.

teria mixtorum. Ad hanc est vna ratio, quia alias essent duæ materiz primæ alterius, & alterius rationis, quod est falsum, quia non sunt duo fines primi, neq; duo efficientes primi alterius rationis, ergo neq; duæ materiz. Gabriel quamlibet dicit probabilem, soluitq; argumenta cuiusq;. Concessionē Caietani de multiplici materia celi deduxit Scotus pro inconueniēti. d. 14. q. 1. in reportatis, quod essent tot materiz, quot corpora celestia, vel omnia illa corpora essent eiusdem speciei, cum operationes tamen appareant contrariæ.

Propos. 2. Materia prima non fuit creata per se, hoc est, nudata omni forma. Ita docet Magister. Refertq; sententiā August. dicentis, quod informitas materiz corporalis non præcessit tempore formationem. Refert aliam Hieronymi & Gregorij volentium informitatem materiz præcessisse formationem tempore, sed interpretatur Magister, quod eam vocant informem, quia nondum erat pulchra, apertam, distinctamq; formam habens, vt modo cernimus. Per hanc interpretationem Thom. 1. p. q. 66. art. 1. dicit has opiniones parū ab inuicē differre, quoniam August. sumpsit informitatem pro carētia omnis forme, alij pro carētia formolitatatis. Alex. 2. p. q. 44. M. 1. sentit ipsos tenuisse materiā factā sine omni forma, & pro vtraq; opinione facit rationes, & soluit.

Propos. 3. Non implicat contradictionem materiam per Dei potentiam esse sine omni forma. Hanc tenet Scotus hac. d. q. 2. Ricard. q. 4. quia sicut potest Deus facere accidens sine subiecto in sacramento altaris poterit facere materiam sine omni forma tam substantiali, quam accidentali. Possunt pro Scoto afferri doctores tenentes materiam creatam sine omni forma. Contrarium huius tenuit Alexand. 2. p. quæst. 44. M. 2. argumento. 7. ante oppositū, & Bona. q. 1. huius, sequitur eos Thomas. 1. p. q. 66. art. 1. vbi ad tertium argument. dicit magis repugnare materiz esse sine forma, quam accidenti esse sine subiecto, quia accidens cum sit forma, est actus quidam, materia secundum id, quod est, est ens in potentia.

Propos. 4. De forma, sub qua creata est materia, variè dicendum est iuxta varias opiniones. Tenentes materiam celi esse alterius rationis, debent dicere celos fuisse creatos sub forma completa. Alias enim illa materia habuisset aliquando formam corruptibilem, & fuisset

& fuisset in appetitu ad incorruptibilem, quod apud ipsos est contradictio. Alij vt Strabus, & Beda, quos refert Lyranus vbi supra dicunt materiam omnium corporum creatam sub vna forma communi in genere substantiæ, vtpote corporeitatis, & diebus sequentibus distinctam secundum diuersas partes per formas específicas, tam coelestes quam elementares. Hæc opinio fauet opinioni Scoti de vnitatem materiz, sed impugnatur à Ricard. do. quæst. 6. dicente phantasiā irrationabilem ponere corpora elementaria, & corpus quintum, puta coelum, facta ex corpore sexto. Alij vt Augustinus quem refert Ricardus citata quæst. 6. dicunt, quod Deus ab instanti temporis fecit corpora coelestia & elementa, & hypostasēs specierum animalium sub suis formis completis, atq; illi sex dies sint vna dies spiritualis, id est, angelica cognitio, de qua habes supra. d. 3. p. 15. sexies repetita secundum diuersa genera, quæ angeli cognoscebant. Et ita secundum Augustinum, quamuis creatio & distinctio sint diuersæ tamen fuere simul, vide Alexand. 2. p. q. 29. M. 1. art. 7. in. 4. argumento. & q. 44. M. 1. Hanc Ricardus reputat probabilem Bona. nu. 11. dicit esse rationabilem, & valde subtilem, quia dicitur Eccl. 1. 8. Qui viuit in æternum creauit omnia simul, quia mora temporis interiacentis nullius esse videtur utilitatis, vel necessitatis, fatetur autem alios doctores communiter qui præcesserunt Augustinum, & qui secuti sunt posuisse omnia materialia & corporalia simul esse creata in materia, sed per dierum senarium esse distincta in forma. Ita sentit Magister in litera, vide Ricardus tenet materiam celi empyrei creatam sub forma completa, materiam aliorum corporum non, sed partes illius molis creatas sub formis incompletis illorummet corporum, quæ per sex dies facta sunt, videtur autem differre ab opinione Strabi & Bedæ citata (quanuis Bedam citet pro se,) quia illi ponunt materiam sub vna forma communi in genere substantiæ. Thomas. 1. p. quæstione. 66. artical. 4. ait communiter dici quatuor esse primo creata. Naturam angelicam, coelum empyreum materiam corporalem informem, & tempus. De coelo autem empyreo dicit art. 3. non inueniri positum nisi per autoritatem Bedæ: & Strabi. Alexander de Hales. 2. p. quæstione. 29. Memb. 1. artic. 7. argumento. 3. dicit secundum August. hæc

hæc esse coæua cœlum, tempus, motus, & materia prima. Et cum dicat ibidem ex eodem Augustino per cœlum intelligi naturam angelicam informem, fere recidit in idem, quod Thomas refert, hæc de opinionibus.

Propos. 5. Ex dictis patet intellectus illius. In principio creavit Deus cœlum, & terram, nomine cœli capiendū cœlum empyreum angelis plenum, vel omnia corpora cœlestia. Nomine terræ materiā illam communem, quam etiam vocat Abyssum, id est, immensam profunditatem, quia confusa erat, & commixta, specie distincta carens. Terra autem erat inanis & vacua, vel secundum aliam literam inuisibilis, & incomposita, quia materia per formā cognoscitur, eratq; aquis cooperta, neq; ornata plantis. Locutus est Moses rudi populo, ideo per ei nota, scilicet, terram & aquā, expressit illam communem materiam. Non debemus intelligere per hanc commixtionem illud poetarum chaos, de quo Ovidius in principio Metamorphoseos, puta multitudinem formarum indistinctarum, & contrarietatem in partibus materiæ, ex quibus erat tantum illud chaos & confusio ex poetarum figmento. Vide Bonavent. hac. d. numero. 17. & Ricard. quæst. 6. citata.

Propos. 6. Illa prima rerum moles siue materia quando creata fuit, in eo loco prodijt, & creata est, vbi & nunc subsistit. Ita quod cœlum empyreum & quæ intra illum continentur, ibidem formata sunt secundum materiam vbi nunc sunt, & materia terræ vbi nunc ipsa terræ est, & sic de alijs. Magister in litera.

DISTINCTIO XIII.

De distinctione & ornatu lucis, Hoc est de opere primæ diei.

Propos. 1.



Verbum illud Genesis. 1. Dixit Deus, fiat lux dupliciter exponitur. Primo ab Augustino dicente, quod nomine cœli, quod dicitur à Deo creatum, natura intelligitur angelica, quia non conueniebat, quod Moses præ-

prætermitteret spiritualis creaturæ productionem. Per formationem lucis intelligitur ipsius angelicæ naturæ formatio, per hoc quod illuminatur vt adhæreat Deo. Alij volunt quod illa lux fuerit corporalis, quæ anteproductionem solis fecit tres dies. Ita Magister in litera. Ricard. hac. d. q. 1. dicit, quod expositio Augustini fuit Allegorica, quia ad literam nomine cœli intelligitur cœlum empyreum, nomine Lucis lux corporalis. Chrysostomus homil. 2. super Genesim dicit, quod Moses nihil de inuisibilibus virtutibus differit, dicens in principio fecit Deus angelos vel archangelos. Iudæis enim loquebatur pronis ad idololatriam, ne ergo colerent angelos pro Deo, & plures tanquam plures Deos subtrahit Moses angelorum creationem. Vide Bon. hac. d. q. 1. sequentem hanc secundam expositionem.

Propos. 2. Lux illa, imo & quælibet alia lux non est substantia, sed qualitas. Probat ex Damasceno lib. 2. Orthodoxe fidei. cap. 7. Lumen accidens magis quam substantiam indicat. Ratione sic. Substantia non est per se sensibilis, lux vero est sensibilis, id est, visibilis, ergo non est substantia. Secundo substantia non recipit magis, & minus, vt patet in prædicamentis cap. de substantia, sed lux suscipit magis & minus. Isaia. 30. erit lux Lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septemplex, sed forma substantialis solis, & Lunæ non augebuntur, quia habent illam in complemento, ergo lux non est substantia. De hac doctores hac. d. vt Scotus Bonavent. Ricardus, & Thomas. 1. p. q. 67. art. 2. & 3. Vide & Arist. 2. de anima cap. 7. de potentia visus, vbi dicit quod lumen est actus perspicui, qua ratione perspicuum est. Vbi & docet, quod lumen non est corpus, quoniam essent duo corpora simul, quod est inconueniens, nam lumen est simul cum aere, & aqua. Aliam rationem facit Bona. ad conclusionem. Lux est de constitutione coloris, quia color non est nisi lux incorporata, ergo est qualitas accidentalis. Probat consequentia, quia de constitutione accidentis non potest esse nisi accidens. Hæc ratio alijs non placet, vt potest videre in Ricardo. hac. d. q. vltima in qua petit, si lumen sit de essentia coloris. Et ponit opiniones, vna dicit, quod non lumen, sed lux, non cœlestis sed elementaris est de essentia coloris. Alia opinio dicit, quod color nihil aliud est quam lumen in superficie corporis terminati, vel aliquid quod non est in eo nisi præsentem lumine.

lumine. Tertia dicit, quòd color neq; est lumen, nec lux naturalis corporis colorati, sed qualitas educta de potentia materiæ corporis colorati, quæ lucem imitatur, & aliquid de proprietate lucis participat. Ad hanc refertur Arist. loco citato dicens, quòd omnis color est motius eius, quod est perspicuum actu, & idest ipsius natura. Habet enim in se causam vt sit visibile, non tamen est visibile absq; luce.

Propos. 3.

Lux pertinet ad tertiam speciem qualitatis, quæ est passio vel passibilis qualitas. Secundum Scotum hac. d. differunt lux, & lumen, quia lux est qualitas sensibilis, lumen intentio, seu species lucis, prout intentio dicitur illud, per quod tanquam per principium formale sensus tēdit in obiectum, quemadmodum species sensibiles sunt intentiones. Probat, quia quod est tantum sensibile, & non ratio sentiendi, si ponatur supra sensum impedit sensationem. 2. de anima. tex. com. 73. & 75. seu cap. 7. lumē autem, siue lux posita supra pupillam facit sensationem & visu percipitur, ergo est ratio sentiendi. ¶ Contra hanc est argu. D. Thomæ quia lumen causat effectus naturales tam in medio calefaciendo aerem & denominando illum luminosum, quam in cæteris corporibus calefaciendo illa, imo & corrumpendo organum visus, ergo nō est intentio, quia intentiones nō causant trāsmutationē.

Argument.

Solatio.

¶ Huic argumento respondet Scotus, quòd est simul res, & intentio, & quia est res habet effectum realem: quæ non habent esse nisi intentionale, vt sunt illa quæ habent esse per operationem intellectus, non habent effectum realem. Per hoc concordat Scotus & Thomam dicendo, quòd Thomas tantum velit, quòd nō habet esse pure intentionale, hoc est, quòd lumen sit tantum species, vnde Caietanus ibi, scilicet. q. 67. ar. 3. dicit, quòd esse luminis, neque est pure intentionale, neq; naturale prout distinguitur contra intentionale, sed est vtrumq; & neutrum. Et annota, quòd lux sequitur corpus lucens, quoad esse & quoad agere, vnde lux solis communicata Lunæ, vel alijs stellis ita eis imbibitur, quòd agit secundum proprietatem stellarum in quibus est, causans effectus secundum stellas à quibus reflectitur.

Propos. 4.

Modus quo per illam lucem dies, & nox fiebant ponitur diuersus à Græcis, & Latinis, Basilius, hom. 2. Hexameron, & Damascenus lib. 2. cap. 7. dicunt, quòd per effusionem, & contractionem

tionem splendoris ad præceptum Dei. Potest afferri exemplum scripturæ Exod. 10. de tenebris factis in terra Ægypti per tres dies, cum tamen in terra Iessen, vbi habitabant filij Israel lux esset, imo & omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine Sapient. 17. ab Ægyptijs verò radios suos sol retrahebat. Alia est opinio Latinorum, quòd illa lux faciebat diem & noctē suo motu, sicut sol per præsentiam, diem, quia dies est latitudo solis super terram, per abscissum noctem, quia nox est priuatio Solis. Incepit autem moueri ab illa parte ad quam deuenisset, si creata fuisset in eodem instanti cum materia, & ex tunc incepisset moueri. Vide Bona. hac. d. num. 14. vbi & dicit, sed dubitando, quòd forte tempore passionis Christi obscuratio solis facta fuit per radiorum retractionem. Sed tu dic quòd non, verum per subiectionem lunæ ad solem. Cum enim tempore passionis esset plenilunium, lunaque opposita soli, relicto naturali cursu redijt ad meridiem vsque quo se soli subiecit. Quo miraculo viso beatus Dionysius tunc Athenis philosophus exclamauit. Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluitur. Propter quod miraculum dedicata fuit Athenis ara ignoto Deo, ipseque Dionysius facile credidit ad Pauli prædicationem, vide act. 17.


De loco vbi facta est ista lux duplex opinio est. Prima, quòd facta fuit in meridie, quia prius faciebat vespere, & postea mane. Secundo, quia Dei perfecta sunt opera, ergo fecit lucem in sua plenitudine. Si dicas, quòd tunc ille dies non fuisset vsque ad mane viginti quatuor horarum, quia erat æquinoctium, & decerant sex horæ à mane ad meridiem, respondetur, quòd illæ sex horæ præcesserant à formatione materiæ: quæ computatæ cum alijs decem & octo faciunt viginti quatuor. Alia opinio dicit, quòd illa lux cepit in oriente, neque fuit prioritas temporis à creatione ad distinctionem, sed naturæ. Si contradicatur, quòd tunc debuisset dies incepisse à mane, & non à vespere dicendo factum est mane & vespere, Respondetur, quòd mane dicitur respectu noctis, est enim finis noctis: vespere dicitur respectu diei, cuius est finis, quia ergo non præcesserat nox, & dies debebat esse naturalis. 24. horarum, idcirco vt diem, & noctem comprehenderet dictum, fuit factum est vespere & mane, vide Bona vbi supra.

Propos. 5.

Propos. 6. Tenendo omnia simul fuisse creata, vel quod corpora coelestia non habent eandem materiam cum alijs, potest dici, quod hæc lux fuit lux solis, quæ postea in quarto die formata sit, & perfecta. Hunc modum dicendi sequitur Tho. 1. p. q. 67. ar. 4. ad. 2. est alius secundum Magistrum in litera, quod ex illa luce quæ erat quædam nubes lucida factus sit sol. Hunc modum sequitur Alex. 2. p. q. 46. M. 5. art. 3. Bona. nu. 4. & 13. sed addunt quod non solus Sol factus est ex ea, verum omnia luminaria. Alium modum tangit Magister, quod illa lux fuerit cõiuncta soli, & eius fulgorẽ adauxerit. Hunc modum impugnat Bona. cum alio qui dicebat, quod factis luminaribus redierit in preiacentem materiam, quia est contra rationem & literam, quod Deus destrueret, aut sineret perire aliquod opus principale sex dierum, ergo nõ redijt in materiam. Itẽ difficile est assignare quem effectum haberet cõiuncta soli, & sic superflueret quod in operibus Dei est inconueniens. Ad expositionem literæ Magistri quomodo dixerit Deus, fiat lux. vide in. 1. d. 27. p. 6. & d. 38. p. 1. & d. 45. p. 5.

DISTINCTIO XIII.

De opere secundæ, tertie, & quartæ diei.

Propos. 1.  Pus secundæ diei fuit distinctio corporum celestium ab elementis, dicente Deo, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, vocauitq; Deus firmamentum coelum Genes. 1.

Propos. 2. Coelum quod secunda die factum est, diuersimodè secundum diuersas opiniones intelligendum est. Beda quem refert Magister in litera dicit, quod fuit coelum sydereum. Damascenus lib. 2. cap. 5. dicit esse quandam spheram instellarem, idest, sine stellis, hoc est primum mobile, quod est nona sphaera. Tenendo omnes coelos à principio factos, quia sunt sine materia, vel de materia alterius rationis, hæc factio intelligitur fuisse secundum perfectionem in aliqua qualitate, vtitur enim scriptura tali locutione Daniel. 4. dixit Nabuchodonosor, nonne hæc est Babylon quam ego edificauit? quam tamen non edificauerat, quia

cito

cito post diluuium Nemrod coepit ædificari Genes. 10. & 11. sed ampliauerat & fortificauerat. Ad idem psal. 50. Cor mundum creauit in me Deus. Qualitas vero illa dupliciter ponitur: vel vt sit soliditas de qua Iob. 37. Tu forsitan cum eo fabricatus es coelos, qui solidissimi quali ære fundati sunt, & quod propter hoc vocatum sit firmamentum. Vel illa qualitas fuit virtus influendi super elementa. Tenendo aliam opinionem, per hæc verba ex communi materia facti sunt coeli, nomine firmamenti intelligendo coelum stellarum & alios septem Planetarum. Namine aquarum super firmamentum, coelum aliud Crystallinum factum est superiori parte illius materiae: vocatur aqueum non à natura aquarum, sed à diaphaneitate quam illud coelum habet eò, quod in illo nulla sit stella, & forte quia est effectiuum maximæ frigiditatis sicut Crystallus, quæ qualitas inuenitur in aqua in summo. Alij per aquas intellexerunt angelos, ita quod per aquas super firmamentum intelligantur angeli boni: per aquas infra firmamentum multitudo malignorum spirituum, vel aquæ istæ visibiles, vel omnium hominum gentes. Hæc refert Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei cap. 37. & improbat, cum alia quæ negabat aquas à Deo factas. Primam sententiam de angelis per aquas intellectis refert Basilius in Hexameron Hom. 3. iam ad finem, vocatq; eam somnia & aniles fabellas, dicitur fuisse Origenis & Apollinarij. Est alia expositio de firmamento, quod non sit coelum stellarum sed illa pars aeris in qua nubes condensantur, & quod dicatur firmamentum propter spissitudinem aeris in illa parte. Hanc August. laude dignissimam iudicat. 2. lib. super Genes. nõ multum post principium, impugnatur vero à Ricardo hac. d. q. 1. quia scriptura dicit aquas super firmamentum, quod firmamentum factum est secundo die, aer factus est tertio die neque in eo posita sunt luminaria, quæ quarto die dicuntur posita in firmamento. Reuerendus pater frater Franciscus Feuardetius, in sua appendice ad lib. hæresum Alfonsi de Castro verbo, aqua, refert Ioanem Calvinum dixisse alienum à sensu communi & incredibile quosdam esse aquas coelo superiores, & quod quæcunque de illis asseruntur in scripturis contendit de nubibus in aere suspensis tantummodo intelligenda, cuius sententiam nota hæreleos qualificat, vt satis probat verba Genesis citata, quod supra firmamentum stellarum sunt

M m 3

aquæ

aque, & psal. 103. Tegis aquis superiora eius, scilicet, firmamenti, & psalm. 148. Aquæ quæ super coelos sunt laudent nomen domini.

Propos. 3.

Ad intelligendum raptum Pauli vsq; ad tertium coelum. 2. Corinth. 12. sciendum est quod tripliciter dicitur coelum in scriptura. Primo modo proprie & naturaliter, & est corpus luminoso actu, vel potentia, sublime, incorruptibile per naturam. Hoc modo sunt tres coeli, empyreum, Crystallinū, & sydereum quod diuiditur in octo sphaeras. In hac diuisione non fit mentio de primo mobili, quoniam Astronomi, & philosophi antiqui tantum ponebant nouem orbis, nullamq; faciebant mentionem de empyreo. Recentiores decem sine empyreo, vt sit Crystallinum inter firmamentum, & primum mobile. Ideirco cum Crystallino erit computandum primum mobile, & includetur in secundo coelo. Secundo modo dicitur coelum per participationem alicuius proprietatis celestis corporis, scilicet, sublimitatis, & luminositatis actu, vel potentia. Sic sunt tres coeli, aereum, quia & in euangelio dicuntur aues coeli, idest, aeris Matth. 13. Sydereum, & aliud superius in quod raptus est Paulus, vide & p. sequenti ad secundum. Tertio modo dicitur coelum metaphoricè, & sic ipsa Trinitas vocatur coelum vide supra. d. 2. p. 2. & Thomam. 1. p. q. 68. art. 4.

Propos. 4.

Coeli non sunt animati. Hanc docet Basilius hom. 3. Hexameron, iam ad finem dicens. Neq; coeli anima vlla informatur, quia gloriam narrant Dei, neq; firmamentum animans sensu præditum esse censemus, quod effectiōnem manuum ipsius itidem annuntiat. Damascenus lib. 2. cap. 5. Nullus coelos aut luminaria arbitretur animata, inanimata enim sunt & insensibilia. Hæc est cōtra Origenem lib. 1. Periarchon. cap. 7. Scotus. d. 14. q. 1. refert Augustinum de hoc dubitasse, & addit, quod hæc concl. est credita neq; probatur ratione. Bona. hac. d. nu. 30. dicit esse falsum & erroneum ponere coelos animatos: idem dicit Gabriel hac. d. q. vni. ar. 3. dub. 2. Extat pro hac art. Parisiensis in cap. 12. de coelo, & stellis. ¶ Contra hanc arguitur, quia scriptura loquitur de cœlis tanquā animatis. psal. 18. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manū eius annuntiat firmamentum. Benedicite cœli domino Dani. 3. in cantico triū puerorū. Audite cœli quæ loquor Deo.

Argum.

32. Iob. 15.

32. Iob. 15. Inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli nō sunt mundi in conspectu eius, quanto magis abominabilis & inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem, & 25. Ecce luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? sed munditia, vel immunditia iniquitatis non est nisi in animatis & libero arbitrio vtentibus, ergo cœli sunt animati anima rationali.

¶ Secundo probatur quod August. vere senserit cœlos carere anima contra id quod affertur, quod August. dubitauerit, quia in lib. de agnitione veræ vitæ cap. 6. loquens de sole, luna, & syderibus ait. Sed qui ea rationalia, vel saltem sensibilia corpora arbitrantur, iure sensu carentes inter irrationabilia computantur.

Argum. 2.

¶ Ad primum dicendum, quod scriptura etiam vtitur suis tropis & figuris estq; inter rhetores figura dicta prosopopeia, de qua Quintilianus lib. 9. cap. 2. & est quando rebus inanimatis datur vocem, & loquelam, fictio enim personæ, valet latine. Dico ergo quod dare inanimatis auditum aut vocem fit per hæc rhetorum figuram. Alioquin vt bene dicit Basilius citatus, ignis, ros, nix, grando, erunt etiam animata, imo & ipsa terra, quia omnia illa inuitantur ad laudandum Deum, altare etiam quod allocutus fuit propheta. 3. Reg. 13. dicens. Altare altare hæc dicit Dominus Deus. Filius nascetur domui David Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, quod etiam ad talem vocem scissum fuit, dicuntur benedicere Deum, quia ostendunt ipsum laudabilem, & benedicendum, sicut Genes. 22. dixit Deus Abraham. Nunc cognoui, quod timeas Deum, idest, feci cognosci. Ad Iob dico, quod mundum adiectiue, idem est, quod tersum, & politum, diciturque de omnibus illis, quæ in sua sunt natura sine admixtione, vt verbi gratia, de auro, de vestibus quibus nulla est macula admixta: dictum de Sole, & Luna, ac stellis, tantum valebit sicut clarum, & splendidum iuxta id quod ipse Iob dixit. 9. capit. Si fulserint velut mundissima manus mea. Apocalyp. 21. Platea ciuitatis aurum mundum vitro perlucidum. De hac munditia splendoris loquitur ibi Iob, non de munditia culpæ, & hoc patet, quia de luna dixit, quod non splendebat in conspectu eius, sicut nos dicimus & videmus quod luna, & stellæ non ostendunt suum splendorem in conspectu solis.

Solutio.

Alex. 2. p.

q. 52. M. 2.

ar. 5.

solis

Solis: itaneque sol Deo comparatus dicitur splendere. Nam & minus album respectu albissimi vocamus non album, imo & nigrum.

Ad. 2.

Ad aliud, dico quod Thomas citatus in. 3. p. & Glossa ordi. su per illum locum Pauli referunt hunc librum tanquam Augustini: quia in capi. 43. exponit tres coelos, de tribus generibus visionum, scilicet, sensualis, spiritualis, hoc est, imaginariæ, & intellectualis. Ad intellectualem raptus fuit Paulus. Scotus dubitat si ille liber sit Augustini. Ratio sua est, quia nusquam Augustinus inuenitur asseruisse quod in libro retractationū negauit: sed in lib. retractationum negauit se retractare, quod coeli sint animati ergo vel ille liber non est Augustini, vel fuit compositus post li. retract. Erasmus Roterodamus, negat librum esse Augustini, sed propter rationes debiliores, quam sit ratio Scoti. Prima ratio Erasmi est, quia in illo libro. capit. 3. tribuit multum dialecticæ. Hæc ratio non adeo cogit, cum fuerit Augustinus in ea versatissimus, & de aliquibus artibus liberalibus composuerit tractatus, secunda ratio, quia in capi. 6. dicit angelos cuncta scire atque præscire: sed non dixit cuncta, sed quod omnes causas rerum antequam eueniant præsciunt. Præscientia causarum quomodo possit in angelis verificari, patere potest ex. 3. d. huius, quoniam omnium habent species per quas habent scientiam, seu notitiam. Posuit Augustinus in eis notitiam matutinam, & vespertinam. Tertia ratio, propter stylum qui magis videtur Iouiniani, aut alicuius monachi febricitantis in theologia tyronis qui voluit ostendere quantum in scholastica philosophia profecisset. Ratio de difformitate styli, cui sæpe Erasmus in restituendis autoribus antiquis multum hæret, non semper tenet in omnibus: quia neque omnia quæ scripserunt nonnum premebant in annum, vt membranis intus positis delere liceret, quæ non ediderant. Nam neque ad editionem omnia scribebant. Tum etiam quia nõ semper doctores in scribendo eundem stylum seruant, sicut neque in cibo. & vestitu eandem consuetudinem: adaptamur enim ijs quibuscum versamur, accidit que sæpe scriptoribus imitari, & ante oculos habere aliena scripta, vnde suis proprijs vnus & alter assuitur pannus. Tertio quia multi, vt Augustinus qui episcopus erat, erant in alienis & grauissimis negotijs occupatissimi, ne que

Horatius
in arte poetica.

que eis vacabat stylo ita intendere, vt Erasmo vacabat Lynceis oculis rimari quibus detraheret, contra quem cum scripserit frater Ludouicus Caruaialus Bethicus febrimq; ad scribendum caussasset, putauit inde Erasmus, vel quod ipse Ludouicus ante Scoti, & Thomæ tempora febricitasset: aut omnia scripta minime sibi arridentia, ignoti q; autoris, à monachis febricitantibus componi. Doctorem occupationem omnes scimus, & hanc veniam petimusq; damusq; vicissim.

Communis Theologorum sententia est, quod coeli mouentur ab intelligentijs hoc est ab angelis. Ita tenet Bona. hac. d. nu. 30. Thomas. 1. p. q. 70. art. 3. Ricard. art. 1. q. 6. Probat, quia omne quod mouetur, ab alio mouetur, sed coelum mouetur non à propria natura, neq; à dante naturam, ergo ab intelligentia. Probat minor, quia natura mouet ad vnum, sed in coelo non est vnus motus tantum, mouentur enim orbis ab Occidēte in Orientem, & motu diurno ab Oriente in Occidentem, & in eodem planeta præter motum spheræ suæ ponitur motus secundum eccentricum, & epicyclum. Nec potest dici, quod spheræ differant specie sicut elementa, & ideo moueantur diuersis motibus, quia sequeretur, quod essent plura corpora simplicia, quam quinque: Deus autem licet se solo posset mouere orbis, tamen propter bonitatis suæ communicationem voluit ipsos mouere mediantebus causis secundis.

Persuasam mihi semper habui opinionem oppositam, quod coeli non mouentur ab intelligentijs, sed vel à propria forma, vt dicit opinio, quam referunt Bona. vbi supra, & Ricard. Gabriel hac. d. q. vnica. ar. 3. dub. 2. vel saltem cum eorum motus sit naturalis propter principium passiuum, quia habent in natura sua aptitudinem, vt tali motu moueantur, ex diuino imperio sunt visumoueri, & motum suum conseruant secundum illud. psal. 32. Verbo domini coeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: & sicut aquæ per diuinum præceptum congregatæ sunt & legem illam obseruant non pertranscundo fines suos Prou. 8. ita fit de coelorum motibus, propter quod in eodem psalmo protinus adijcitur. Congregans sicut in vtre aquas maris, vt spiritu eiusdem oris vtręq; doceantur factæ, virtus coelorum, & congregatio aquarū, atq; ingressus fluminū in mare, & exitus vt iterum
Nn fluant

Proposi. 5.

Proposi. 6.

fluant Eccle. 1. Quod est dicendum de aquis, quòd legem illam habeant, seruentq; sine violentia, id de cœlorum motu, & quiete dicendum est. Multa alia de cœlis vide in libris Arist. & in doctõribus hac. d.

Propos. 7. In opere huius diei non dicitur, quod in alijs. Vidit Deus quod esset bonum. Ratio secundum Magistrum in litera est, quia binarius est principium alteritatis, & signum diuisionis. Hanc rationem carpit Lyranus, quoniam numerus binarius in euangelio laudatur Lucæ. 10. quando misit Christus binos ante faciem suam. Idcirco dat aliam sumptam ex Rabbi Salomone, quod illud verbũ, vidit Deus, dicitur ad approbationem operis: approbatio proprie respicit opus completum, in die vero secundo fit mentio de aquis, quarum distinctio non fuit completa vsq; ad diem tertium, idcirco hoc verbum in presenti die tacetur, & in tertio die ponitur bis, semel pro secundo die, & iterum pro tertio.

DE OPERE TERTIÆ DIEI.

Propos. 8. **O**pus tertie diei fuit congregatio aquarum in locum vnum, & productio plantarum. Quomodo potuerint aquæ congregari in locum vnum dicit Magister, quòd potuit fieri vt terra subsidens concauas partes præberet, vbi fluctuantes aquas reciperet. Potest etiam credi primarias aquas fuisse rariores, quæ sicut nebula tegerent terram, sed congregatione esse spissatas, & ideo facile in vnum locum potuisse redigi. Hæc Magister. Posset dari alia ratio, scilicet, quod aquæ in maiorẽ altitudinem sint euatæ in loco vbi congregatæ sunt. Nam mare est altius terra, vt experimento probatum est in mari rubro, quod Basilius homi. 4. Hexameron, dicit esse sublimius terra Ægypti. Harum trium rationum quas & Augustinus refert, tertiam hanc dicit Thom. 1. p. quæst. 69. art. 1. ad secundum esse probabiliorem. Propter altitudinem hanc maiorem dicitur in psalm. 103. super montes stabunt aquæ. Quoniam aquæ Oceani in medio sunt altiores quam montes terræ, vt est videre in additione Burgensis supra 1. cap. Genesis. quam sententiam dicit Lyranus supra psalmum citatum, fuisse Rabbi Salomonis, quanuis ipse Lyranus locum

de

de pluuiialibus aquis interpretetur, quòd quia generantur in nubibus, sunt supra montes. Cum psal. 23. dicitur de orbe terrarum quòd dominus super maria fundauit eum, intelligitur de ripis, & littore, quæ mari super eminent. Quantitas terræ discoopertæ secundum Cosmographos est fere quarta pars terræ, cæteris partibus sub aqua manentibus. Inde notanter dicitur, vocauit Deus aridam terram, ad differentiam terræ coopertæ, quæ non vocatur arida, vide vbi supra Burgensem.

¶ Contra hanc arguitur, quia aquæ nondum erant productæ, ergo non poterant in locum vnum congregari. Antecedens probatur, quia nullibi leguntur productæ. *Argum. 1.*

¶ Secundo arguitur, quia in hac die, neq; alibi dicitur formatus, & productus aer, neq; ignis, & tamen sup. d. hac. p. 2. diximus ex Ricardo, quod fuerit factus aer tertia die. *Argum. 2.*

¶ Ad primum respondet Bona. q. literali nu. 37. quòd non est dictum congregentur aquæ, quasi prius extiterint. Sed quasi per hæc verba dentur eis & forma & natura per quam sint aptæ ad locum vnum. Hæc fuit sententia Augustini, quòd fuerunt productæ in tali congregatione, postea vero formatæ complete secundum propriam formam nobis notam, & tractabilem, p̄ua densitatem, & mobilitatem, videatur Lyranus & glo. ordi. eandẽ August. sententiam refert Alex. 2. p. q. 51. M. 1. *Solutio.*

¶ Ad aliud de aere, & igne dicit idem Bonauet. quòd in his duobus aqua, & terra, quæ sunt maxime sensibilia, & tractabilia, clauditur distinctio aeris, & ignis, quæ sunt sensibus nostris occulta. Alexand. 2. p. quæst. 51. Memb. 1. idem dicit, sed addit, quòd aeris distinctio datur intelligi in distinctione & congregatione aquarum, quia cum non sit dandum vacuum necessitas replendi locum aquarum per aliud corpus, satis ibi insinuat. *Ad. 2.*

De productione plantarum duplex opinio est, vna August. 5. super Genesin. cap. 4. dicentis. Causaliter tunc dictum est, produxisse terram herbam & lignũ, id est, producendi accepisse virtutem. Et confirmatur, quia Genesis. 2. dicitur. Istæ sunt generationes cœli, & terræ quando creatæ sunt, in die, quo Deus fecit cœlũ & terrã, & omne virgultũ agri, antequã oriret in terra, omnemq; herbam regionis antequam germinaret, ergo antequam

N n 2

orirent.

orientur factæ, intelligendum est causaliter. Probatum ratione. Ab opere illorum dierum Deus requieuit die septimo, sed non requieuit ab opere administrationis, per quod vsque modo operatur in propagatione rerum, ergo illa verba de productione, causaliter sunt intelligenda, & non originaliter.

¶ Alia opinio est, quod plantæ in hac die productæ sunt in suis speciebus actu, & illa verba citata interpretantur antequam oriretur, antequam germinaret, id est, antequam ex similibus similia producerentur: ita quod prima productio facta est à Deo in tertia die, & pertinet ad creationem: propagatio ex seminibus pertinet ad administrationem. In hanc secundam videtur declinare Thomas. 1. p. q. 69. artic. 2. Possetq; forsitan in hanc afferri Damascenus lib. 2. cap. 10. dicens. In principio autem (scriptura dicit) terra cooperiebatur aquis, & erat inculta, & absq; ornatu, cum præcipiente Deo aquarum receptacula facta sunt, & tunc omnes extarunt, & diuino præcepto. Proprium terra suscipit ornatu, omnigenis herbarum & plantarū varietatibus decorata. De spinis, & tribulis sunt etiam duæ opiniones. Vna quod propter peccatum Adæ fuerint producti. Dixit enim illi Deus. Maledicta terra in opere tuo spinas & tribulos germinabit tibi Genes. 3. ita dicit Basilius hom. 5. Hexam. Rosatunc spinis carebat, postea propter delictum adiunctæ sunt illi spinæ. Damascenus, vbi supra. Spina post hominis transgressionem, iuxta domini sententiam è terra pullulauit. Alia opinio dicit, quod spinæ, & tribulus ante peccatum erant, quia perfecta fecunditas data est terræ, & nulla herba est tam vilis, quin sit alicuius virtutis & utilitatis, & sic tertia die factæ sunt actu, aut virtute, sed quod generentur vbi seminatur frumentum, & in poenam peccati vt hominem crucient, fuit propter peccatum. Hanc sequitur Bona. q. literali nu. 41. & Thomas. vbi sup. ad. 2. argum. Ideo dictum fuit homini. Germinabit tibi, antea enim germinabat illas, sed non homini in poenam. Alexand. 2. p. q. 51. M. 3. refert primam opinionem, & etiam Augustinum contra Manichæos dicentem, quod ante hominis peccatum non est scriptum, quod terra protulerit nisi herbam pabuli, & ligna fructuosa, post peccatum verò videmus horrida & infructuosa de terra nasci, vt peccati humani crimen semper hominibus ante oculos ponatur, vt per infructuo-

fructuosas arbores intelligant quam sit erubescendum hominibus sine operibus bonis in agro Dei esse, hoc est in ecclesia, & timeant ne deserat illos Deus, quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, neq; aliquam culturam eis adhibent. Vbi non solum spinas sed arbores infructuosas ortas dicit propter peccatum.

Ex eo, quod dictum est. Germinet terra herbam virentem, dicunt aliqui mundum fuisse creatum correspondentem æquinoctio mensis Martij, quando terra germinat herbas, vocaturque Martius primus mensis Exod. 12. A quo numerando, Iulium Quintilem, Augustum Sextilem vocabant etiam gentiles. Alij ex eo, quod dicitur, cuius semen sit in semetipso, dicunt factum fuisse in correspondentia ad Septembrem, quando fructus sunt maturi habentes semina in semetipsis. Has duas opiniones Hebræorum refert Lyranus, & dicit hanc secundam communius teneri ab Hebræis, quia Dei perfecta sunt opera Deut. 32. Vnde secundum omnes homo factus est in statu perfecto potens generare. Tunc enim vnumquodq; est perfectum, quando potest generare sibi simile. Facit pro hac illud Exo. 12. quia dixit Deus. Hic mensis primus erit vobis, ergo ante non erat primus.

DE OPERE QVARTÆ DIEI.

Opus quartæ diei fuit circa luminaria dicente Deo. Fiant luminaria in firmamento caeli. Hoc fieri secundum vnā opinionem non fuit quantum ad substantiam, neq; quantum ad lucem, quæ facta est primo die, quia tunc facta est lux Solis, & per consequens aliorum luminarium, quia illuminantur à Sole. Est enim lux qualitas visibilis, seu sensibilis naturalis corporis in quo est: lumen, quid causatum ab ea, vnde quod est lux in sole, hoc est lumen in corporibus illuminatis à sole. Intelligitur ergo quædam formatio huius luminis, quod fuit informe aliquo modo vsque ad quartam diem, in qua fuit formatum accipiens à Deo virtutem influendi ad varios effectus in inferiora, sicut supra. d. 13. p. 3. dictum fuit. Secundum aliam opinionem facta sunt luminaria, quantum ad formas substantiales specificas. Dicuntur magna non tam quantitate, quam efficacia. Luna quippe minor

est pluribus stellis, tamen effectus magis sentitur in his inferioribus, atque ad sensum apparet esse maior. Chrysostr. hom. 6. sup. Genes. dicit stellas non esse fixas in firmamento, sed visas ibi esse, sicut homo positus fuit in paradiso, id est, iussus ibi esse. Basilus hom. de Paradiso dicit, luminaria extra firmamentum facta, & postea in firmamento locata, sicut homo factus fuit extra paradysum, sed postea in paradiso positus. Cum hoc tamen verum est, quod hom. 6. Hexalitera. H. facit mentionem de stellis erraticis & fixis. Arist. 2. de celo cap. 8. dicit esse fixas in orbibus & non moueri nisi motu orbium. Vocat scriptura firmamentum ut dicit Alex. 2. p. q. 52. M. 1. totum corpus in quo sunt stellæ tam fixæ quam erraticæ, & sic octo spheras.

Propo. 12.

Luminaria facta sunt in ministerium cunctis gentibus. Deut. 4. Ponuntur in litera Genes. tria ministeria. Primum quantum ad visum ut res cognoscantur, ideo dicitur diuidant diem, ac noctem. Secundum, quantum ad vicissitudinem temporum, veris æstatis, Autumni, Hyemis, secundum quæ tempora oriuntur vitui necessaria, & alleuatur fastidium, unde canit ecclesia. Temporibus das tempora, ut alleues fastidium. Tertium, quantum ad opportunitatem negotiorum, quæ iuxta sicca, & pluuiosa tempora disponuntur, idcirco ait, sint in signa. Vide Damascenum lib. 2. cap. 7. vbi dicit de anno lunari, quod habet trecentos quinquaginta & quatuor dies, annus solaris trecentos sexaginta quinque: Bissextilis. 366. diciturque Bissextilis, quia habet bis sex dies. Hoc est sexaginta, & sex. Sanctus Bonauent. q. literaliter petit, quare ecclesia sumpsit signa suarum festiuitatum à sole: synagoga à Luna, Ecclesi. 43. à Luna signum diei festi. Respondet, quia synagoga in tenebris ambulabat, & erat diminuenda, ecclesia fuit semper dilatanda, quia nox præcessit, dies appropinquauit Rom. 13. vide in. 3. dist. 40. de tertio precepto. Extat versus quem refert Ricardus de exordio diei in. d. 13. circa literam.

Mane diem Græci: gens incipit astra sequentes:

In medio lucis Indæus vespere facta:

Inchoat Ecclesia medio sub tempore noctis.

DIS.

DISTINCTIO XV.

De quinto, sexto, & septimo die.



Quis quintæ diei fuit productio auium, & piscium dicente Deo. Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram. Non quod de sola aqua sint formati, cum sint ex quatuor elementis, sed nominatur aqua sola propter conuenientiam, quia per humorem conuenit cum piscibus: per vaporem qui sursum leuatur cum auibus. Ad hoc canit Ecclesia in hymno vesperorum feria. 5. Ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim leuas in aera. Hic etiã aer nebulosus, & humidus in quo aues volant, à doctissimis hominibus cum aquis solet deputari. Concrefcit, & crassus efficitur exhalationibus, ut volatus auium portare possit. Quoniam se humidum etiam serenissimis noctibus rore testatur, aquam vocauit: qui & in nubem cogitur. Nubes autem aqua est. Nam in illo sublimiori, atque puriore, qui vere aer ab omnibus appellatur, volare aues nequeunt: non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. Vide Alex. 2. p. q. 53. M. 1. hoc referentem ex Augustino contra Manicheum. Vide & eundem August. super Genesim lib. imperfecto cap. 14. Si quæretur, quare illa origo magis nomine aquæ quam aeris intelligitur? Respondet idem Alex. quod aqua plus est ordinata ad generationem animantium quam aer. Sunt ergo animalia passiuæ ex quatuor elementis, actiuæ à Deo facta.

Benedictio Dei, qua benedixit auibus & piscibus, fuit ordinata ad multiplicationem indiuiduorum per commixtionem maris, & foeminæ, plantis non datur talis benedictio, quia non propagantur per talem commixtionem maris, ac foeminæ.

DE SEXTO DIE.

Opus sextæ diei fuit productio animalium in terra: inter animalia numeratur factus homo dicente Deo. Producat terra

Proposi. 1.

Proposi. 2.

Proposi. 3.

terra animam viuentem, & infra. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Vbi personarum pluralitas designatur dicendo, faciamus, vnitas in singulari, dicendo, imaginem, propter quod subditur. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam. Non fuere verba illa dicta ad angelos, vt somniant Hebrei, quoniam angeli non sunt cooperati Deo ad creationem, neque ad eorum imaginem dicitur fuisse factus homo. Cōuincitur hac autoritate hæresis Manicheorum & aliorum negantium Adam, & Euam factos à Deo. Vide Augustinum de hæresibus. cap. 46. dicentē de Manicheis, quod Adā & Euam ex parentibus principibus fumi asserunt natos, cum pater eorum Saclas sociorum suorum foetus omnium deuorasset. Nicephorus lib. 6. Ecclesiasticae historiae capit. 3. eundem errorem tribuit Maneti, à quo Manichei dicti, dicens, inter alias eiusdem fabulas aduersas fidei, quod hominem non à Deo, sed à principe materia seu cla factū esse, & Euam similiter, sed inanimatam creatam & immobilem, Adam vero forma feræ, aliaque hisce similia nugatus est. Matthæ. 19. Marci. 10. Ab initio creaturæ masculum & foeminam fecit eos Deus.

Argum. Ex hac propositione videtur, quod ad hanc diem debuit pertinere productio animum & volatiliū, cum iussæ sint produci super terram, vel saltem dicendum fuerat, quod producerentur in aere, & non super terram.

Solutio. Huic dico, quod producta in aere: aut super aerem, sunt etiam supra terram, quæ discooperta ambitur aere, sed aer est locus volatiliū ad motum, vel ad expatiandum: terra est locus super quem producuntur, non eo modo quo producuntur plantæ, & arbores infixis terræ radicibus, neq; eo modo quo animalia, quæ in cauernis terræ suam habitationem, aut generationem accipiunt, vel saltem in ipso terræ solo eam peragunt: ideo non incouenit, quod dicantur producta super terram, & pertineant ad quintam diem propter elementum aquæ.

Proposi. 4. Illa animalia, quæ ex corporibus animalium maxime mortuorum nascuntur, non fuere creata cum animalibus actualiter, sed tantum potentialiter, & materialiter quales sunt pediculi, illa vero quæ ex terra, vel ex aquis nascuntur, vel ex eis quæ terra germinante orta sunt, hoc est, quæ generantur ex corruptione planta-

plantarum creati tunc potuerunt. Ita docet Magister in litera.

¶ Contra hanc arguebat Manicheus. Quid opus fuit, vt tam multa animalia Deus faceret inutilia homini, quorum multa sunt nociua, ergo saltem ante peccatum non debuerunt fieri. *Argum.*

¶ Respondet August, vt referunt Alexand. 2. p. quæst. 54. M. 2. & Thom. 1. p. quæst. 72. ad sextum argumentum, quod sicut si homo imperitus intret alicuius opificis officinam instrumenta quorum causas nescit superflua reputat, & si in fornacem ceciderit, aut aliquo ferramento se vulnerauerit, noxia credit, quorum vsum, quia nouit artifex insipientiam eius irridet: sic omnia creata pulchra sunt conditori, & artifice Deo, qui eis vtitur ad gubernationem vniuersi. Ante peccatum homini non fuissent nociua, vt habes in litera Magistri: bene namque eis homo vteretur. *Solutio.*

In horum dierum operibus id notandum est, quod tres primidies dicunt rerum distinctionem. Alij tres dicunt ornatum. Quartus primi diei: quintus secundi: sextus tertij. Hunc ordinem Ecclesia imitatur in responsoijs & benedictionibus. Nam in ferijs, secunda quintæ: tertia sextæ: quarta sabbato correspondet. *Proposi. 5.*

DE DIE SEPTIMO.

De septimo requieuit Deus ab vniuerso opere quod patrauerat. Hoc sic exponitur in litera, quod nouam creaturam facere cessauit. Requiescere enim cessare dicitur. Apocalyps. 4. Non habebant requiem dicentia sanctus, id est, non cessabant. Neque ibi est labor, aut motus quieti contrarius. Cessauit ergo, quia ultra noua non condidit, quorum materia vel similitudo non præcesserit: sed vsque modo operatur Ioann. 5. quia quod condidit continere, & gubernare non cessat. Semper prosequitur opus gubernationis, & administrationis, Ecclesi. 1. Nihil sub sole nouum, iam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos, id est, præcessit in opere creationis. *Proposi. 6.*

Huic diei benedixit Deus, & sanctificauit eum: datur causa, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus. Ad intellectum huius nota cum Alexand. 2. p. quæst. 56. M. 2. *Proposi. 7.*
Oo quod

quòd benedictio in plus sonat quam sanctificatio, quia omnis sanctificatio est benedictio, & non è conuerso. Est benedictio temporalis, sicut quæ consistit in rerum multiplicatione: hæc data fuit in quinto, & sexto die. Incepit multiplicatio, seu operatio creaturarum ad illam disponens faciendo suos motus iuxta proprias formas à die septimo, ex quo die incepit diuina administratio, & gubernatio. Est benedictio spiritualis, quæ est cum sanctificatione: seu quæ est sanctificatio. Hæc est duplex, vna gratiæ sanctificantis, & appropriatur homini, qui est subiectum gratiæ, alia æternæ quietis, seu gratiæ consummatæ. Hæc sanctificatio non competit dici, vt bene notat Ricard. quæstione vltima, quia dies non est subiectum sanctitatis, sed dicitur diem sanctificasse, quia instituit illum sanctitatis signum deputando operibus ad sanctitatem disponentibus, & quòd significaret sanctitatem gratiæ in hominibus tam in præfenti, quam in æterna requie. Huic diei successit inter Christianos dies dominica propter resurrectionem, quæ resurrectio expressius repræsentat nostram sanctitatem futuram, quam repræsentauerit requies Christi in sepulchro, quæ fuit figurata in requie huius diei septimi: fuitque illa Christi requies in eodem die septimo. Multas alias quæstiones doctores nostri tractant in operibus horum dierum pertinentes

ad generationem, & corruptionem, quæ in libris philosophiæ de generatione, atque anima solent tractari, valeant, aut ibi legantur.

DISTIN-

DISTINCTIO XVI.

Qualem fecit Deus hominem quantum ad imaginem suam.



Homo dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei Genesi. Quid sit imago: & quomodo sit in creatura rationali. Vide in. 1. d. 3. p. 6. Dicit Magister hæc d. quòd imago proprie dicitur id, ad quòd aliud fit. Nam dicitur relatiue: vt imago Cæsaris quæ facta est ad repræsentandum Cæsarem, sicut exemplum proprie dicitur, quòd sumitur ex aliquo: exemplar ex quo sumitur aliud. Ponitur abusive alterum pro altero. Inde secundum eundem Magistrum in præfatis verbis minus proprie accipitur imago essentia Trinitatis: sed dicendo ad imaginem intelligitur creata imago in qua factus est homo, & ipsi homini concreata. Per hanc, & per quæ dicenda sunt, sequenti. d. 17. & 18. reuincitur fabula Manetis de Adâ facta sub forma feræ: & de Eua formata in animi. Vide supra. d. 15. p. 3. Annotat & Magister, quod supra ibidem retulimus, verbum, faciamus non fuisse dictum ad angelos, sed ex persona patris ad filium & spiritum sanctum.

Homo dicitur imago Dei, & ad imaginem Dei: filius Dei dicitur imago patris, & non ad imaginem patris. Magister in littera. Dat rationem, quia homo non æquatur Deo in paritate, sed accedit quadam similitudine, ideo ad imaginem propter impari similitudinem: filius quia æqualis, non ad imaginem dicitur sed imago.

Imago secundum rem quam repræsentat, & modum repræsentandi non est principalius in homine quam in angelo, neque in masculo, quam in foemina, ex parte repræsentantis perfectius est in angelo, quam in homine. Hoc est dicere, quòd ex parte absoluti, quòd importat imago est differentia, non ex parte respectiui. Ratio est, quia homo, & angelus differunt specie, & natura angelica est perfectior, homines autem omnes sunt eiusdem speciei. Si dicas, quòd angelus

intelligit sine phantasmate, ergo representat perfectius. Dico, quod hoc est accidentale: sicut etiam anima est tota in toto corpore regens illud sicut Deus vniuersum, neque propterea perfectius representat quantum est ad id, quod est proprium simpliciter in ratione imaginis.

Propos. 4. Imago & similitudo (sicut in presentia loquimur) differunt: imago consistit in natura, similitudo in qualitate, & hæc est vna ex differentijs quas assignat in litera Magister. Hanc differentiam Frater Alfonsus Castro docet aduersus hæreses verbo Adæ hæresi. 2. ex Victorino magistro beati Hieronymi in rhetorica, & ex Eucherio Lugdunensi episcopo. Eandem dat Alexand. 2. p. quæst. 62. Memb. 5. art. 4. ex glossa super Genesim dicente. Imago quantum ad naturalia, similitudo quantum ad gratuita. Glossa interli. sic ait, super imaginem. Vnitatem Trinitatis insinuat: super ly, similitudinem: Morum sanctitate & iustificatione, ubi tendit ad idem. Ex quo fit, quod imago est omnium intellectualium: similitudo paucorum, scilicet, existentium in gratia. Imago non amittitur per peccatum, & contrarium dicere est hæreticum, ut ibi docet idem Alfonsus. Imponitur Origeni, quod dixerit Adam post peccatum perdidisse imaginem Dei. In sacris literis imago quandoque sumitur pro similitudine Colossen. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum. 1. Corinth. 15. Quemadmodum portauimus imaginem eius qui de terra est, ita & portemus imaginem illius qui de coelo est. In hoc sensu accipiendo imaginem, non est hæreticum dicere, quod amisit imaginem per peccatum.

Propos. 5. Iudæi secundum alias proprietates assignant imaginem Dei in homine. Videatur Lyranus super primum caput Genes. Primo, quia sicut Deus replet mundum Hieremias. 23. ita anima totum corpus. Deus est vnus: anima in vno corpore vna. Deus non inquinatur sordibus mundi: neque anima sordibus corporis. Deus videt omnia & non videtur Exod. 33. Non videbit me homo & viuet: anima videt omnia exteriora, & non videtur. Deus non dormit psalm. 120. anima non dormit in corpore. Est vero assignatio hæc ut ibi dicit Lyranus multum accidentalis.

lis. Ad hanc totam dist. Vide Alex. citata. q. M. 5. per septem articulos, quidam hæretici asseruerunt in corpore humano esse imaginem Dei secundum quam factus fuit homo.

DISTINCTIO XVII.

De productione Adæ quantum ad animam & corpus, & de paradiso terrestri.



anima Adæ non fuit ex Dei substantia. Magister in litera, & est de fide. Probat ex Concilio. 1. Bracharensi canone. 5. Siquis animas humanas, vel angelos ex Dei credit substantia extitisse sicut Manicheus, & Priscillianus dixerunt anathema sit Ratione. Deus est immutabilis, anima vero mutabilis ergo non sunt eiusdem substantiæ. Vide Alex. 2. p. q. 60. M. 1. Tho. 1. p. q. 90. art. 1. ¶ Contra quia Genes. 2. dicitur inspirauit Deus in faciem Adæ spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem: illud spiraculum fuit anima, ut dicit Chrysostr. hom. 11. super Genesim, & communiter doctores: sed flatus, siue spiritus Dei est ipse Deus, quia nihil est in Deo quod non sit Deus ut in. 1. d. 8. Ergo est ex Dei substantia. ¶ Act. 17. approbavit Paulus dictum Arati poetæ gentilis dicitis quod Dei genus sumus, ergo eiusdem substantiæ. ¶ Ad primum vide Magistrum exponentem, quod tropica locutione dictum sit inspirauit, id est, fecit spiraculum, quod vere fuit anima, sicut Isaiæ. 57. spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciã: flatus Christi Ioan. 20. quando dedit spiritum Sanctum, fuit verus flatus, & non ipse spiritus Sanctus: fuit tamen signatio ipsius spiritus. Homo etiã quando sufflat non aliquid de propria substantia emittit sed de natura extranea. Ex hoc patet non bene dixisse Philastrum, quando dixit esse hæreticum asserere hoc spiraculum fuisse animam rationalem. ¶ Ad aliud dico quod sumus genus Dei quia ab eo creati, & genus nostrum accepimus per creationem. Vnde Glossa interlin. ait. Non natura sed spiritu eius editi

Propos. 1.

Argum. 1.

*Argum. 2.
Solutio.*

Ad. 2.

voluntate creati, & adoptione recreati, & ideo rectissime dictum est, genus ipsius sumus. In hoc sensu diuus Paulus vsurpauit sententiã illã. Gabriel hac. d. q. 1. ar. 1. sententiam ipsius poetæ aliter interpretatur, quod intellexerit de genere logicali, quia illa dicuntur eiusdem generis, quæ sub illo comprehenduntur: & sic anima, angelus, Deus comprehenduntur sub genere spiritus intellectualis. Vel dicitur esse genus Dei analogice, quia ad ipsum accedit aliqua proprietate, & maiori similitudine, quã nõ intellectualia.

Propos. 2.

Anima Adæ non fuit facta ante corpus, imò neque aliæ animæ, sed formato corpori infunduntur. Et quanuis Magister in litera de anima Adæ relinquat indecisum, de alijs animabus, expresse docet hanc nostram. Est vero contra Origenem & Priscillianum dicentes animas ante corpus creatas, & peccasse, atque propter peccatũ in corpus inclusas velut in carcere. Contra hũc errorem & pro nostra conclusione sic definiuit Conciliũ Bracharense. 1. cap. 6. Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora humana in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Est & Paulus. Rom. 9. de Iacob & Esau loquens. Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali. De anima Adæ, quia Philaster dixit factã fuisse ante corpus, frater Alfonsus Castro. ver. anima hæresi. 3. docet q̄ opinio Philastri sit hæretica, & satis reuincitur ex eo, q̄ formato corpore dicitur illi Deus inspirasse spiraculum vite. i. animam. Ratione probatur, quia si animæ fuissent creatæ extra corpus fuisset illis naturale esse sine corpore, & vnio illarum corpori esset violenta tam in hominis generatione, quam in vltimæ diei generali resurrectione. Vide & pro hac Hieronymum in epistola ad Pammachium contra errores Ioannis episcopi Hierosolymitani, quorum secundus dicebat, animas in corpore quasi in carcere religatas & antequam homo fieret in Paradiso, inter rationabiles creaturas in cœlestibus commoratas. ¶ Contra hanc arguitur. Corpus Adæ non fuit formatum actualiter in illis sex diebus sed tantum potentialiter, quia in illis fuere productæ causæ siue elementa ex quibus formatum est: anima non est formata post illos sex dies sed intra ipsos, ergo formata fuit ante corpus. Maior probatur ex Genesi. 2. formauit Deus hominem ex limo terræ: hoc non potest intelligi quantum ad animam ergo quan-

Argum.

quantum ad corpus, & tunc iam sex dies præterierant. Minor probatur quia anima est spiritus, qui non producitur ex aliqua materia corporali neq; est eiusdem speciei cū angelis, vt dicatur facta secundum genus, aut speciẽ quando creati sunt angeli, quia nullum genus Deus creauit sine specie, neque speciem sine individuo, & die septimo cessauit Deus ab opere creationis.

Ad hoc argumentum iam est visa sententiã Philastri, pro qua Magister in litera refert Augustinum super Genes. lib. 7. ca. 24. Tho. 1. p. q. 90. art. 4. & Durand. hac. d. q. 2. dicunt Augustinum loqui non asserendo. Diuus Bona. hac. d. num. 25. dicit Augustinũ dubitasse de hoc, quia vtraq; pars potest sustineri probabiliter, nihilominus esse probabiliorẽ hanc nostram conclusionem. Vbi vide quod non reputauit hæreticam sententiam Philastri. Idem dixerat Alex. q. 60. M. 2. art. 1. Sustinendo Philastrum debet dici quod non est simile de anima Adæ, & de alijs quia aliæ creando infunduntur, anima vero Adæ creata infusa fuit, vt designaretur differentia formæ separabilis à materia à formis alijs quæ non separantur. Nihilominus aliud reputat probabilius, & est bona apparentia, quia tunc anima Adæ habuisset aliquam operationem, & meritum, aut peccatum quod nõ est dicendum. Sic arguit ad probandam hanc cõclusionem Scotus hac. d. q. 1. Ad argumentum igitur negatur maior. Ad probationem dico quod illa verba Genesi. 2. dicta sunt per recapitulationem: & tam illic, quam in. 1. capitu. loquitur scriptura de toto homine, secundum animam & corpus. in. 1. dixerat masculum & foeminam fecit eos, quæ sexuum distinctio fuit secundum corpus, in secundo sumpsit hominem factum ex limo terræ per synecdochẽ sumendo totum pro parte scilicet corpore: inspirauit spiraculum intelligit de anima: & sic loquitur de toto homine. Dixit, in faciem, quia ibi est principalis vitæ operatio, eo quod in facie vigent omnes sensus.

Adam factus fuit in ætate virili. Magister in litera ex Augusti no. Quanuis non explicet annos ætatis, videtur quod fuerint anni ætatis Christi in qua resurgemus omnes: vt sicut Christus nos reuocat in Paradisum ad suam ætatem Ephes. 4. Occurramus iam mensuram ætatis plenitudinis Christi: Sic homo illa ætate peccauit, qua pro eo Christus passus: & in qua ætate resurrexit & ipsum

Solutio.

Propos. 3.

& ipsum ea ætate expulit de paradiso: fuit etiã factus integer mēbris & sensibus, cōtra quosdã dicētes Adam & Euã cæcos fuisse ante peccatum. Nam Genesis. 3. ante peccatum vidit mulier q̄ bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis. Deditq; viro suo.

Proposi. 4. Anima Adæ, imo & omnes aliæ animæ creātur, neq; educuntur de potentia materię. Hanc tenet Alex. 2. p. q. 59. M. 2. 9. 2. & q. 61. M. 2. Doceturq; à Magistro in litera sequentis dist. vbi potes videre Bona. quæstione vltima Ricar. q. etiam vltima. De anima Adæ vide quid dicat idem Magister in hac. d. quod factus est Adam non secundum inferiores causas, quia non erat in rerum causis seminalibus vt ita fieret. Contrarium huius conclusionis est error: sed an sit autoritas scripturæ, vel Ecclesiæ, quæ reuincat hæreticū melatet, quia de hac. q. Augustinus sepe est anceps. Autoritates scripturæ vt illa psal. 32. Qui finxit sigillatim corda eorum. Isaia. 43. Omnem qui inuocat nomen meum in gloriam meam creauit eum: & similes possunt intelligi, fieri, & creari de præsupposita materia, quia & cæterorū, quorum formæ educuntur de potentia materiæ vocatur Deus creator: sic quanuis Adæ anima facta sit ex nihilo, cæteri homines propagantur. Videatur nihilominus Alfonso verbo, Anima, hæresi. 5. Sed quod sit error contrarium nostræ positionis probo Formam educi de potentia materiæ est, formam habere esse in materia, tãquam in causa materiali, à qua depēdeat inseparabiliter in essendo: sed anima rationalis non sic dependet à corpore, quia sine illo est substantia & permanet immortalis, & separata ergo non educitur de potentia materiæ. Minor est de fide: maior nota lumine naturali: conclusio sequitur partem debiliore, ergo est conclusio nota lumine naturali, & sua opposita erronea vt habes in modo qualificandi. 13. d. 4. Vide & Tho. 1. p. q. 90. art. 2. & 3. & q. 75. artic. 2. & 3.

Proposi. 5. De compositione animæ duplex opinio est, sicut de angelis. Vna dicit animam componi ex materia spiritali, non quæ præ fuerit sed quæ simul incipit cum forma. Hanc tenuit Alex. 2. p. q. 61. M. 1. Et Bona. hac. d. num. 17. Tertullianus in lib. de resurrectione carnis, & in lib. de carne Christi dicebat animam esse corporalem habentem propriū genus substantiæ soliditatis, vt pati possit

possit ab igne inferni, & non carneam, sed etiam in carne disiunctam quod certè erroneum est & hereticum. Luc. 24. spiritus carnem & ossa nō habet: est autem anima rationalis spiritus. Luc. 8. de puella suscitata. Reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo, & psal. 77. recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens: dicit, caro respectu corporis: spiritus vadens respectu animæ rationalis. Contrarium tenet Thomas & quod non componitur ex materia, citata. q. 75. art. 5. Et probat. Anima est forma corporis: aut secundum se totam, aut secundum aliquam partem sui, si secundum se totam, implicat contradictionē quod sit simul materia & forma. Si secundum partem, illa pars dicitur anima & aliud dicitur animatum, & tunc non anima, sed animatum erit forma corporis. Quanuis hæc opinio sit verior & probabilior, quam tenet & Scotus. in. 1. d. 3. q. 7. litera. Dd. & in. 2. d. 16. argumento. 2. ad oppositum: nihilominus Ricardus hac. d. q. 1. vtrãque problematice sustentat. Ad præfatam rationem respōdet quod quia materia animæ, & materia corporis non sunt eiusdem rationis, potest compositum esse forma corporis, quod compositum non vocatur animatum, sed anima. In secunda opinione bene anima est composita ex actu, & potentia, quia est substantia spiritalis, igitur ex genere substantiæ, quasi potentiali, & spiritali differentia, quasi actuali.

Anima est forma corporis humani in quantum rationalis. Id est secundum suum esse essentialē specificum. Hæc est de fide cōtra quemdam Petrum Ioannis dicentem esse formam, sed non in quantum rationalem, decisq; in Concilio Viennensi habetur in Clementina de summa Trinit. & fide Catholica. Ad idem est Concilium Lateranense sub Leone decimo lésione. 8. Sūt qui tenent hæc sextam propositionem posse probari, & esse notam in lumine naturali. Vide Thom. 1. p. q. 76. art. 1. & Scotum in. 4. d. 43. q. 2. propositione. vbi hoc disputat, si potest probari lumine naturali. Vide in. 4. d. 44. p. 3. infra.

Anima rationalis dum actu informat corpus, saltem in hac vita, non potest transcendere corpus. Hanc docet Ricardus hac. d. q. 4. Probat quia alias, anima esset tota in corpore, & tota extra corpus, quia indiuisibilis: possetque seire secretā locorum, vbi corpus non esset præsens: possetque duo corpora informare, se-

cundum quod est intra, vnum: secundum quod extra, aliud. Quando dixit Heliseus Giezi. 4. Reg. 5. Cor meum in presentem erat quando reuersus est homo de curru suo, intelligitur quod vidit in spiritu. De beato Ambrosio, qui existens Mediolani inter fuit Turonice exequijs beati Martini dicit Ricardus, quod se interfuisse somnauit, & angelus eius custos in eius similitudine apparuit. Vel dic melius, quod fuit per miraculum in duobus locis simul. Auctoritatem Bernardi lib. de precepto, & dispensa. versus finem dicentem: Neque presentior est spiritus noster vbi animat, quam vbi amat, exponit Ricardus, quantum ad conatum, quia non minus conatur esse vbi amat, quam vbi animat. Ad idem in euangelio. Vbi est thesaurus tuus ibi est & cor tuum Matth. 6 Philipp. 3. Nostra conuersatio in coelis est.

Propos. 8. Anima & angelus differunt specie specialissima. Hac docent omnes doctores Scholastici. Alex. 2. p. q. 20. M. 1. Bona. in hoc. 2. d. 1. in vltimis questionibus. Thom. 1. p. q. 75. arti. 7. Scotus in hoc. 2. d. 1. q. 6. probatur. Anima naturaliter est forma perfectiua corporis, Angelus non, ergo differunt specie. Probatur consequentia: formae eiusdem rationis habent eandem rationem perficiendi & non perficiendi. Quae autem sit prima ratio huius differentiae variæ sunt opinioniones vt potes videre in Alexandro citato. Bona. dicit quod vniuersitas ad corpus, quæ non dicit quid accidentale, sed essentialis, respiciens quod est in anima nobilissimum. Scotus vero dicit quod quia angelus est talis natura ad se, & animalis natura ad se (hoc est, non ad corpus) ideo primo distinguuntur specie. i. ex natura rei. Non sicut duæ species, sed sicut species & pars speciei. Ex hac octaua inferitur quod animæ damnatæ non conuertuntur in demones, vt dixit Tertullianus: imo neque in pecudes vt dixerunt alij. Nam ex opposito, anima esset corruptibilis & mortalis. Tum etiam quia vt ad differentes dicitur reprobis. Ite in ignem æternum paratum diabolo & angelis eius. Matth. 25. Tertio non resurgerent ijdem numero.

Corol.

Corol.

DE CORPORE PRIMI HOMINIS.

Propos. 9. Corpus Adæ fuit formatum à Deo non mediante angelico ministerio, neque mediante influentia coelesti, & fuit formatum

matum de limo terræ, sicut dicitur in Genesi. De hac vide Alex. 2. p. quæst. 78. Thom. 1. p. q. 91. arti. 1. & 2. Ricar. hac. d. art. 2. q. 2. Probatur vltra id Genes. per. 17. ecclesi. Deus de terra creauit hominem. Ratione sic. Corpus humanum est maxime nobile inter corpora ergo non potest fieri ab influentia per putrefactionem sicut fiunt alia corpora imperfectiora. Item, ad illud corpus producendum angeli non possunt attingere per generationem, quia sunt spiritus carentes materia, & principio generatiuo, & licet possint exhibere ministerium penes formationem sicut exhibebunt in resurrectione colligendo pulueres, tamē resurrectio erit à Deo im mediate, ita & formatio: vel clarius, quamuis possint exhibere aliquod ministerium, non tamen omne. Quando dicitur corpus Adæ formatum ex limo terræ non excluduntur alia quatuor elementa, fuit enim ex illis quatuor vt docet Alexan. quæst. 80. M. 1. Dat idem ibi quatuor rationes in articulo. 2. quare dicatur factum de terra magis quam ex alijs reduco ad duas vnam naturalem: aliam moralem: Concurrent elementa sicut idem Alexan. M. 2. docet, ita quod non sunt æqualia in quantitate molis, & quantitate virtutis. Quæ magis abundant mole, habent minus de virtute: quæ plus abundant virtute, habent minus de mole. Aqua & terra sunt minus actiua, hoc est minoris virtutis quam ignis, & aer: ideo magis abundant in quantitate molis, alias enim non fiet debita proportio, nisi quæ sunt minoris virtutis magis abundant in materia seu substantia: fit igitur denominatio à prædominantibus secundum materiam & substantiam. Sicut à prædominante cholera dicitur quis cholericus, tametsi habet alios humores. Ratio moralis est, vt quia terra limosa, id est, commixta aquæ, est vilissima, considerando vnde formatus est humilietur homo: ideo vocatur animal rationale mortale, quatenus quando ex vno eleuabitur, deprimatur ex alio. Fuere qualitates naturales in corpore Adæ in maxima æqualitate proportionis. ¶ Sed contra, ergo corpus Adæ non fuit creatum, quando quidem fuit ex quatuor elementis. ¶ Respondet Thomas, vbi supra ar. 1. ad. 1. quod virtus Dei creatis est manifestata in corpore hominis, dum eius materia est producta per creationem. Hoc est quod quia materia fuit creata corpus est creatum.

*Argum.
Solutio.*

DE PARADISO TERRESTRI.

Propo. 10. **D**E Paradiso terrestri quid sit, & vbi fuerit, varij sunt modi dicendi. Aliqui Paradisum & ligna intellexerunt spiritualiter. Hanc positionem refert Magister in litera, contra quam est Hieronymus, super illud Daniel. 10. die vicesima quarta, vocas eam deliramenta & euerfionem veritatis. In epistola ad Pammachium de erroribus Ioannis episcopi Hierosolymitani, hunc illi sextum imponit, quod Paradisum allegorizet, & historiae auferat veritatem. Alia est sententia communis & Catholica quod fuerit locus corporalis. Hanc tenet Magister in litera & Scholastici doctores hac. d. Alex. 2. p. q. 58. M. 1. Bene super hac literam fabricamur allegorias, vt dicit August. lib. 13. de ciuit. capitu. 21. & per Paradisum intelligimus locum & sedem beatorum, & visionem Dei, sicut dixit Christus latroni Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso. Valet paradisos Græcè, Latine hortus: Hebraicè dicitur Eden. 1. deliciae, vnde vocatur Paradisos deliciarum. Dicitur fuisse locus temperatissimus. Quod quidam dixerunt quod attingeret ad globum Lunarem, Scotus hac. d. q. 2. reputat metaphoricum, aut falsum, quia ibi non esset habitabilis. Cum dicitur quod aquæ diluuij non illuc peruenerunt, quauis ascenderint super cacumina montium quindecim cubitis: Respondet idem Scotus, quod aquæ diluuij miraculose ad poenam peccatorum inundauerunt, & cum in Paradiso non fuerit peccatum quia soli dicuntur ibi esse Helias, & Enoch, nullum fuit miraculum, quod illuc non ascenderint, quia naturaliter, neque miraculose debere ascendere.

Positio. 1. De loco vbi sita fuerit, fuit positio dicens quod in montibus Sarmatiæ, quia ibi est mons Taurus, vnde oriuntur flumina Tigris, & Euphrates, & Ganges, qui cum in scriptura dicantur manare de Paradiso erit signum quod in illa parte Sarmatiæ Asiaticæ ad differentiam Sarmatiæ Europæ, sita fuerit Paradisos. Contra hanc est, quia Paradisos ponitur ab omnibus fuisse locus temperatissimus, sed Sarmatia est regio Septentrionalis & frigidissima, neque Ganges & Geon oriri probantur ex monte Tauro.

Alia

Positio. 2. Alia positio fuit, quod tota terra habitabilis fuerit Paradisos, & hortus deliciarum ante peccatum. Hanc refert Hugo de sancto Victor super Genesim non tamen ipsam tenet. Reuerendus pater, & doctissimus Magister Andreas Vega Salmanticae reputabat hæreticam, quia Genes. 2. dicebatur homo factus primo, & postea in Paradiso collocatus, sed non fuerat factus extra terram: ite fuit expulsus e paradiso, & tamē remansit in terra. Dicit & respondet fautor opinionis, quod post peccatum desijt esse paradisos, & factus est locus maledictionis. Sed contra, quia dicitur paradisos fuisse ad orientem quod de tota terra dici non potest, neque quod omnem angelus custodiret.

Positio. 3. Alia positio est, quod fuerit ibi, vbi Sodoma subuersa est. Ratio huius, quia Genes. 13. regio illa circa Iordanem dicitur fuisse sicut paradisos Dei, & glossa ordin. ibi. Hic dicimus esse paradisos terrenum, cui comparatur terrena irrigatio. Sed aduerte, quod glossa non dicit hic, id est, in hoc loco: sed hinc, id est, ex hoc loco, arguimus esse paradisos, quando quidem ad illum fuit comparationes. Fundamentum ex hoc loco Genesim pater Vega reputabat ridiculum.

Positio. 4. Alia positio est, quod fuerit in Mesopotamia Syriae vbi habitauerant illi antiqui patriarchæ, Noe, Sem, Nachor, Tare pater Abrahamæ. Est pro hac primò quod paradisos vocatur Edem: sed Edem est in Mesopotamia dicente Ezechiele. 27. de negotiatoribus Tyri, Aram, & Chennè, & Eden negotiatores tui: sed constat Aram fuisse in Mesopotamia, ergo etiam ibi est Edem, & per consequens paradisos. Huic potest responderi, quod non capitur Eden eodem modo in Genesi, & Ezechiele quoniam apud Ezechielem est nomen proprium siue loci, siue regionis in Mesopotamia, vnde veniebat ad negotiandum in Tyro: in Genesi est nomen appellatiuum significans, deliciae. Secundo, quia Tigris, & Euphrates fluij circumfluunt Mesopotamiam, vnde & ipsa nomen accepit, dicta, quasi in medio fluminum.

Positio. 5. Alia positio dicit, quod fuit in quarto climate propinquitates illas quas incoluit Adam post peccatum, quas consistat fuisse in 4. climate. Nam sepultus fuit in Hebron, Iosue. 14. quæ antea vocabatur Cariatharbe, verisimileque est ipsum non recessisse ad habitandum longe a paradisosimo loco Genes. 3. secundum tradu-

tionem septuaginta sic habet: Eiecit Deus Adam & habitare cum fecit contra paradysum. Ex qua littera Chrysoſt. hom. 18. ſuper Genefim docet eum habitaffe prope paradysum, idem dicit in homilia. 2. de Lazaro, que habetur ad finem ſecundi tomi. Facit in hanc, quod Adam dicitur factus in campo Damasceno, ſic dicto non à ciuitate Damasco, ſed à Damasco ſeruo Abrahe. Genef. 15. Sed Adæ dictum fuit à Deo. 2. cap. In ſudore veſceris pane, donec reuertaris in terrâ de qua ſumptus es, ergo ibi eſt mortuus & ſepultus, unde formatus fuit, & ſic locus ille fuit prope paradysum, & ex conſequenti, fuit paradysus in 4. climate, in Paleſtina Iudæa. Quidquid ſit de his poſitionibus nullo modo videtur dicendum, quod ille locus ille fuerit poſt peccatum deſtructus, quoniam in eo creditur eſſe Enoch iuxta id Ecclief. 44. tranſlatus eſt in paradysum vt det gentibus ſapientiam & Helias, qui futurus eſt cum eo teſtis. 1. Apocalyp. Duo autem ſunt quæ faciunt difficultatem. Primum, quia iam tam terra Paleſtiæ, quâ Meſopotamiæ, & aliarum regionum tam eſt perluftrata & cognita, vt videatur quaſi impoſſibile, quod ſi in illis foret paradysus maneret incognitus. Secundum eſt ortus illorum quatuor fluminum, quæ tam longe à ſe diſtant. Poſteſt dari tertia difficultas, quia dicitur fuiſſe ad Orientem, ſed hæc facilius ſoluitur, quod dicitur reſpectiue ad terram & locum vbi ſcribebatur historia Genefis, ſicut & Matth. 2. dicuntur Magi veniſſe ab Oriente ſed reſpectu Hieroſolymæ: reſpectu regionum Magis Orientalium dicerentur ab Occidente: reſpectiue quaelibet regio alteri comparata ad Orientem, aut Occidentem dicitur.

Propo. 11.

Adam factus fuit extra paradysum, & poſtea in paradyso collocatus. Magiſter in litera. Iam eſt dictum, quod in campo Damasceno, in quo dicitur Cain occidiſſe fratrem ſuum Abel. Datur vero Magiſter duas rationes, primam, quia non erat in eo permanſurus: ſecundam vt hoc non aſſignaretur nature ſed gratiæ. Vide & Alexand. 2. p. quaſt. 87. Memb. 1. Cum dicitur vt operaretur, & cuſtodiret illum, poſteſt referri ad Adam, vt operaretur paradysum, non operatione laborioſa ſed delectabili: cuſtodiret, non ab inuaſoribus, ſed quod ibi habitaret. Vel poſteſt referri ad Deum, vt cuſtodiret hominem, & cum illo ſua beneficia

beneficia operaretur. Quod ſi dicas quare facta eſt vniuerſa terra? Reſpondet Bonauent. quaſtione literali, quod non eſſet ſuperflua, quia ſeruiret animalibus, & decoraret hominem & paradysum ſicut magna platea regis palatium. Poſt peccatum factus ſimilis beſtias pſal. 48. deiectus fuit in terram brutorum. Alij dicunt quod etiam ſi Adam non peccaſſet eius poſteri incoluiſſent terram habitabilem præter paradysum, quia dictum fuit homini Genef. 1. Creſcite, & multiplicamini & replete terram, & ſubijcite eam. Dominamini piſcibus maris & volatilibus coeli, & vniuerſis animantibus, ergo debuerunt ambulare inter animantia, atq; circuire, & habitare vniuerſam terram.

DISTINCTIO XVIII.

De formatione mulieris.



EVa formata eſt in paradyso poſteaquam formatus fuit Adam. Hæc patet ex Genefi, quia Eva formata fuit ex coſta Adæ. Alexand. 2. p. quaſt. 60. Mem. 2. artic. 2. ponit duos modos dicendi de tempore ſuæ formationis, vnum, quod fuerit formata in eodem ſexto die quo fuit formatus vir non tamen in eodem inſtanti, ſeu eodem tempore indiuiſibili, & hunc reputat probabiliorem. Sequitur hunc primum Bonauentu. numero. 15. Secundum, quod Adam factus fuit in opere ſex dierum, non autem mulier, quia formatione mulieris pertinuit ad gubernationem & multiplicationem. Cum dicitur Genef. 1. Maſculum & foeminam creauit eos: intelligitur, quod creato corpore Adæ, materialiter fuit ibi Eva creata: vel fecit hominem ad hoc vt eſſet maſculus & foemina. At verò in hac poſitione Adam fuiſſet in paradyso per longiorem moram temporis. Rationes propter quas formata eſt poſt virum, & à viro dat Magiſter in litera. Prima fuit vt ſeruarietur dignitas primo homini, dum eſſet principium generis humani, & ſublimeretur humilitas hominis, Dei ſimilitudine, quia ſicut Deus eſt rerum omnium principium, ſic ex vno eſſemus homines omnes, quod & Paulus dixit Athenienſibus apud

Propoſ. 1.



apud Areopagum Act. 17. Secunda, ut superbia diaboli confunderetur, qui voluit esse principium aliud à Deo, in eius ergo confusione datum est homini, quod ipse inordinate appetijt. Tertia, ut se homines amarent quasi vnum, dum cognoscerent se esse ab vno.

Proposi. 2. Euam fuisse formatam de costa Adæ est de fide, cuius oppositum est hæreticum. Ita docet Alfonso Castro verbo Adam hæresi sexta contra Caietanum tenentem Euam simul cum Adam formatam de limo terræ. Literam Genesis de formatione Eue non ad literam, sed mystice, exponebat. Contra illum & pro conclusione est concors sententia doctorum verba Genesis sic intelligentium, & alias scripturæ autoritates ad idem facientes. 1. ad Timothi. 2. Adam primo formatus est deinde Eua. 1. Corint. 11. Mulier gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Ecclesi. 17. Creauit ex ipso adiutorium simile sibi. Sanctus Bonauent. num. 10. & Alexand. 2. p. q. 88 M. 2. iam ad finem dixit non fuisse formatam è sola costa, seu osse, verum etiam ex aliqua particula carnis. Dixit enim Adam. Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Fuit illa costa vt dicit idem Bonauent. opportuna, & non superflua Adæ, non in quantum erat individuum, sed in quantum erat principium mulieris, & per consequens totius humanæ speciei. Resurget in muliere, non in viro, vt dicit idem Bonauent. tam loco citato, quam in. 4. d. 44. num. 16. Est exemplum de semine, quod est superfluum individuo, necessarium tamen, & de intentione naturæ respectu speciei. Eadem est sententia Thomæ. 1. p. q. 92. ar. 3. ad secundum Scoti in. 4. d. 44. q. 1. ad. 1. principale. Sicut homo propterea, quod habet semen non est monstrum, neque quia emittit remanet mancus ita & Adam. Cum Genes. 1. dicitur. Creauit Deus hominem, masculinum, & foeminam creauit eos: ponitur summam quod in secundo cap. per partes explicatur, docendo quomodo facti sint, quia Adam ex limo terræ, Eua de costa. Sic etiam dicitur ibi. Creauit Deus coelum & terram, quod postea per partes explicatur. Sic dicimus, Hic artifex fecit domum hanc, postmodum partes enumeramus.

Proposi. 3. Ratio propter quam formata fuit de latere non de capite, aut de pede datur à Magistro, quia dabatur in sociam, non in dominam,

nam, neque; in ancillam, atque; vt magis diligeretur, & iuxta se ponendam esse vir cognosceret. Dat Magister aliam rationem Allegoricam, quoniam ibi figurabatur sacramentum Christi & Ecclesiæ Ephes. 5. vt sicut mulier de latere viri dormientis formata est, ita ecclesia ex sacramentis quæ de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt, scilicet, sanguine & aqua, quibus redimimur à peccatis, atque abluimur à culpis. Sanctus Bonauent. citatus dicit, quod mulier facta est de osse, quia debet per virum roborari & defendi, quia vir per mulierem emollitur, suscipit enim ab ea infirmitatem, repleta est & substituta caro pro costa. Hoc sic intelligo vt Alexand. 2. p. q. 58. M. 4. §. 3. quod innuitur teneritudo compassionis viri ad mulierem. Concordat Ricardus cum Bonauent. hac. d. q. 1.

Proposi. 4. Adiutorium in quod facta est mulier viro fuit generatio, quoniam ad aliud quodcumque; opus melius posset iuuari per alium virum. Bene postquam sunt coniuncti mutuas sibi operas in vita domestica impendunt, vide Thom. 1. p. q. 92. art. 1. Ricard. d. 20. huius. q. 1. in argumento ad oppositum.

Proposi. 5. In costa Adæ non fuit semen, neque; ratio seminalis respectu formationis Eue. Hanc docet Magister in litera ex beato Augustino. Pro cuius intellectu sciendum est quasdam causas, seu rationes dici primordiales, quia non præcedunt ipsas alias. Hæ sunt in ipso Deo sicut in artifice omnem habente scientiam. De quibus habes in. 1. dist. 35. Alias sunt causæ, vel rationes obedientiales, quæ sunt in creatura potentia obedientialis, vt de illa, & in illa faciat Deus quidquid non implicat contradictionem. Alias sunt rationes seminales. De hac diuisione vide Magistrum in litera, & Bonauent. quæst. 2. Est ratio seminalis, vt Scotus hac dist. ait, forma seminis substantialis, vel qualitas necessario consequens formam seminis substantialem: semen vero, vt idem ait, est corpus imperfectum productum à generante non propter se, sed propter aliud, vt ex ipso generetur aliquid simile generanti, vide litera. F. Vnde ratio seminalis solum ponitur in generantibus, seu producentibus sibi simile mediante propagatione, & hoc maxime in viuentibus: ideo non ponitur in sole, qui generat sibi dissimilia: neque in igne, qui generat immediate alium ignem. Translatiue loquendo & generaliter, omnes virtutes

actiuae cum passivis sibi correspondentibus dici possunt rationes seminales, in quantum sunt viae ad formas ulteriores, & perfectiores. In hunc sensum dixit August. 3. de Trinitat. cap. 7. omnium quippe rerum, quae corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in istis corporeis mundi huius elementis latent: & cap. 9. quod mali angeli pro subtilitate sui sensus in occultioribus elementorum seminibus norunt unde ranarum serpentesque nascuntur, ut sic Magi Pharaonis fecerint ranas, & serpentes, vide supra. d. 7. Modo probatur conclusio à Scoto. Semen est propinquum convertendum in genitum, sed illa costa non fuit quid propinquum convertendum in corpus Euae. Secundo, quia per quamcunque transmutationem non potuit transmutari costa in totum corpus Euae, quod fuit formatum in perfecta quantitate: neque etiam ex illa costa potuit fieri naturaliter aliquid illius corporis nisi per multas transmutationes. De supradicta divisione rationum seu causarum, vide Alexand. 2. p. q. 42. M. 5. Thom. 1. p. q. 115. art. 2.

Propositi. 6. Si corpus Euae formatum est ex sola costa sine aliquo addito est duplex modus dicendi. Vnus Magistri quod formatum fuit sine alicuius extrinseci additione, quia dato opposito, illud additum debuit esse maius & sic de illo deberet dici factum, & non de costa. Dat exemplum de multiplicatione quinque panum Ioan. 6. sine additione. Est alius modus quem videtur innuisse Magister, quod fuit factum addita aliqua materia. Hunc modum sequitur Thomas. 1. p. q. 92. art. 3. ad primum dicens, quod in talibus multiplicationibus necessario est ponenda additio materiae vel per creationem, quod est probabilius: vel per conversionem, quia non potest fieri multiplicatio materiae sine rarefactione: implicat enim contradictionem, quia rarefieri est eandem materiam accipere maiores dimensiones ex. 4. Phys. ergo si multiplicatur, rarefit, & est converso: sed in formatione corporis Euae, & in multiplicatione panum non apparet rarefactio, ergo est ponenda additio materiae. Confirma. quia alias corpus Euae fuisset nimis rarum, quia illud corpus est rarius, quod sub magna extensione modicam habet materiam, & esset difforme, quod non est dicendum, quia Dei perfecta sunt opera. Deutero. 32. De ambabus opinionibus, vide Ricard. hac dist. quaest. 1. ad. 6. argu.

6. argumentum Gabrielem hac dist. artic. 3. dubio. 1. quia pro utraque facit rationes & soluit. Dicit verò hanc secundam esse, communem citato Gregorio Ariminensi, & intelligibilior.

Ad rationem Magistri dicunt, quod non debuit dici de addito, sed de costa, quia factum non fuit nisi mediante costa, sicut ad quantitatem in generatione plus additur de nutrimento, quam sit semen, & magis dicitur ex semine, quia est principium generationis. Hæc solutio alijs non placet, ut dicit Ricardus.

¶ Ad rationem Thomae respondetur, quod argumentum curret quando modica materia sine sui multiplicatione multum extenderetur, quia tunc fieret nimia rarefactio, sed in proposito materia costae fuit in semetipsa multiplicata, & sic corpus non caruit debita densitate.

Anima Euae non fuit facta ex anima Adæ. Magister in litera, & vide supra. d. 17. p. 4. De alijs animabus, scilicet, Vegetativa, & Sensitiva est maius dubium, an producantur ab agente creato, vel immediate à Deo: Cum anima sensitiva sit in animalibus, vel per propagationem, vel putrefactionem. Alex. 2. p. q. 60. M. 3. art. 1. & 2. in propagatis concedit, quod anima sit ab agente creato: non quidem anima ex anima, sed animatum ex animato, & sic non immediate à Deo. Hanc sequitur Bonavent. hac. d. q. vlti. ad penultimum argumentum dum fatetur, quod brutum totaliter producit, & quantum ad animam & quantum ad corpus: In eadem est Ricard. hac. d. ar. 2. q. 2. in. 4. arg. principali. Et Thomas. 1. p. q. 118. art. 1. & opinio probatur. Anima sensitiva non subsistit per se nisi in composito, sed compositum non est immediate à Deo, ergo neque anima sensitiva. Secundo anima sensitiva non creatur, ergo non est immediate à Deo. Tertio non viventia generant sibi similia ut ignis ignem, ergo & viventia possunt generare sibi similia, & sic animam sensitivam. Confir. quia non solum ignis generat ignem, sed etiam calor qui est accidens concurrat partialiter ad productionem ignis, ergo similiter vis activa in semine deciso concurrat ad generationem animalis, & sic ad productionem animae sensitivae. Atque sicut ignis calore agit, ita & animal semine mediante, aut saltem vi seminis,

Q q 2 producit

*Solutio ad
Magistrum.*

Ad Thomam.

Propositi. 7.

producit animal, & sic anima est ab agente creato. De productis ex putrefactione Alexand. loco citato vtrumq; reputat probabile, quod eorum anima sit ab agente creato, vt sicut in semine est vis disponens ad animam sensitiuam, ita sit quaedam vis in materia elementorum ad eandem animam sensitiuam, hunc modum dicendi sequitur Thomas loco citato in argumento ad oppositum: facit illud Genes. 1. producant aquae reptile animae viuentis, id est, reptilem animam viuentem. Reputat etiam probabile Alex. quod sit immediate à Deo, quia tale animal cū sit substantia animata sensibilis, seu sensitua, hoc est viuens, est nobilius & perfectius elementis, & coelis quae sunt mere corporea, ergo non producit ab eis nisi dispositiue. Probatur consequentia, quia dixit Auicēna. 6. Metaph. cap. 3. quod causa est dignior causato, sed causatum in proposito esset dignius, & nobilius causa, ergo non producit ab eis. Quoniam argumenta facta possent contra hanc militare responderetur ad ea. ¶ Dico ad primum, quod totum compositum non est immediate à Deo, sed bene pars compositi, id est forma, seu anima sensitua.

Solutio.

Ad. 2.

¶ Ad secundum negatur consequentia, quia creatio est ex nihilo, excluditque omnem causalitatem causae materialis, & seminalis, atq; efficientis creati, vt habes à Scoto hac. d. litera. A. esse à Deo immediate potest excludere ista praedicta & conuerti cum creatione: potest etiam solum excludere causalitatem efficientis creati, & sic est in proposito, quia non excluditur causa materialis neq; seminalis. ¶ Tertia ratio non currit contra hanc sententiam, sed bene autoritas Genesis. Ad quam potest dici, quod sicut homo dicitur generare hominem in quo est anima rationalis, quia inducit prauias dispositiones, quamuis ipsa sit immediate à Deo, sic in proposito, & autoritas non dicit, producant animam, sed reptile: in quo est anima viuens. Scotus hac dist. tenet quod omnis anima est immediate à Deo, quia secundum eum neque semen, neq; ratio seminalis est principium actiuū inducēs ultimam formam. Probatur, quia imperfectius non est causa actiua perfectioris, sed semen, & ratio seminalis est quid imperfectius genito, ergo non est causa actiua ipsius. Confir. quia ratio seminalis si est qualitas consequens formam seminis est accidens, ergo non potest concurrere actiue ad generationem substantiae.

Secundo

Secundo probatur quia quod non est non potest esse principium productiuum substantiae, sed semē non est in instanti generationis ergo non potest producere substantiam. Confir. quia semen est aliquid de proximo conuertibile in generandum, sed hoc magis habet rationem passiuī, quam actiuī. Per has easdem rationes excluditur quod vltima forma, siue anima sensitua non sit à patre, qui saepe iam non est quando filius generatur, & nunquam est praesens generationi & inductioni vltimae formae. Neque etiā à forma coeli, quae est imperfectior. Forte debent esse cum Scoto qui tenent animam vegetatiuam, aut saltem sensitiuam esse inextensam, hoc est, indiuisibilem. Na si est inextensa & indiuisibilis, ergo non potest introduci ab agente creato. Probatur consequentia, quia debet induci in instanti.

Sed contra Scotum arguitur. quia si à Deo immediate inducitur ergo non educuntur de potentia materiae. ¶ Negatur consequentia, quia educi de potentia materiae non requirit necessario agens naturale, sed quod forma dependeat à materia in esse & in operari. Modo quamuis Deus illas inducat, inducit tamen dependentes in esse, & operando à materia: ideo educuntur de potentia materiae, neque sunt ab illa separabiles. Aduerte tamen quod Gabriel hac. d. art. 1. tenet quod accidens concurret actiue vt causa partialis ad generationem substantiae propter rationem factam de calore ad ignem generandum. Aduerte secundo quod Thomas citato loco dicit animam generari ab anima principaliter, à semine instrumentaliter. Alexan. citatus dixit animatum esse ex animato sed non ita proprie dici animam ex anima, quod si diceretur in plantis, & quibusdam animalibus, non tamen diceretur in omnibus: Nullatenus autem in homine. Hæc Alex. Vide eundem in. q. 9. 1. M. 1. art. 2. vbi refert opinionem Scoti quamuis sub alio termino petita. q. Vtrum vita in plantis, & brutis sit à Deo immediate. Tandem ipse ibi tenet quod supra citatum est quod non sit nisi ab agente creato per virtutem seminis, aut rationis seminalis, quibus rationibus mundus siue natura est grauidata, concurrente etiam virtute

Argum.
Solutio.

Gabriel.

coelesti, & cooperante.

Qq 3 DIS.

DISTINCTIO XIX.

De statu primi hominis quantum ad immortalitatem.

Propos. 1.



Nimia rationalis est immortalis. Hæc est de fide cuius contrarium est hæreticum. Fuere enim quidam hæretici in Arabia ex hoc dicti Arabici dicentes animam cum corpore mori. Vide infra in. 4. d. 44. Conclusio probatur sapietia. 3. iustorum animæ in manu Dei sunt, non tæget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori illi autem sunt in pace. Et capi. 2. Deus creauit hominem in exterminabilem, ecclesi. 12. Reuertatur puluis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad deum qui dedit illum. Matth. 10. Animam non possunt occidere. Tam ad huius intellectum quam aliarum oportet scire quid sit vita. Hanc materiam tractat Alexand. 2. p. a. quæstio. 90. vsque ad. 93. Dico, breuiter quod vita dicitur in abstracto: quod viuere in concreto, secundo dico quod vita non est anima, sed quid causatum ab anima, ut est videre in citata. q. 90. M. 2. artic. 2. unde quando dicitur, quod Anima est vita corporis, intelligendum est, causaliter, quod anima causat vitam corporis. Dico tertio quod vita capitur tripliciter, ut dicit idem Alex. ibidem art. 4. Primo pro actu primo simpliciter, siue pro perfectione viuentis, dicit namque esse substantiale ipsius viuentis, dixit enim Arist. 2. de anima, viuere viuentibus est esse: hoc modo vita est reducibilis ad substantiam, siue ad genus substantia, reducitur enim ad illud genus in quo est viuens, ibidem arti. 1. Secundo modo capitur vita pro potentia & proprius pro virtute, in quantum ex motu cordis ministrat alijs operatiuis virtutem operandi, & sic vocatur potentia, eo tamen modo quo virtus dicitur potentia. Tertio modo, actus secundus, seu operatio vitæ vocatur vita. Est exemplum de intellectu, qui quandoque sumitur pro ipsa potentia intellectus, quandoque pro actu siue pro operatione ipsius intellectus, & hoc tertio modo, vita dicit quid accidentale. Stat, ergo resolutio in primo, & tertio modo ut dicat vita esse substantiale viuentis, & dicat eius operationem. Ponit Arist. 2. de anima capit. 2. quatuor vitæ operationes intelligere, sentire, moueri secundum

dum locum, Augeri aut diminui ex alimenti sumptione, & dicit quod etiam si vnum tantum istorum insit, viuere dicimus illud cui inest. Tandiuque dicitur animal viuere, quandiu aliqua harum operationum in ipso apparuerit. Restat igitur quod vita principaliter dicat esse substantiale: minus proprie & minus principaliter operationem quæ est accidens, quauis ex operatione deueniamus in cognitionem illius, cuius est talis operatio. Quarto dico quod ex prædictis apparent multæ quæstiones, quia intelligere est operatio viuentis, & intelligens est viuens, Deus dicitur viuens & viuens, quauis suum intelligere non est accidens, sed suam essentiam: Angelus anima sunt etiam viuentia: vita ipsorum est à Deo immediate, à quo habent & suas essentias: Corpus est viuens, sed participando vitam ab anima. Vita etiam est qua viuens formaliter viuunt, sicut calor quo formaliter est calidum, & albedo qua album: Anima est qua viuens causaliter viuunt. Quinto dico quod mors non est proprie priuatio vitæ, prout priuatio dicit negationem habitus in subiecto apto nato, quia vita non est habitus quia non est qualitas, sed dicit esse substantiale: hoc docet idem Alex. citatus. q. 90. M. 2. art. 1. ad penult. argumentum & art. 5. ad vltimum, sed potius est corruptio, & destructio vitæ. Restat ergo quod anima rationalis quia intelligit, & secundum locum mouetur viuunt: dicere quod est immortalis est dicere quod sit incorruptibilis, & hoc, tamen quoad esse substantiale, quam quo ad operationem. De vita vide & Thom. 1. p. quæst. 18.

Corpus primi hominis in statu innocentia. erat passibile, & mortale secundum quod passibile & mortale dicunt potentiam. Probatur quia erat compositum ex quatuor elementis habens qualitates contrarias ergo ex pugna illarum poterat corrumpi. Secundo quia calor naturalis agens in humidum radicale ipsum consumit: ita ex senectute poterat mori, quia licet per alimentum repararetur quod deperditur, nunquam reparatur tam purum, quam erat quod deperdebatur. Tertio quia mors quandoque prouenit ab extrinseco per lationem, sed poterat lædi, ergo & mori, vide Alex. 2. p. q. 89.

De facto si non fuisset peccatum homo non moreretur. Hæc docet Paul. Rom. 5. per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors

Positio. 2.

Positio. 3.

mors in omnes homines pertransijt, & 8. Corpus quidem propter peccatum mortuum est. Hæc decisa est in Concilio Mileuitano contra Pelagium cap. 1. Quicūquedixerit Adam primum hominem mortalem factū, ita vt siue peccaret siue nō peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, nō peccati merito, sed necessitate nature: anathema sit. Vbi aduertendum non damnari simpliciter dicentes primum hominem mortalem, sed cum hoc addito quod de facto moreretur.

Proposi. 4. Ex his duabus sequitur quarta, quod Adā potuit mori, & nō mori & fuit mortalis quodāmodo, & quodāmodo immortalis. Hæc in litera ostendit & probat Magist. & Alex. 2. p. q. 63. M. 1.

Proposi. 5. Corpus primi hominis etiam in statu innocentie fuit animale id est, alimonij egens, vnde. 1. Corinth. 15. Factus est primus homo Adam in animam viuētem, id est, in animam corpus significans, quod erat animale egens cibis, vt per animam viueret. Ita Magister in litera. Alex. 2. p. q. 85. M. 1. dicit quod animal & animale ab ipso deriuatum capitur dupliciter. Vno modo generaliter, & sic conuenit cuicunque contēto sub animali, tam homini quam bruto. Alio modo capitur specialius & sic conuenit brutis vocari animalia, homines enim vocantur cum addito, scilicet rationalia. Primo modo conuenit homini in quocunq; statu esse animal, & habere corpus animale etiam in gloria, secundo modo dicitur homo animalis propter similitudinem ad bruta, & hoc tam quo ad corpus, quam quo ad animam, quo ad corpus quia ita egemus alimonij sicut egent animalia: hoc modo tam in statu nature integre, quā lapsæ habemus in vita præsentis corpora animalia & sic capit propositio. Quantum ad animam dupliciter, vel penes solas vires interiores animales: hoc modo vocatur homo animalis quando de Deo iudicat & de rebus diuinis iuxta phantasiā, quæ est sensus interior, & de tali dixit Paulus. 1. Corinth. cap. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: vel penes vires & sensus exteriores: hoc modo vita carnalis, atque voluptuosa, quæ non retinetur intra metas rationis vocatur animalis, id est carnalis.

Argum. Solu. Contra hanc. Sequeretur quod homo etiam indigeret purgatione ventris, quæ fieret cum dolore, & foetore, qui in illo statu esse non debuerant. Huic respondet Alexan. tripliciter. Primo quod

quod illa separatio impuri per egestionem, fieret sine dolore, & sine foetore, atque sine turpitudine aut immunditia, sicut modo fit eliquatio in fructibus alijs, vt tritico, & vuis quando conteruntur. Essent enim cibi hominum tunc puriores, & subtiliores, neq; nostris similes. Secundo quod forte illa purgatio fieret per exhalationes, & euaporationes. Vel tertio quod totus ille cibus propter suam puritatem & virtutem aptus fuisset ad conuersionem in substantiam aliti.

Vnde proueniret homini illa immortalitas in statu innocentie triplex inuenitur doctorū opinio. Prima tenet quod ex esu ligni vitæ, & ex iustitia originali. Nam est duplex humidum vñ nutrimentale: aliud radicale. Naturalis igitur calor, qui est anime instrumentum, agendo cōsumit vtrunq; . Adam per esum aliorum lignorum impediret consumptionem humidi nutrimentalis & sic eius vita conseruaretur: sed quia quod aggeneratur non est ita purum sicut illud quod deperditur, vt est exēplum Arist. 1. de gener. Tex. com. 42. siue cap. 5. de aqua admixta vino, quæ in vinum conuertitur: ad extremum vinum dilutum reddit, & in virtute animalis apparet, quia in principio non solum potest recuperare quod deperditur per digestionem, sed etiam quod sufficit ad augmentum, vt in pueris: post modum quod sufficit ad reparandum deperditum vt in vitis: tandem in senectute, neque ad hoc sufficit, sed sequitur mors quia consumitur humidum radicale, contra hoc erat lignum vitæ reparans, vel impediens consumptionem humidi radicalis. Ideo vocabatur lignum vitæ quia vegetabat vel reparabat illud humidum in quo radicitur vita. Contra pugnam humorum, seu qualitatum, & inclinationem elementorum ad sua loca faciebat donum iustitiæ originalis, per quam anima corpori præsidens illa contineret in quadam amica pace, & concordia, vt nō haberent appetitum ad maleficium rei contenta & quieta in suo appetitu forma tam nobili, vt esset anima innocens, tali iustitia prædita. Hanc tenet Alexand. 2. p. q. 93. M. 2. sequuntur Bona. hac. d. num. 36. Thomas. 1. p. q. 97. art. 1. & 4. Vbi Caietanus annotat duo, primū quod esus ligni vitæ non est dicendus reparare deperditionem humidi, sed impedire & hoc contra Scotum: & Thomas ibi sic loquitur, sumptusque ex Alexandro. qui Alex. non est vsus nisi verbo impediendi,

Positio . 6.

diendi, & vegetandi. Nos vtrunque posuimus impedire, & reparare, quia Bona locutus est per reparare. Secundum quod annotat Caiet. est quod illa iustitia originalis faceret quod corpus agendo in nutrimentum non repateretur ab eo. Cum citatis doctoribus Alex. & Bon. est Ricar. art. 3. q. 1. Secunda opinio tenet quod proveniebat è solo ligno vitæ. Hanc tenet in litera Magister, sequitur Gabriel hac. d. art. 3. dubio. 1. & dicit esse communem. Intelligenda sunt autem hæc duæ opiniones quod non sufficeret unica comestio, quia virtus ligni erat finita, & semel sumptum usque ad determinatum tempus conseruabat, quo finito erat iterum sumendum. Nam Adam ex illo comedit ut dicit Magist. d. 29. citato August. Tertia opinio est Scoti quod proveniebat è sola diuina voluntate quæ hominem transfulisset in paradysum antequam fuisset alteratus alteratione animæ improporcionata: quia apud Scotum esus ligni vitæ non restaurabat deperditum in esse nobilius, quàm erat conuertens, & in eadem actione caloris in ipsum lignum virtus actiua repateretur, & debilitaretur.

Argu. contra
Scotum.

Quelibet harum est probabilis. Sed propter Caletanum arguitur contra Scotum ex beato Augustino in lib. quæstionum noui & veteris testamenti quem & Thomas refert, ait enim Deus hominem fecit, qui quoadiu non peccaret immortalitate vigeret, ut ipse sibi autor esset, aut ad vitam aut ad mortem. Non enim corpus eius erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animæ vis quædam supernaturaliter diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare, quoadiu ipsa Deo subiecta mansisset. Ex hac autoritate Caietanus irridet Scotum, quasi non seruante honorem reuerentiæ debitum beato Augustino, neque aduertentem quod fuit qualitas in anima Adæ ut præseruaret corpus à corruptione ex autoritate August. Sed respondeo, quod Augustinus ibi non loquitur nisi de scientia, & prudentia, quam habebat Adam ad præseruandum corpus tam à læsione extrinseca, quàm ab intrinseca. Dato enim opposito retorquetur argumentum ex illa met. autoritate, quia si esset alia qualitas ut iustitia originalis, quæ per se, & ex natura sua præseruaret ergo immortalitas in statu innocentie, & post resurrectionem erit æqualis ex natura rei. Neque refert quod post resurrectionem erit in corpore aliqua qualitas: quia siue sit in corpore, siue in anima quantum

quantum ad incorruptionem impertinens videtur esse. Item quia si talis qualitas ex natura rei sufficiebat ergo superfluebat esus ligni vitæ. Confirmatur contra Caieta. quia per ipsum iustitia originalis impediabat quod corpus repateretur agendo in nutrimentum ergo esus ligni superfluebat: quia qua ratione impediabat repulsionem, impediret & consumptionem.

Læsione extrinseca homo non læderetur, neque à bestia: quia omnes illi fuissent subiectæ ut patet Genes. 1. neque ab alio homine, quoniam in illo statu nullus foret homicida, neque alteri noceret, neque parentes filios paruulos sineret fame perire. A demonibus Deus hominem conseruaret, inessetque homini à Deo prudentia, ut vitaret noxia.

Proposi. 7.

Illam immortalitas poterat dici naturalis, quia esus ligni vitæ conseruabat, complexio erat proportionatissima & optima, aer, & locus Paradisi temperatissimus: poterat etiam dici supernaturalis magis quàm naturalis ut dicit Duran. hac. d. q. 1. quia nihil dicitur simpliciter naturale, nisi quod potest provenire ex causis pure naturalibus: sed cum prædictis in omni opinione erat necessaria diuina prouidentia, & prudentia, & locus ille temperatissimus collatus Deo. Hoc magis patet in via Scoti, in qua ex diuina voluntate fieret quod homo transferretur in paradysum ante mortem. Neque erant omnes expectaturi ut transferrentur simul, sed quilibet transferretur in suo statu ut idem Scotus ait, cui consentit Ricardus circa literam. ¶ Ex prædictis infer quod opinio Scoti differt ab errore Pelagij, quia Pelagius volebat quod de facto more retur in statu innocentie: Scotus non, sed quod duntaxat poterat mori. ¶ Secundo infer quod in opinione dicentium quod in statu innocentie homines implerent, & habitarent cæteras partes terræ. Vel ad certa tempora deberent peregrinari ad Paradysum ad edendum de ligno: vel illud lignum posset in alijs partibus per transplantationem, vel ex semine propagari, vel qui cognoscerent se tãdiu posse naturaliter viuere, quod transferrentur antequam esu illius egerent, posset transire de hoc mundo sine illius esu. Hoc non concedent qui tenent fuisse datum præceptum de esu illius ligni quos in litera Magister refert, nisi exponatur, præceptum fuisse affirmatiuum pro tempore quo egerent.

Proposi. 8.

Corola.

Corola.

Si post peccatum posset homo præseruari à morte per

Rr 2

esum

Proposi. 9.

Argumentum

esum ligni vitæ duplex opinio est. Prima negatiua quam necessario debet tenere Scotus. Tenet vero eam Alex. loco citato, quia ad vlti. petendo si bruta comedissent ex illo ligno an possent perpetuari? negat, quia lignum habebat virtutem illam ex dono creatoris in ordine ad immortalitatem patriæ, sed bruta non erant futura immortalia in patria ergo non habebat lignum illam virtutem. Eandem tenet Bonauen. Numero. 28. Ricardus. artic. 2. q. 2. & debet etiam esse Thomæ, vt citato artic. 4. tenet Caiet. & deniq; omnium qui tenuerint iustitiam originalem fecisse ad immortalitatem. In hac opinione debet dici quod lignum vitæ non habuit à natura sua speciuoca, sed ex dono Dei quod præseruaret. Atque in hanc videtur esse Magister in litera huius distin. Et elarius in distin. 29. Et si contra hanc arguas ex illo Genes. 3. eijciendo Adam, ne forte sumat de ligno vitæ & uiuat in æternum. Respondetur quod ibi valet in æternum, id est, in multum tempus: ita exponit Bona. & Ricardus: sicut psal. 75. illuminans à montibus æternis, & Genes. 17. & 48. promittitur terra Chanaan in possessionem æternam. Circuncisio ibi. 17. vocatur pactum & foedus æternum in carne Hebræorum. Similiter de solennitate azymorum & agni Exod. 12. quod erat celebranda in eorū generationib; cultu sēpiterno. Nū. 28. holocaustum agnorum vocatur sempiternum. Sabbatum etiam pactum sempiternum Exod. 31. sacerdotium Aaron & filiorum eius vocatur sempiternum. Exod. 28. Num. 25. ecclesi. 45. Quod tamen constat non durasse nisi per longum tēpus: quia Paulus in hoc monstrat inter alia differentiā sacerdotij Christi à sacerdotio Leuitico, quia Iesus manēs in æternū sempiternum habet sacerdotiū. Hebr. 7. Alia est opinio quod lignū vitæ habebat illam virtutem ex natura sua, & quod si Adā post peccatū māfisset in Paradiso, & comederet tēperate, maxime de ligno vitæ, & ab extrinseco præseruaretur per diuinā prouidentia posset viuere in æternū. Ad hanc est Duran. hac. d. q. 1. ad. 1. argu. verum tamē est q; loquitur dubitative cū verbo fortē. Quod si contra dicas quod fuit lex Dei post peccatū de morte: respōdet, q; illud fuit dictū Genes. 2. qua hora comederis morieris, ex præuisione, quia erat eijciendus ex Paradiso, & amissurus diuinā custodiam & prouidentiam. Opinionem vero absolute tenebat Salmaticæ doctissimus pater frater Andreas

Vega excitata autoritate Genes: neq; admittebat datam interpretationem, quia si valeret sic exponere ly, æternum, non habebimus vnde probemus per scripturam poenas damnatorum æternas contra Origenem. Eandem tenet Alfonso de Vera Cruce Augustinensis doctor Mexicanus in fine. 2. de generatione. Sed re vera ipsi debent exponere æternum, & sempiternum in citatis autoritatibus, & similibus, & maxime Andreas Vega: alius enim non negat interpretationem. Nec reputarem inconueniens dicere, quod ly, æternum, non conuinceret Origenem se solo, nisi ex alijs scripturæ autoritatibus, & ecclesiæ interpretatione constet capi ibi æternum, pro tempore interminabili. In hac opinione, concedendum videtur, quod si de illo bruta ederent conseruarentur quantum erat ex parte ligni, & propria eius virtute, quanuis bene morerentur ex alio extrinseco, aut defectu sumptionis ligni ad necessarium tempus.

De immortalitate gloriæ, & innocentie an sint eadem, potest dupliciter responderi. Primo negando esse easdem, quia in statu Innocentie dicebat immortalitas potentiam ad non moriendum: in gloria dicit impotentiam ad moriendum: idcirco in via ponitur corpus animale, id est, indigens cibo vt dictum est, in patria erit corpus spirituale. 1. Corinth. 15. quod exponit in litera Magister, scilicet, agile & cibis nō egens. Vel potest dici, quod potentia importata in ly, immortalitas est eadem, sed variata secundum accidens: ita tenet Alexand. 2. p. q. 93. M. 3. & Bonauēt. hac. d. nu. 45. sicut coriscus albus, & niger idem est secundum substantiam tamen alteratus, ita immortalitas est eadem secundum essentiam sed alia quantum ad dispositionem superadditam, vide & Ricardum hac. d. q. vlti.

Propo. 10.

DISTINCTIO XX.

De procreatione filiorum in statu innocentie.



In statu innocentie homines carnaliter coirent, & per coitum carnalem fieret generis humani multiplicatio. Hæc docetur à Magistro in litera contra aliquos quos non nominat, & est de fide contra Armenios

Proposi. 1.

Rr 3

nios

nios negantes coitum in illo statu, sed quod aliter propagaretur humanum genus. Cum eis tenuit quidam Almaricus doctor Parisiensis, addens, quod neq; foret sexuum distinctio. Thomas. 1. p. quæst. 98. artic. 2. refert Gregorium Nicenum, in lib. quem fecit de homine, dicentem, quod in paradiso aliter fuisset multiplicatum genus humanum, sicut multiplicati sunt angeli absque concubitu per operationem diuinæ virtutis, & quod Deus ante peccatum fecit masculum & foeminam respiciens ad modum generationis qui futurus erat post peccatum. Forte ex hoc sumpserunt errandi occasionem Armenij & Almaricus. Sed probatur conclusio Genes. 1. ante peccatum benedicens homini dixit Deus. Crescite & multiplicamini & replete terram, ante peccatum dixit Adam hæc vocabitur virago, propter quam relinquet homo patrem, & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna: quod quidem fit per coitum. Dixit etiam Deus, faciamus adiutorium simile sibi, scilicet, ad generationem vt habes supra dist. 18. p. 4. de conclusione, vide Alex. 2. p. q. 94. M. 1.

Propos. 2.

In illa commixtione esset claustrum mulieris apertio, & corruptio sine dolore tamen: esset delectatio sine foeditate tamen libidinis. Hanc pro vtraq; sui parte docet Bonauent. q. 3. & 4. Probatur, quia duo corpora non possunt esse simul naturaliter, quin mutuo se expellant, ergo non posset maritus intrare corpus mulieris, neq; proles exire sine apertione claustrum. Aliqui dicunt oppositum, quod non esset apertio claustrum, sed sicut egreditur fluxus menstrui ita intraret semen viri. Hæc fuit sententia Alexand. 2. p. quæstio. 88. Memb. 4. quem sequitur Thomas. 1. p. quæst. 98. artic. 2. ad quartum. Ambo citant August. lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 26. Sed reuera tunc non intraret membrum viri, sed semen. Quod si petas ab ista opinione, ergo tunc omnes peperissent virgines, neq; fuisset magnum priuilegium & contra naturam datum matri Christi: est duplex responsio vna citati Alexand. quod ad amissionem virginis in illo statu sufficiebat seminum commixtio sine apertione claustrum: ab ista commixtione fuit immunis beata Virgo: alia responsio, quod tunc omnes peperissent virgines. Hanc refert Ricard. hac dist. art. 1. quæst. 4. non nominatis autoribus. Alij, vt Gabriel in vltimis

timis verbis huius dist. dicit, quod in concipiendo non foret necessaria corruptio, sed in pariendo. Dicitque quod August. citatus de conceptu non de partu loquebatur. Aliter Ricardus respondet, quod Augustinus loquebatur non quod futurum erat, sed quod fieri poterat. Ad harum opinionum intellectum multum facit scire, si claustrum virginis sit aliquod corpus, quod sit velut tela, an solum sit caro muliebris seipsa coniuncta & clausa, quia tunc aperiri posset sicut os, & manus aperitur & clauditur. Nam à quodam medico audiui esse opiniones inter medicos.

¶ Secunda pars de delectatione probatur, quia delectatio causatur ex coniunctione obiecti sensibilis conuenientis ad suam potentiam, sed emissio seminis est conueniens & delectabilis tactui ergo esset delectatio. In hoc tamen est discrimen, quia Thomas dicit, quod tunc fuisset delectatio maior, quam modo, quanto fuisset purior natura, & corpus magis sensibile. Neq; moderatio rationis obstaret quo non fieret maior delectatio, sed ratio moderaretur vim concupiscibilem, ne immoderate inhæreret delectationi, est exemplum de sobrio in cibo, qui non minorem habet delectationem quam gulosus, sed eius concupiscibilis minus requiescit in delectatione. Contrarium tenet Alexand. citata. q. 94. M. 2. quod non esset tanta delectatio, quanta modo, quia illam ratio moderaretur, est exemplum de equo lasciuo, qui rupto vinculo velocius currit & impetuosius, licet non habeat maiorem virtutem. Nam tunc voluntas non se ad eum immerfisset delectationi. Coniunctio vero voluntatis facit, aut remittit actus veneri intensiorem. Sequitur Bona. quæst. 3. fundantque se in quadam Augustini autoritate, quam Thomas dicit non excludere magnitudinem delectationis, sed ardorem libidinis, & inquietudinem animi Ricard. art. 1. q. 3. pro vtraque facit rationes & soluit.

¶ Primi parentes in paradiso non coierunt. Ita docet Magister in litera ex beato Augustino, quia creata muliere mox facta est transgressio, expulsi que sunt, vel quia nondum Deus iusserat vt coirent, poteratq; expectari diuina autoritas ad determinatum tempus commixtionis. Posset dari alia ratio congruitatis similis illi quam dat Alex. q. 87. M. 1. quare Adam factus fuit extra para-

paradisum, scilicet, misericordia Dei in minoratione afflictionis, quia cum sit homini insita naturalis inclinatio ad locum suum, & patriam iuxta illud poetæ Ouidij. 1. de Ponto. elegia. 4.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Si homo factus fuisset in paradiso, & de limo paradisi, naturaliter magis ad illum locum inclinaretur, & magis affligeretur ab illo exulando. A simili propter eandem noluit Deus, quod aliquis filius Adæ gigneretur in paradiso. Aduerte hanc congruitatem ut Adam magis viueret in campo Damasceno, quam in alia regione: de quo dictum fuit Genes. 3. emisit eum dominus de paradiso, ut operaretur terram de qua sumptus est. Posset facere hæc congruentia ad Eux formationem ex latere viri licet fuisset in paradiso, ut scilicet, semper libentius adhæreat viro, quem mutantem domicilium vxor debet sequi ut notant doctores in cap. Si quis 34. q. 2. & summistæ verbo. Vxor.

Propos. 4.

Quo tempore transferrêtur in paradisum, Magister cum Augustino relinquit sub dubio, si transferrentur omnes simul. Iam supra. d. præcedenti. p. 8. habes sententiam Scoti, quia si expectarent, priores forent beatiore posterioribus, si semper mererentur, quod non videtur probabile, quia beata Virgo, & alij fuerunt prioribus beatiore: si non semper mererentur fieret iniuria expectantibus post completa merita. Neque est simile de futura resurrectione, quia hæc expectatur ab omnibus propter gloriam corporum non animarum. Eadem fuerat sententia Bonauent. in quæst. literali, quia esset prioribus dispendium expectare posteriores. Secundo, quia spes quæ differtur affligit animam Prouer. 13. ergo videretur esse aliqua afflictio. Tertio, quia non caperet tantum numerum electorum Paradisus.

Propos. 5.

In qualibet viri & foeminae commixtione fieret generatio, fieretque numerus virorum & mulierum æqualis. Hanc pro utraque sui parte docet Alexand. Primam partem. q. 94. M. 3. Secundam partem. q. 88. in fine. M. 4. Sequitur Bona. q. 5. & 6. huius dist. Ratio ad primam partem est, quia non vterentur coniugio nisi secundum dictamen rationis: vis etiam generatiua non erat in illo statu nisi propter prolem, propter quam & solum in officium fuit matrimonium: scirent etiam tempus aptum proli, ergo tunc solum

solum coirent, & per consequens semper sequeretur generatio. Vide & Ricard. hac. d. art. 1. quæst. 2. Ratio secundæ partis est, quia tunc omnes ducerent vxores, & vxores omnes nubere viris. Non enim esset tunc virginitas prælata matrimonio, neque esset status virtutis ut dicit citatus Alexand. & sic non solus Adæ & Eux coirent, quoniam ad vitam animalem sicut pertinet uti alimento, ita & generare, & cum omnes essent victuri vitam animalem omnes generarent. Secundæ nuptiæ non sunt etiam multum laudabiles, unde translato vno, remanens secundas nuptias non celebraret, imo forte vir & vxor simul transferrentur. Hæc ratio procedit ex parte finis ad quem erat tam matrimonium, quam generatio, sed ex parte principij effectiui quare generatur masculus, aut foemina vide doctores hac. d. præcipue Bonauent. quæst. 6. Vbi dicit, quod tunc ex imperio voluntatis, & obedientia carnis fieret semen vigorosum ad generationem maris, aut minus forte ad generationem foeminae. Neque credo, quod in illo statu foeminae semper generassent gemellos, quauis de Eux sit probabile, quod in principio sic generabat ut fieret multiplicatio ex nato masculo, simul cum foemina. Ita sensit Alexand. 2. p. q. 95. M. 4. quod non generassent gemellos, quod est contra aliquos.

¶ *Contra dicta arguitur.* Semen est superfluum alimenti, ergo sicut in illo statu fuisset necessaria expulsio fimi ex alimento, ita expulsio seminis, & sic propter illam necessitatem fieret coitus sine spe generationis. *Argum. 1.*

¶ *Item appetitus alimenti ad nutritiuam esset naturalis, neque subiectus voluntati, alioquin posset homo in illo statu transire sine cibo, ergo à simili esset de vi generatiua, & semine.* *Argum. 2.*

¶ *Ad hæc multa possent dici de natura seminis, quæ magis ad phisicos pertinent: sed his respondet Alex. citata. q. 94. ad. 1. in M. 1. quod semen non vocatur superfluum, sicut feces sunt superflua ex cibo, quia hæc est superfluitas impuritatis, quæ bene foret in illo statu cum sit naturalis, fieretque de tali emissio & depuratio. Alia similis emissio quæ fit in nobis ex debilitate, & infirmitate ut rheumatismum, non esset in illo statu. Vocatur semen superfluum alimenti, quia generatur ex alimento, & est superfluum*

Sic indiui-

individuo, tamen necessariū speciei. Non enim illo eget individuum ad suam reparationem vel augmentum. Non ergo omnis superfluitas sonat in vicium, & defectum, aliqua enim sonat in perfectionem & complementum nature.

Ad. 2.

¶ Ad aliud in membro. 3. respondet non esse simile de nutritiva & generatiua. Dat rationes, propter quas debuit generatiua subijci rationi magis, quam vegetatiua hoc est nutritiua, vide & Bona. q. 5. huius. d. ad. 1. & 2. arg.

Quo ad secundam partem conclusionis aduerte, quod Alex. postea in. q. 95. M. 4. docens eandem esse probabilem, dicit esse probabilius, quod foret plures viri, quā mulieres iuxta opinionē aliorū, quia existimabant, quod erant adhuc vltimi parentes aliquandiu mansuri, quorū filij non amplius vterēt nuptijs, & illi parentes filios illos vltimos sufficiens ad cōplementū electorū generarent in sexu masculino, qui est sexus nobilior, quia foemine non sunt factę nisi in adiutoriū virorū pro actu generationis.

Proposi. 6.

Pueri in statu illo habuissent membra infantilia, atq; ad staturam crescerent, atq; ad vsum membrorum. Hanc tenet Bona. q. literali. & Scotus hic. q. 3. & videtur Magistro in litera probabilior, quam opposita eamq; tenet Thomas. 1. p. q. 99. ar. 1. & hoc propter materni vteri angustias. Tum etiā, quia processus in staturam non debebat esse miraculosus, & debemus in naturalibus loqui sequendo naturam, quando nō habemus autoritatē diuinā de opposito. Quod si opponas de alijs animalibus, quæ protinus nata & stant, & ambulant. Dico quod sunt alterius cōplexionis & organizationis, neq; tantę humiditatis in cerebro, vnde fit neruis communicatio motus, qui nerui ex illa humiditate sunt teneriores. Alex. citata q. 95. M. 3. infirmitatem & teneritudinē membrorum in pueris attribuit peccato, & propterea cessante peccato cessaret, & possent stare atq; ambulare sicut foetus aliorū animalium. Hoc dicit sine præiudicio tamen, & quod forte nō egerent lacte, neq; nascerentur sine dentibus, & quod essent inter ligna paradisi cibi teneriores pro paruulis. Neq; propterea vbera essent matribus frustra, sed ad decorem, & integritatē sicut sunt viris.

Proposi. 7.

Idem est dicendum de vfu rationis, & de scientia, quia vfus rationis impeditur impeditis viribus sensitiuis. In hanc est Magister

ster in litera, & Scotus hic. q. 3. Neq; propterea dici debuissent ignorantes ignorantia prauæ dispositionis, sed nescientes ignorantia solius negationis. Ideo dixit Scotus ibi, qd essent primo nescij. Alij quos refert Ricardus hac. d. q. vlt. tenent, quod nascerentur perfecti in scientia quantum ad habitum, licet non quantum ad vsum, & videtur mens Alexand. citata. q. 95. M. 2. Credo tamen quod haberent respectu appetibilium, saltem ex inclinatione nature, rectitudinem, ita quod non appeterent nisi possibilis & cōuenientia, quod idem Alex. ibi innuit, quia dato opposito appetentes quæ non possent habere, neq; verbis petere fuisset in eis tristitia & gemitus, & sic poena sine peccato.

Proposi. 8.

Filij nascerentur cum iustitia originali, & hoc ex dono Dei. Probatur, quia illa iustitia non erat qualitas consequens totam naturam necessario sed erat Dei donum, quod nascerentur cum illa est autoritas Anselmi de conceptu virginali cap. 10. quam citat Alex. q. 95. M. 1. ar. 1. & Thom. 1. p. q. 100. art. 1. Sic possent dici quodammodo hæredes illius iustitiæ, & quodammodo seu potius de rigore dici non hæredes, quia illud dicitur descendere hæreditarie ad filios, quod filij habent à patre domino & possessore, iure filiationis, sed pater non sic erat possessor & dominus illius iustitiæ, quod ab illo iure descenderet in filios. Thomas tenet ibi, quod filij etiam nascerentur in gratia sicut primus homo fuit in illa creatus. Quod idem Thomas tenet. q. 95. art. 1. vide infra. d. 29.

Proposi. 9.

Si filij nascerentur confirmati in illa iustitia originali, ita quod peccare non possent duas refert opiniones Alexan. citata q. 95. M. 1. art. 3. & pro qualibet soluit argumenta. Prima est affirmatiua quæ innititur sententiæ Anselmi dicentis lib. 1. Cur Deus homo. cap. 18. In illa iustitia in qua erant, videtur, quod si vicissent, vt non peccarent tentati, ita confirmarentur cum omni progenie sua, quod vltra peccare non possent, quemadmodum, quia victi peccauerunt, sic infirmati sunt, vt quantum in ipsis est sine peccato esse non possint. De conceptu Virginali cap. 10. dicit, quod in præcedenti allegatū est, quod sicut Deus quando creauit Adam simul fecit eum rationalem & iustū, ita simul iusti essent quos generaret si non peccaret. Omnis enim homo si peccatum non præcessisset, simul esset, sicut Adam & iustus

& rationalis. Sed cap. 22. amplius dicit ad hanc nonam. Quid cōuenientias ad ostendendam magnitudinem bonitatis Dei, & ad plenitudinem gratiæ Adæ concedebat, quam ut quorum esse in illius potestate sic erat, ut quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum essent ita quoq; in eius esset arbitrij libertate, ut qualis erat ipse iniustitia & felicitate tales eos propagaret, ergo si ipse confirmaretur posteri propagati confirmati essent. Hanc dicit fuisse fere omnium, & etiam maiorum. Alia est opinio opposita Hugonis de sancto Victore, quod filij peccare possent in illo statu. Dicitque ipse Hugo ibi citatus. Stultum videtur dicere, quod in hac vita confirmatus sit ita aliquis, quod non possit fieri malus, quod in alia vita tantum promittitur. Hanc sequitur Thomas. 1. p. q. 100. art. 2. & in hac opinione debet exponi autoritas Hugonis, de lege, secus autem de priuilegio. Scotus hac. d. quæst. 1. videtur mediare, quod nascerentur confirmati, ut nunquam peccarent, sed non ut peccare non possent. Confirmarētur autem victa prima tentatione sicut fuisset confirmatus Adam ad quam vincendam iuuarentur doctrina parentum & iustitia originali. Dicit enim Gregor. 4. lib. Moral. cap. 36. Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios Gehenne generaret, sed hi qui nunc per redemptorem saluandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.

Propo. 10. Plures saluantur post peccatum Adæ, quam saluarentur in statu innocentie. Hæc est diuini Thomæ quodlib. 5. q. 8. Contra Scotum hic, & clarius in reportatis. Prob. Potentior est gratia Christi, quam peccatum Adæ, Rom. 5. ubi abundauit delictum superabundauit & gratia, sed plures nascuntur post peccatum Adæ dicente Deo ad mulierem Genes. 3. Multiplicabo conceptus tuos, & nullus reprobus nasceretur, ut patet ex modo citato Gregorio, ergo multi electi nascuntur propter Christum qui nō nascerentur. Confir. quia multi electi nati sunt ex parentibus reprobis ut Abraham ex Tare idololatra Iosue ultim. Sed quia respondet Scotus, quod tales nascerentur ex alijs patribus, quia ad identitatē effectus numeralis nō requiritur idētitas causæ efficiētis, sed sufficit idētitas materiæ & formæ, materia ergo alimēti ex quo fit semen, quæ modo est sub forma panis, tunc fuisset sub forma pomi. Ideo secūdo sic probō. Christus meruit aliquibꝰ gratiā
de

de facto, qui eam non haberent, ergo & gloriam. Consequentia videtur rationalis. Antecedens probatur in Christianis damnatis, qui non nascerētur, & habuere gratiam sacramentorum. Confir. secundum opinionem quod anima Christi non fuisset, nisi propter peccatum. Sed quia potest dici quod fuisset & electa, quanuis non ad vnionem. Saltem in omni opinione habemus merita Christi passionis post peccatum, ergo sicut per illam eleuantur homines ad maiorem gratiam, & gloriam, quare non sic eleuentur multi, qui eam alias non haberent? Quare ex multis illis conceptibus propter peccatū nullus erit electus? Ipse etiā Scotus in. 3. d. 19. in ultimo argumento contra opinionem, dicit, quod Christus meruit ut non coniuncti coniungerentur, & in hoc potissimum consistebat meritum Christi, Quare ergo non cōsistet in hoc ut nō cōiungēdi cōiugātur? Et malo excedere in cōmendando Christo, ut ipse Sco. ait in. 3. d. 13. ¶ Ex hac inferri potest, quod possunt saluari plures fœminæ, quam viri: & è conuerso. Nam in alia opinione Scoti, tenendo quod numerus virorum ac mulierum esset futurus æqualis in illo statu, est recurrendum vel ad hoc quod etiam modo sit æqualis, quia illi soli saluantur, qui tunc saluarentur: vel quod qui modo est masculus potuit esse fœmina, & è contra quia sunt differentiæ accidentales, non variantes humanam speciem, ergo à simili neque sexus variabit personam, & ita respondet Scotus hac. d. q. 2. ad. 2. ¶ Posset etiā inferri ex prædictis non esse temerarium dicere quod saluantur plures fœminæ, quam viri, quod frater Alfonso Castro. lib. 1. de hæret. punitio. reputat temerarium cap. 3. loquēs de propositione temeraria. Sed probatur, quia probabile est quod generantur plures fœminæ quam viri ex defectu virtutis in semine, ut . p. 5. habes, & attestatur multitudo mulierum, plusquam virorum in quolibet oppido etiam Christianorum. Debemus etiam præsumere piè quemlibet Christianum decedentem in vnione ecclesiæ saluari, ergo opinabile est plures fœminas saluari: iuuat etiam quod vocatur sexus deuotior. Afferere ut certum, esset temerarium.

Corol.

Corol.

DISTINCTIO XXI.

De primorum parentum tentatione.

Propos. 1.



Momo in Paradiso tentatus fuit à demone cuius tentationis ordo est in cap. 3. Genesis & habetur in litera Magistri. Tentatus fuit de tribus vitijs inani gloria, auaritia, & gula. Vide in litera. De quibus tribus vitijs etiam tentauit Christum Dominum. Videtur Magister sentire quod intrauit dæmon verum serpentem, quia dicit de illo quod non est factus rationalis, & alia ad hoc propositum, quæ vide. Non est credendum quod tale animal habitabat Paradisum, sed quod dæmon illud induxit. Sin autem vt dicunt aliqui ex Beda, vt Bonauen. nume. 14. serpens habuisset faciem virginem non fuisset ille verus serpens, sed apparuisset dæmon in serpente phantastico. Dicitur serpens callidior cunctis animantibus, scilicet, in nocendo, & insidiando. Respondit animal callidissimum cū dæmonis malitia, & forte ex hac tentatione exhorremus naturaliter præ alijs serpentes, ex quibus perditio nostra manauit.

Propos. 2.

Homo tentatus fuit tentatione exteriori, & non interiori. Ratio, quia non potuit dæmon tentare interius nisi mouendo phantasma vel excitando appetitum sensitium, & cum omnes vires essent homini subiectæ tam interiores quam exteriores non poterat illas incitare, & mouere homine inuito. De hac tentatione vide Alex. 2. p. q. 119. per totam. ¶ Ex his conuincitur error Petri Abailardi dicentis omnes tētationes diaboli, fieri contactu lapidum, aut herbarum: quia neque Adam & Eua, neque Christus Dominus fuere sic tentati. Aliquas tentationes posset facere tactu, sed vniuersas ita fieri est hæreticum: & de omnibus intelligebat Abailardus, alioquin non notaretur à Bernardo, in epistola. 190.

Corol.

Propos. 3.

Dux sunt species tētationum ex parte tētantium, vna à diabolo: alia à carne. Ita docet Magister in litera. Quod dæmon tentet probat Alex. 2. p. quæst. 117. M. 2. ex. 1. Thessal. capitu. 3. Ne forte tentauerit vos is qui tentat, adiuncta glossa interli. quæ dicit

cit: diabolus cuius officium est tentare. Secundo sic. Tentatio secundum Cassiodorum est assimilatio boni ad fallendum: secundum Hugonem de sancto Victore. Tentare est callide experiri, & quasi quibusdam blandis conatibus probare: sed experiri, probare, assimilare bona pertinet ad naturam intellectualem, quæ habet in se principium cognoscendi, illam vero probationem seu experientiam ordinare ad malum, & ad fallendum proprie pertinet ad diabolum, ergo diabolus tentat. Quod tentet caro patet Iacobi. 1. cap. vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.

Contra hanc arguitur: primo quia communiter ponuntur tres *Argum. 1.* hostes animæ, caro, mundus, & diabolus ergo est etiam tentatio à mundo & sic diuisio insufficientis. Item quia homines etiam inducunt ad malum.

Secundo, quia ex ratione sumpta ab autoritate Hugonis, & *Argum. 2.* Cassiodori sequetur, quod caro non tentet, quia est rationis experis. ¶ Ad primum respondet Alexand. citata. quæst. M. 6. in *Solutio.* fine primi. §. quod tentatio quæ est à mūdo cum sit exterior connumeratur cum tentatione dæmonis. Nam bene videmus quod dæmon utitur mundo, & rebus quæ in eo sunt tanquam instrumentis ad tentandum nos, ideo vocatur & mundi princeps. Per idem respondetur de hominibus malis, quia ipsius instinctu, & quasi eius ministri faciunt.

Ad secundum potest etiam dici per idem, quod est dæmonis *Ad. 2.* instrumentum: vel secundo quod caro appetendo sibi conuenientia naturaliter est materia nostræ probationis, sic carni non conuenit proprie tentare sed illi conueniet tentare instrumentaliter seu causaliter, pro quanto ex eius appetitu naturali probamur quales simus circa diuina præcepta.

Tentatio carnis & diaboli possunt esse simul, vt constat, vel *Propos. 4.* potest vnus tentare alio non tentante, de dæmone solo patet in tentatione Christi, & primorum parentum: De sola carne probat Alexand. citato. M. 6. §. 1. Ex Augustino de ecclesiast. dogmatibus dicente. Nō omnes cogitationes malæ semper diaboli instinctu excitantur, sed quædam ex nostri arbitrij motu emergunt. Ad idē vide eundem, ibi. M. 7. ar. 4. §. 1. Et est ratio quia sine tentatione dæmonis potest caro naturaliter calefieri, atq; ex carētia originæ

ginalis iustitiæ ferri sine freno in sibi conuenientia. Dicitur vero omnis tentatio esse à dæmone, indirectè, tanquam à mouente primo, quia est à quo sumpsit principium, & occasionem omnis tentatio tanquam à mouente proximo & immediato, bene est à carne, seu ab alijs. videatur Bona. hac. d. num. 29. Thom. 1. p. q. 114. art. 3. & 1. 2. q. 80. art. 4.

Propos. 5. Tentatio carnis difficilius vincitur, quia de nostro contra nos roboratur. Magister in litera. Hoc est intelligendum si ambo tentant de eodem peccato, vt carnali, ita tamen quod vno tentate alius non tentet, quia difficilius vincitur sola caro: Si autem sint respectu diuersorum, vt caro de carnali, dæmon de spirituali, habent se sicut excedens, & excessum, quia potest esse homo tentatus prior ad vnum quam ad aliud: respectu hostis fortior est diabolus quam caro: respectu tentati debilior est homo ad opera carnis, quam ad alia. Vide Bona. num. 36. & Ricar. q. 2.

Propos. 6. Tentatio carnis non semper est peccatum, pro vt peccatum dicitur culpa demeritoria, quia quandoq; non est in potestate voluntatis: est autem semper peccatum, pro vt peccatum dicitur omne illud quod discordat à recta ratione. Sicut in artificia libus dicitur peccatum quod declinat à regula artis. Modo omnis motus ad illicitum discordat à recta ratione, ita docet Ricar. art. 2. q. 3. & sic interpretatur Magistrum dicentem, quod tentatio quæ est ex carne, non fit sine peccato, & August. lib. 19. de ciuit. cap. 4. Nonnullum vitium est cum caro concupiscit aduersus spiritum. Vide Thom. 1. 2. quæst. 80. arti. 3. ad. 3. & 3. p. quæst. 41. artic. 1. ad. 3. & ibi Caiet. per hanc diuisionem concordantem illa Thomæ loca.

Propos. 7. Si primum peccatum Adæ potuit esse veniale duplex opinio est, & vtraq; probabilis. Prima est negatiua: quam tenet Alex. 2. par. q. 120. M. 6. sequuntur Bona. hac. d. art. 3. q. 1. dicitque fuisse suo tempore communem. Tho. 1. 2. q. 89. art. 3. Et hoc ratione status innocentia, quia vires erant in perfecta obedientia sub ratione, neque poterat esse in illis deordinatio, nisi prius voluntas per mortale peccatum deordinaretur à Deo. Non vero sic ratione status quod id quod in nobis est veniale, ratione status esset in Adam mortale, quia sola dignitas personæ non transfert peccatum in aliam speciem, nisi ratione voti vel huiusmodi. Contra-
rium

rium tenet Scotus, hac. d. q. 1. & non est intelligendum de veniali, quod venit ex surreptione carnis, quia illa non poterat esse, sed de veniali ex genere, vt dicendo verbum ociosum, ridendo iocose cum filio paruulo, quia de his præceptum non habebat, essetque nimis difficile obligare illum ad semper faciendum, quod melius est. Tum etiam quia iustitia originalis non iungebat hominem Deo perfectius quam gratia: sed gratia etiam magna compatitur secum venialia, ergo & ille status. Cum Scoto est Gabriel. distinct. 22. quæst. 1. art. 3. dubio. 1. Ricar. artic. 3. q. 1. pro vtraque facit rationes & soluit, & posset argui ex verbis mulieris Genes. 3. ¶ Ne forte moriamur: sed illa dubitatio fuit peccatum & non mortale, aliàs fuisset primum peccatum Eux. Ad hoc respondet Durandus hac. dist. q. 4. quod siue fuerit mortalis siue venialis ad infidelitatem pertinens, non fuit primum peccatum Eux, sed elatio, quæ in mente præcessit.

Argumen.

DISTINCTIO XXII.

De peccato primorum parentum quale fuit, & quantum, & unde traxit originem.



Peccatum Eux fuit elatio mentis, quæ non præcessit suggestionem diaboli, sed illam sequuta est. Magister in litera. Probatur à Bon. q. 1. huius initium omnis peccati superbia ecclesi. 10. & 25. à muliere initium peccati, ergo peccauit peccato superbia, sed superbia est elatio mentis, ergo peccauit elatione mentis. Appetijt enim similitudinem Dei in scientia: vt scilicet per seipsam præcognosceret quid esset bonum vel malum, & hoc propria virtute, vnde Augustinus citatus in litera dicit quod insuit eius menti amor propria potestatis. Quam auctoritatem exponit Thomas. 2. 2. q. 163. artic. 2. quod secundario fuit in ea appetitus vt virtute propria naturæ operaretur ad consequendam beatitudinem, & quia credidit verum quod diabolus dicebat dicitur ab apostolo. 1. Timoth. 2. seducta in preuaricatione.

Propos. 1.

Tc De

Proposi. 2.

De peccato Adæ, quoniam Paulus ibidem dicit quod nō fuit seductus nō est vsque quaq; clarum, & manifestum quid appetierit. Nam appetere similitudinem æqualitatis diuinæ non potest esse sine errore qui in Adam non fuit ante peccatum. Vide. d. 5. de peccato angelorum. Appetendo similitudinem imitationis in scientia promissam à serpente propria virtute importat deceptionem, quæ fuit in Eua hanc appetendo: & non primam similitudinem. Propterea sunt variæ sententiæ. Vna dicit quod ambiguit esse sicut Deus non tamen credidit possibile, vt mulier. Hanc refert Magister capi. Ideo Caieta. in. 2. 2. q. 163. art. 4. putat esse Augustini & Magistri, atque Thomæ: & reuera Thomas ita videtur ibi sentire: exponit vero Caieta. quod nō appetiuit simpliciter, sed conditionate, scilicet si foret possibile. Sco. d. 21. q. 2. inter literam. A. & B. dicit quod peccatū Adæ fuit immoderatus amor amicitie vxoris secundum quod ex Augustino in litera refert Magister: & in solutione ad vltimū principale dicit q̄ Adā nō appetebat æqualitatē Dei directe & formaliter, sed interpretatiuē sicut omnis peccans vult præferre suam voluntatem diuinæ. Ricardus art. 1. q. 2. dicit q̄ Adam & Eua fuerunt conformes & similes in diligendo nimis propriam excellentiam iam habitā, quod eam diuinæ præposuerunt. Hæc fuit prima ipsorum superbia, quia nō solū consistit in appetēdo excellentiam nondum habitam: sed in diligendo nimis iā habitā: ex hac abtenebrati profuerunt ad appetendum nondum habitam. Fuere diffformes, quia mulier credidit possibile, non autem vir. Et expecificans dicit q̄ forte mulier appetiuit non posse mori, & plenariam potestatem in gubernando propria virtute omnem corporalem creaturam, & vniuersalem notitiam boni, & mali. De viro nil aliud expecificauit nisi illam mētis elationem dictam ab August. & positam à Magist. cap. Solet quæri, qua voluit experiri lignum vetitum cū mulier non esset mortua. Sanctus Bona. num. 11. ponit superbiam in Adā quia se magni æstimauit apud Deū, vt pro illa commestione supplicium non incurreret, sed veniā de facili cōsequeretur, auaritiā dū curiosè scire voluit quid sibi eueniret post cibū: lasciuiā nō carnalē, sed amicabilis affectionis qua offenditur De⁹ ne proximus cōtristetur: ita Adam ne contristaret vxorem, quā credebatur sine suo solatio, & à se alienatā omnino interire. Videt Magi-

Magister sic procedere dū ait cap. solet: q̄ nō est seductus in eo q̄ mulier nō enim putauit verū quod diabolus suggerebat, tamen in eo fuisse seductū credi potest q̄ cōmissum veniale putauerit, quod perēptorium erat: & quod potuit aliqua elatio inesse mētis illico post tentationē, ex qua voluit ex periri lignum vetitū cū videret mulierem accepta esca nō esse mortuam. Autoritates sonantes ipsum appetiisse esse sicut Deum exponit Bona. tripliciter. Primo sicut Scotus, interpretatiue, quia præceptum Dei post posuit. Secūdo modo per syne doctē vt quod mulier appetijt attribuitur vtriq; sicut de latronibus. Matt. 27. q̄ improperabāt Christo cum vnus tantum improperaret. Iosue. 7. filij Israel de anathemate vsurpauerunt, quod solus Achan fecerat. Vel tertio quia cum esset caput mulieris, & ipsam non correxit, eius peccatum ei imputatur quia non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus digni sunt morte. Rom. 1.

Peccatū Eux simpliciter loquēdo fuit grauius, quā peccatum Adæ. Probat quia peccatū est priuatio boni, vt in. 1. d. 46. & in fra. d. 37. cuius grauitas est attendēda penes bonum cui opponitur vt illud sit grauius, quod opponitur maiori bono: sed peccatū Eux opponēbatur diuinæ æqualitati ergo simpliciter præcise atque formaliter loquendo erat grauius. Secūdo quia induxit virum ad peccandū. Hanc tenēt Bona. hac. d. num. 17. Scotus. d. 21. litera. F. Ricar. hac. d. art. 1. q. 3. Thomas. 2. 2. q. 163. arti. 4. dicit q̄ fuit eorū peccatum æquale, quod & in art. 3. dixerat, quia quantū ad speciem fuit superbia, tamen intra eandē speciē superbię grauius peccauit. Eua Potest exēplificari in adulterio in quo grauius peccat vxor propter damnū euenturum ex conceptu: graui⁹ peccat in fornicatione qui inducit alterū. Autoritatē Augustini q̄ pari fastu peccauerūt exponit Magister quod pari excusatione peccati & pari esu, nō tamē pari culpa. Vel potest dici par, similitudine, aut cōformitate. Propter dignitatē personæ, & sexus, & fortitudinē ad resistendum, quæ sunt in persona peccante circumstantiæ accidentales grauius peccauit Adam. De hoc primorū parentum peccato videatur Alex. 2. p. q. 120.

Adā nō peccate post Eux peccatū, filij si ex Eua generarētur neq; haberēt peccatū originale, neq; essent morituri. Hæc tenet Ricar. hac. d. ar. 1. q. 4. & fuit diui Thomæ. 1. 2. q. 81. ar. 5. contra

aliquos qui dicebant quod filij nascerentur cum originali: alij vero quod sine originali, sed cum iustitia originali, tamē subditi poenalitibus. Ratio ad hanc est quia penes virum residebat potestas seruandi iustitiam: Roma. 5. vnius hominis inobedientia dicimur omnes peccatores: & vnius hominis delicto mors intravit. Sanctus Bona. num. 1. tenet probabilius quod Deus aliam mulierem de nouo formasset: Quod Eua peccante si Adam stetit humanum genus non periret, sententia est Anselmi lib. de conceptu Virginali cap. 9. vbi sentit quod de Adam aliam mulierē Deus faceret, quia ipse erat principium generis humani. Vide Magistrum in litera cap. 7. atque Alex. 2. p. q. 122. M. 3. art. 2. August. 12. de Trinit. cap. 12. ait. Si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utiq; mortis supplicio plesteretur.

Propos. 5. Hora qua peccauerunt videtur probabile quod fuit nona: ea scilicet qua in cruce Christus Dominus expirauit. Tūc enim sol est in declinatione, & Genes. 3. dicitur ante eorum expulsionem à paradiso quod deambulabat Dominus ad auram post meridiē. Facit in hanc Bona. super illud Marci. 15. Hora sexta tenebræ factæ sunt, dicens, Qua hora primus homo meruit mortem, secundus Adam mortem moriendo destruxit. Hæc sententia Bedæ iam nō inuenitur in Marco: sed Lucæ. 23. super id tenebræ factæ sunt ait. Rationis ordo poscebat, vt eodem tēporis articulo, quo Adæ peccanti occluserat, nunc latroni poenitenti Dominus paradisi ianuam panderet, quia licet hora Sexta factæ sint tenebræ, hora nona Christus expirauit, vel cito post nonā. Vide Alex. 2. p. q. 120. M. 8. ¶ Ex habitis præcedēti. d. & præsentī potest reuinci hæretica blasphemia Caluini dicētis q̄ Adam occulto Dei iudicio prædestinatus fuit ad peccandum, ideoq; diuina ordinatione & voluntate lapsus est. Nam Adam à muliere, & mulier à serpente fuere tentati. Deus enim intentator est malorū Iacobi. 2. & Matthæ. 15. non ex Deo: sed ex corde dicuntur exire quæ coinquant hominem, & Deus fuisse iniustus, puniens quod voluntate sua factum est Rom. 3.

DE IGNORANTIA.

Positio .6. Peccatum primorū parentum non fuit ex ignorantia, neque ex infirmitate seu passione, sed ex electione & industria. Probat̄ur ex quid nominis horum. Peccare ex ignorantia, est causam effi-

efficientem peccati esse ignorantiam, ita quod si sciretur illud esse malum non fieret, nam si nihilominus fieret talis non dicitur peccare ex ignorantia sed peccare ignoranter: primi parentes cognouerunt sibi datum præceptum, & esse peccatum ire contra diuina mandata. Peccare ex infirmitate seu passione quod idem est, est peccare non ex deliberatione, sed propter passionis impetum, quia passio impedit considerationem malitiæ, quæ inest illi actui, vel omissioni. Datur & alia descriptio amplectens quācunq; passionem, quia præfata est de passione proprie dicta. Peccatum ex passione est quod patrat̄ur propter incitatum vel inclinationem alicuius passionis præuixæ & insurgentis, quod illa seclusa non patrat̄ur. Hanc dat Almainus in Moralibus tracta. 3. cap. 27. De hoc peccato dixit Daniel presbytero. 13. Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuū: & Iacobi. 1. Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Procedit hoc peccatum ex inordinatione appetitus sensitui, sicut infirmum est corpus quando humores, & membra non subduntur virtuti regitiuæ. Sunt vero quatuor animæ passionēs. Gaudium dolor, spes, timor, ex quibus inordinatur appetitus. Peccare de industria, seu electione, & malitia, quæ idem sunt, est peccare sciēdo esse malum quod fit, & quod ipsa voluntas è se ipsa moueatur ad malum. Dicitur ex malitia, quia prouenit ex inordinatione voluntatis. Ad hunc modum pertinet quando quis peccat ex habitu solo. Vt ex habitu furandi, quia nulla est ibi ignorantia, neq; impulsus passionis, & habitus faciliat voluntatem faciens diligibilem actum. Ad propositum Adam & Eua non peccauerunt ex ignorantia, neq; habuere aliquam passionem, quia vires sensitivæ illis erant subiectæ, ergo de industria à Deo recesserunt sicut de quibusdam dicitur Iob. 34. Hanc propositionem docet Magister in litera.

Gravius est peccare ex infirmitate, quam ex ignorantia, & grauius ex industria quam ex infirmitate. Magister in litera cap. His autem. Et Bona. ent. hac. d. ad finem vltimæ quæstionis. Probat̄ur, quia peccatum ideo est peccatum, quia voluntarium, sed peccatum ex infirmitate plus habet de voluntario, quam peccatum ex ignorantia: peccatum ex malitia plus quam peccatum infirmitatis.

Proposi. 8. Aliqua ignorantia excusat à peccato, aliqua non. Quæ excusat vocatur inuincibilis, quia homo non potest illam vincere faciendo totum quod facere tenetur. Quæ non excusat vocatur vincibilis, quia posset homo illam vincere, si fecisset quæ facere tenetur. Hanc docet Magister in litera & Bona. q. vlt. ad finem. Hæc conclusio, probatur ex ratione voluntarij, quia in ignorantia vincibili peccatum est volitum non in se, sed in sua causa, quia ex quo quis non ponit diligentiam quam tenetur, vt sciat vel ius, & præceptum, vel factum & actum quem agit quas debeat habere circumstantias, vult aliquo modo peccatum, quia vult causam. Quod si non solum sit negligens, verum affectet & velit ignorare, illa ignorantia vocatur affectata, & aggrauat peccatum, quia æquualet scientiæ. cap. eos qui. De tempo. ordina. lib. 6. De quibus psal. 35. Noluit intelligere vt bene ageret, subdit, iniquitatem meditatus est in cubili suo. Job. 21. Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. De hac etiam Magister in litera. Est alia quæ vocatur supina, quia est mentium inclinatarum ad terrena neque potentium se erigere ad superna, vel dicitur crassa, quia ex desidia causatur, sicut homines crassi sunt desidiosi, & pigri. Alia vocatur probabilis, quando quis adhibuit mediocrem diligentiam, vt sciret. Multæ alię diuisiones dantur à doctoribus de ignorantia, vide de ignorantia Alexand. 2. p. quæst. 129. & 172. Thomam. 1. 2. q. 76.

Proposi. 9. Casu quo quis nouit peccatum, & tamen inuincibiliter ignorat aliquam circumstantiam mutantem speciem, quam si sciret non peccaret, excusatur totaliter ab illa circumstantia, & à poena imposita propter talem circumstantiam, verbi gratia, Iudas Genes. 38. cognoscens Thamar non excusatur à fornicatione bene tamen ab incestu: percutiens hominem ignorans inuincibiliter clericum, excusatur ab excommunicatione, quia in casu non importat, quod det operam rei illicitæ, quia illa ignorantia inuincibilis non se tenet ex parte hominis ignorantis, sed ex parte rei ignoratæ. Hoc est contra Scotum in. 4. d. 6. q. 8. tenentem, quod si dat operam rei illicitæ ex lege diuina, quod incurrit poenam canonicam quauis ignoret talē poenam impositam. Cū Scoto tenet Rosella, ignorantia. §. 13. citans pro Scot. Bart. & totam scholam iuristarum. Pro nobis est summa angelica verbo excommunicatio. 7. casu vlt. §. 2. quæ sequitur

sequitur Syluestrina, ignorantia. §. 8. & Caiet. 1. 2. q. 76. art. 3. Notanter dixi poenam impositam propter peccatum, quia affinitas contrahitur non in poenam peccati, similiter quandoque irregularitas. Vnde Caietanus ibidem excipit irregularitatem quæ sequitur factum, & non requirit culpam: in eadem sententia est Syluestrina verbo. Homicidium. 2. §. 11. & 12. de ludete monacho, vel clerico cum prægnante vnde sequitur abortus: & de eodem aperiendo tumorem gutturis infirmo, qui ex aperiendo moritur, quanuis ab eo monitus ne se vento exponeret. Idem videtur de clerico venatore qui putans occidere feram occidit hominem, quia venatio est clericis interdicta. Atque hæc dicitur esse opinio omnium iuristarum. Contra quos Salmanticæ tenuit frater Franciscus de Victoria doctissimus Magister in Theologia: postea requisitus particulariter in quodam facto dubitasse dicitur, quia licet non sit textus expressus, est tamen iam consuetudo recepta, quod tales habentur irregulares, simile quid accidit doctissimo fratri Alfonso à Castro, qui Theorice loquendo, & requisitus an in quadam dispensatione Papæ reseruata posset dioecesanus dispensare propter impossibilitatem moralem recurrendi ad pontificem, tenuit quod sic: recusante dioecesano dispensare, quia contrariæ opinionis erat cum omnes suas vices eidem Alfonso committeret, non est ausus dispensare. Aliud quidem est Theorice, aliud practice loqui. Volendo tamen sustentare opinionem de Victoria, est dicendum ad textum cap. Tua nos: de Homicidio volunt. quod textus non dicit eum incurrisse irregularitatem ex eo solo, quod se immiscuit officio sibi non competenti, sed quod propter hoc solum est illi satisfactio iniungenda: si enim non fuisset peritus in chirurgia, neque adhibuisset debitam diligentiam aperiendo tumorem gutturis aliud foret. Item, quia antiquitus erat irregularis qui se defendendo alium licite occidebat, quod iam non est, non est simile cum casu proposito, quia tale illud homicidium erat voluntarium, sed hoc est casuale. Et Caiet. citatus non absolute excipit irregularitatem sequentem factum, sed dixit cum, forte quasi dubitando, si illam incurreret.

¶ Contra prædicta sic argumentor. Qui faciebat actum licitum, & non adhibuit diligentiam ne sequeretur malum contra nullam virtutem

tutem fecit, ergo ignorantia illum excusat. Confir. quia alias tantum peccaret siue malum accideret, siue non, & tam reus erit homicidij apud Deum.

Argum. 2. ¶ Qui habet animum occidendi inimicum in nemore, si ipsum inuenerit, & dum venatur putans occidere feram ipsum inimicum occidit adhibita omni diligentia ne hominem occideret peccauit, neque excusatur ab homicidio, ergo non excusat ignorantia inuincibilis.

Solutio. ¶ Ad primum dico, quod virtus, contra quam facit vocatur studiositas, quæ est pars potentialis temperantiæ, importatq; vehementem applicationem, seu occupationem voluntatis. Vide in Cicerone lib. 2. de inuentione. Et Tho. 2. 2. q. 166. de qua laudauit Dominus Ichu. 4. Reg. cap. 10. Studiose egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis: Tobia. 4. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire stude. Sed quia voluntas non applicatur sine cognitione, per prius pertinet cognitioni, deinde alijs. Vnde Proverb. 27. stude sapientiæ fili mi. Materia huius virtutis non est cognitio, sed studium cognoscendi: quod studium si excedat metas rationis est curiositatis vitium. Ad confir. videtur concedenda, quod quantum ad Deum sit æqualiter reus siue sequatur siue non, sed non quoad homines, & forum exterius. Vnde Paulus Act. 24. dicebat quoad vtrumque. Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.

Ad. 2. ¶ Ad aliud dico, quod illa ignorantia vocatur concomitans, quia ipsum actum comitatur, non enim præcessit, de qua Thomas. 1. 2. q. 66. art. 3. videtur dicere, quod non excusat: cum eo est Duran. hac. d. q. 4. Gabriel. hac. d. q. 2. in fine primi. art. Contrarium tenet Almainus in moral. cap. de ignorantia & est verior opinio. Pro qua est bona apparentia, quia si talis occideret patriæ proditorem, quem pono, quod vellet occidere, & esset alias meritorium, stante tali ignorantia non mereretur, ergo neq; peccabit. Secundo, iste non peccauit ante iaculationem contra studiositatem, neq; in ipso actu iaculandi, quia animus non erat, nisi occidere feram, & actus exterior recipit ab interiori malitiam, alias peccabit in eo, quod non est in sua potestate. Confir. quia si non percuteret, quia se subtraxit tempore iaculationis, non est unde peccet, ergo,

ergo neque si percutiat. Et non est loqui de præua volitione in qua versatur: neque de complacentia mortis si post sequatur.

Quæ sunt de iure naturali non possunt inuincibiliter ignorari, quia ius naturale est commune omnibus. Vide. 1. q. 4. Turbatur vbi est infra. Notandum, ideo infideles qui non damnabuntur propter infidelitatem damnabuntur propter furta & homicidia quæ sunt contra ius naturale. Neq; etiam cadit ignorantia in his quæ ad statum & officium cuiusq; pertinent: vt medici, confessoris, iudicis. ita Alex. 2. p. q. 172. M. 6. quia vnusquisq; tenetur scire illa ad quæ est obligatus. Concordat Scotus in. 4. d. 3. q. 2. art. 2. Ideo qui talibus ignorantibus officia imponunt, aut imposita permittunt exercere, cum possint eos priuare, & teneantur, peccant, verum est, quod non requiritur exactissima sufficientia sat est competens.

Ad vincendam ignorantiam circa præcepta humana & diuina satis est consulere viros doctos, seu viuos, seu scripta defunctorum, neq; est necessaria conuersio ad Deum per poenitentiam. Hanc tenet frater doctissimus Andreas Vega lib. 6. super decret. de iustificatione cap. 18. & est contra Adrian. quodlib. 2. quæst. 2. sine argumentis, & latius quodlib. 4. & contra Alfonso de Castro. lib. 2. de potest. legis poenalis. cap. 14. tenentes, quod est necessaria conuersio ad Deum. Sed probatur de humanis, leges humanæ sunt conditæ ab hominibus, ergo satis est circa illas consulere homines, eosq; doctos. De diuinis probatur, quia nunquam inuenitur præceptum de poenitentia ad vitandam ignorantiam, sed Malachia. 2. dicitur. labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore eius. Aggei. 2. Interroga sapientes de lege. In Act. Apostolorum cap. 9. iubetur Paulus adire Ananiam vt instruatur. Bene quidem non sufficeret homini consulere seipsum, neq; in re graui consulere vnum doctorem, sed sicut in corporali infirmitate consulendi essent plures. Autoritates scripturæ vt illa Ezechiel. 14. iuxta iniquitatem interrogantis iniquitas propheta erit. Et. 2. Thessal. 2. Mittet Deus operationem erroris vt credant mendacio, & similes, intelliguntur de illis qui præue affecti accedunt ad consulendum, optantes doctores iuxta proprium affectum, quia tales non excusantur si doctor errauerit: si tamē bono animo acceperint etiã si doctor erret excusantur.

sanctur. In casu bene posset esse necessaria oratio, vt Deus illuminet, si neq; per se si est doctus, neq; per alium posset sufficienter instrui, vel ex prauo affectu quem in se sentit timet, quod Deus permittet iuste errare. Sufficit ergo in omnibus facere que homines prudentes, neq; male affecti, neq; nimium scrupulosi facere comuniter solent, vt fecisse quis dicatur totum quod in se fuit. Sciendum, quod obliuio æquiparatur ignorantia: vnde qui obliuiscitur dicere horas aut diem esse ieiunij, sicut ignorans excusabitur. Sciendum etiam, quod quauis ignorantia vincibilis, crassa, & supina non excusent peccatum à toto, excusant tamen à tanto: vt patere potest ex propo. 7. Sola affectata dicitur aggrauare, vt in propo. 8. quam opinionem cum Magistro tenet Alex. 2. p. q. 129. M. 8. Et Thom. 1. 2. q. 76. ar. 4. Bon. ad finem huius. d. dicit de affectata, quod ex vna parte sic excusat, qd ex alia parte magis aggruat. Sed quia nu. 32. dixerat, qd omnis ignorantia aliquo modo excusat, videbatur aliquibus, quod etiam affectata diminuat culpam. Magister Andreas Vega mediabat, qd illa ignorantia affectata si est causalis, idest, causa peccati, sic quod ego affectaui ignorare, tamen si scirem non peccare excusat à tanto, si est concomitans, quia siue scirem siue non, peccarem aggruat, quia includit voluntatem peccandi, & affectum ignorandi.

DISTINCTIO XXIII.

De iusta Dei permissione in tentatione primi hominis: & de scientia Adæ.

Propo. 1.



Iuste permisit Deus hominē tētari, quāuis sciret illū peccaturum, sicut permittit esse malos, & iuste creat quos præscit dānandos. Magister in litera, & Alex. 2. p. q. 119. M. 8. & probatur, quia Deus proprios motus finit creaturas agere, vt dicit August. ergo debuit permittere dæmonem tentare, & relinquere hominem in manu consilij sui Eccle. 15. remanebat enim homini facultas non consentiendi, & gloriose triumphandi, quia Deus est fidelis non patiens homines tentari supra suam potestatem. 1. Corinth. 10. Vide in. 1. d. 46.

Propo. 2.

Tentatio prout est motus ad illicitū nō est appetēda præcipue ab

ab imperfectis, & maxime tentatio carnalis, quia facile subuertit cor etiā senum, vt patet Dani. 13. Prout est materia exercendæ virtutis posset desiderari à viris perfectis, potissime que consistit in flagellis & infirmitatibus, sicut fuere tētati Iob & Tobias. De hac Dauid psal. 25. Proba me Deus & tēta me, de carnali ait. Vre renes meos & cor meū, idest, consume, & remoue motus carnis, & psal. 138. Proba me Deus & scito cor meum, interroga me & cognosce semitas meas. Verū cum hoc postulat victoriam. Si via iniquitatis in me est, deduc me in via æterna. In oratione dominica petimus non induci in tentationem, idest, non permitti à tentatione superari. Dicit enim ibi gloss. interliam tentationem inducitur, qui tentatione frangitur.

Implicat contradictionē, quod Deus faceret creaturā intellectuāle, quæ ex propria sua natura peccare nō posset. Hanc tenet Alex. Hall. 2. p. q. 96. M. 2. art. 2. Bona. hac. d. q. 1. Scotus & Ricardus. Est ad eam Tho. 1. p. q. 63. art. 1. quauis ibi de creatura iam facta, nō de possibili loquatur. Sed probatur ex Hieronymo habetur in litera. d. 7. cap. secundo, & ex Augustino refertur eadem d. dicit em Hieronymus, qd creature cū sint liberi arbitrij in vtrāq; partē flecti possunt, & August. qd cuiūq; creaturæ rationali præstat ut peccare nō possit, nō est hoc nature propriæ sed Dei gratiæ. Itē ex Arist. 1. phy. cap. 3. quod proprie est, nulli est accidens, ergo à simili qvni est supernaturale, nulli est naturale, sed est beatis supernaturale nō posse peccare, ergo nulli potest esse naturale. Itē de essentia creaturæ intellectualis est libertas arbitrij. Sed si nō posset peccare per naturam non esset libertas arbitrij ad bonum & ad malum. Confir. quia si naturaliter esset determinata ad bonū illa operatio bona esset naturalis, & nō libera: & sic neq; meritoria. Confir. secūdo qd voluntas creata nō est necessario cōformis suæ regulæ, ergo pōt ab illa deuiare, & per cōsequēs peccare.

Dubium est, si possit fieri voluntas quæ necessario tendat in suam regulam & se illi necessario conformet. Hoc est alijs verbis, quod fiat voluntas non libera ex natura sua ad actum peccandi. Gabriel. hac. d. art. 2. conclu. 2. tenet, quod possit fieri, & adducit pro se Magistrū dicentē in litera. Concedimus meliorē naturā esse quæ peccare nollet, quæ respōsio præsupponit talē naturam esse possibile. E contra vero est, quia potētia rationalis est

Propo. 3.

Positio 4.

ad opposita ex. 9. Metaph. & cum sit de essentia appetitus rationalis libertas ad opposita, non est simile fundamentum ex appetitu sensitivo, qui necessario fertur in obiectum. Item quia quæcunq; creatura rationalis est obligabilis aliquo præcepto, ergo potest peccare alias enim vana esset obligatio. Ex hoc enim Deus est impeccabilis, quia non est ab aliquo obligabilis. Magister non dicit creaturam quæ non posset peccare, sed quæ nollet: & fateatur talem esse angelorum naturam, quos constat non esse impeccabiles per naturam, ergo loqui videtur de natura angelica quæ est perfectior, quam humana.

Propos. 5. Si talis voluntas fieret ipsa esset impeccabilis: ita tenet ipse Gabriel, & videtur esse mens Scoti in solutione. 1. argumenti. Sed dicit, quod non haberet vsum rationis: tunc videtur dicendum, quod non esset eiusdem speciei cum alijs, quia liberum & non liberum differunt sicut intellectuum & non intellectuum, sed illa non esset libera ut aliæ sunt. Gabriel non loquitur de tali non habente vsum rationis sicut Anselmus fingebat angelum in lib. de casu diaboli, qui non haberet vsum rationis. Sed intelligit Gabriel, quod esset voluntas præsupposita cognitione intellectiva ut non includit libertatem. Alex. citatus in. 3. propositione, dicit quod de potentia absoluta potuit Deus ab æterno aliter præuidisse res fiendas, & ordinandas & illis naturas alias in tempore indidisse, & potuit ab æterno præuidisse primū hominē futurū inuertibile quantū ad liberū arbitriū, & illum talis naturæ condidisse in tempore. Quod videtur dedisse occasionem Gabrieli ad opinandum, quia videtur mens Alexandri, at vero non negat libertatē arbitrii sed quod cū tali libertate stare inuertibilitas. Tūc illa inuertibilitas daret liberū arbitrio, quod esset alterius naturæ: intelligo, ac si dicamus, quod possit liberū arbitrio, ut est in se, addi aliquid quasi differentia specifica, quod ipsum traheret in aliā speciē: sed ut est liberū arbitriū sine tali addito, ut differentia, implicat contradictionē Durand. hac. d. q. 1. tenet quod posset fieri voluntas, & quod forte iam est facta impeccabilis per naturam circa præcepta legis naturæ: circa eligibilia per superiora principia, puta fidei, & disciplinæ dicit, quod non. Fundamentum stat in hoc, quod non potest esse peccatū in voluntate sine defectu in intellectu, siue erroris, siue nescientiæ, siue inconsiderationis, sed potest Deus facere, & forte iam fecit angelos qui

los qui cognoscant omnia naturalia speculabilia. Sed contra, quia si habere perfectissimam scientiam peccant homines: & quia rationeistente scientia naturalium non possent peccare circa naturalia præcepta communicata creaturæ: scientia supernaturali, non possent peccare circa supernaturalia.

Adam habuit plenitudinem scientiæ de rebus naturalibus quia imposuit nomina omnibus, quæ imponuntur iuxta naturam & proprietatem rerum ut dicit Plato in Cratillo. Vide de hac Magistrum in litera.

Adam habuit scientiā de omnibus necessarijs tam pro se gubernando, quam pro filijs, neque solum in naturalibus verum in aliquibus supernaturalibus. Nam cum illi hæc dirigenda committerentur debuit habere ad gubernationem, & imperium scientiam necessariam iuxta id Prou. 14. Acceptus est regi minister intelligens. De his duabus vide Alex. 2. p. q. 98. M. 1. ex quo fit quod in his non proficeret, nisi vel cognoscendo experimentaliter, vel habitui infuso ex acquisito addendo facilitatem. Idem Alexan. M. 2. ar. 3. Proficeret autem in cognoscendo superiora ex revelatione: item non erat opus quod sciret omnia singularia & particularia creata. Videantur Bona. & Ricar. hac. d. & Thom. 1. p. q. 94. arti. 3.

In illo statu homo neque à se neque ab alio deciperetur; quia repugnabat deceptio statui innocentiae cum sit malum intellectus: in illo statu nullum malum esse poterat, unde dicit August. 3. de libero arbitrio: Approbare falsa pro veris non est natura instituti hominis. Vide eundem Alex. ubi supra. artic. 4. & Doctores citatos.

Adam fuit sapientior Salomone. Ita docet Lyranus, super capit. 3. lib. 3. Reg. & illa sapientia collata Salomoni, ut nullus ante eum neque post resurrecturus esset similis intelligitur de regibus quia Moyses & Apostoli fuerunt illo sapientiores.

Adam habuit fidem. Probatur. Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo: ibidem: Credere oportet accedentem ad Deum, sed Adam aliquo tempore placuit Deo ut infra. d. 29. ergo habuit fidem. Hanc docet Alex. 2. p. q. 97. M. 2. art. 1. ita quod habuit firmam adhesionem quam importat fides, sed respectu cognitionis importatae clariorem, quam in statu peccati. Hec clarius pate-

bit per sequentem. Et quanuis Bona. q. vltima neget ab eo fidē, potest sane intelligi, quod capiat nomine fidei cognitionem enigmaticam ibi importatam.

Proposi. 1 Adam nō videbat Deum per essentiam. Magister in litera dicens quod Adam non ita excellenter sicut post hanc vitam sancti visuri sunt Deum contemplabatur. Hanc tenent Alex. 2. p. quæst. 98. M. 2. arti. 1. quem fere in verbis sequitur Bona. quæst. vltima. Vide & Thom. 1. p. quæst. 94. art. 1. & Ricar. arti. 2. quæstio. 1. & probatur. Ioan. 1. Deū nemo vidit vnquam: ergo ipsum nō viderat Adā. Exo. 33. Nō videbit me homo & viuet. Ratione quia alias fuisset beat⁹, nec posset peccare. Aliqui tenent q̄ vidit in illo raptu sicut Moyses, & Paulus ita refert Durā. Refert & alios qui dicunt quod habuit speciem infusam de Deo. Contra quos ipse ibi tenet. Sed non video quare non potuisset habere sicut dictum est de angelis. Atque dictum Magistri in. 4. d. 1. quod homo ante peccatum Deum videbat sine medio, intelligitur ænigmatico, id est, obscuro sicut post peccatum modo cognoscimus ex creaturis, non tamen sine medio coadiuuante: ita exponit Bona. quæst. literali. Magister ipse hac distinct. fatetur, quod nō ita in ænigmate contemplabatur Deum qualiter in hac vita videmus. Dicit etiam citatus Thom. quod neque angelos videbat per essentiam, quia sicut nos, ita ipse videre non poterat substantias separatas.

Propo. 12 Adam non præsciuit casum suum. Magister in litera, & hoc eadem ratione qua neq; angeli. Vide supra. d. 4. & quanuis præscierit Christi hominis gloriam, ignorauit suū casum vt Ioseph. Genes. 37. nouit suam gloriam non tamen suam venditionem.

DISTINCTIO XXIII.

De adiutorio dato homini quod fuit liberum arbitrium.

Proposi. 1.



Er gratiam creationis datum fuit homini auxilium quo stare posset, & resistere tentationi, & hoc fuit liberum arbitrium, quanuis ex eo solo non posset mereri. Magister in litera. Et describit liberum arbitriū

vt habes supra. d. 5. de angelis. Dicitque quod dicitur liberum quantum ad voluntatem: arbitrium quantum ad rationem, cui conuenit arbitrari seu discernere inter bonum, & malum. Probat tur conclusio. ecclesi. 15. Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata conseruare conseruabunt te. Apposuit aquam & ignem ad quod volueris porrigere manum. Ex hac & ex dicendis in distinct. 29. de gratia primi hominis hæresis reuincitur Deistarum seu Trinitariorum, qui vocantur noui Arriani exorti, vt dicunt in Polonia. anno. 1564. quorum dux Gregorius Pauli: qui negant Adam & Euam in statu innocentie habuisse vnde stare possent. Contra quos est, quia alias nō imputaretur illis peccatum: sed sancti & concilia illum dicunt peccasse, & à sanctitate, & iustitia cecidisse vt videbis in Concilio Tridentino sessione. 5. Canone primo, & secundo de peccato originali: & in Concilio Arausicano Canone. 1. 13. & 25. Vbi habetur, & docetur eius liberum arbitrium.

Ratio, seu portio superior & inferior, quas Magister, & alij Doctores ex Augustino sumpsere non sunt duæ potentie animæ distinctæ: sed est eadem anima considerata secundum diuersa officia. Vnde vocatur superior quando respicit æterna secundum regulas æternas, vt quando contemplatur & diligit Deum propter seipsum: inferior quando respicit temporalia secundum regulas æternas. Vt dilectio, & gubernatio proximi etiam propter Deum. Addit Magister quod superior vocatur sapientia, inferior scientia. De hac Doctores hac distinct. præcipue Scotus, & Thomas prima par. quæstio. 79. artic. 9.

Sensualitas est vis animæ inferior ex qua est motus qui intenditur in sensu & appetitu rerum ad corpus pertinentium. Ad hanc pertinet omne illud in quo communicamus cum bestiis: Magister in litera. Solet ab alijs dici breuius sic: Sensualitas est appetitus sensitivus præueniens vsū rationis: Ita quod non est solus appetitus, quia talis appetitus dicit nudam potentiam, quæ potentia est bona, & est à Deo: sed illa præuentio rationis est illi pro formali. Vnde Alex. Hallens. 2. p. quæst. 68. M. 4. articulo. 1. petit. Quare philosophi non cognouerunt sensua-

sensualitatem cum sit vis motiua partis sensibilis? Respondet quod quia non determinatur secundum quæ habemus communia cum bestiis, sed secundum rebellionem contra rationem ex originali peccato, & quia ignorauerunt originale, ignorauerunt sensualitatem. Dicamus alijs terminis Scholasticis. Cognouerunt pro materiali, sed non pro formali. Ex hoc patet quomodo actus, siue motus sensualitatis sint, & non sint à Deo: quia cum sint iidem actus appetitus sensitui, pro materiali sunt à Deo: pro formali in quantum preueniunt usum rationis ad illicita sunt tentationes neque sunt à Deo. Multa possent tractari de sensibus, & eorum appetitu, quæ magis pertinent ad physicam. Vnum duntaxat oportet scire ubi sit appetitus sensituius, ut ibi queratur formale sensualitatis scilicet, prædicta preuentio, & rebellio ad rationem. Quibusdam videbitur quod in corde quia est instrumentum passionum animæ, & pro se possunt allegare Thomam. 1. 2. q. 48. artic. 2. Alijs videbitur quod in cerebro, quod est capitis, cum in capite vigeant omnes sensus, vnde virtus & motus est cæterorum membrorum. Dicuntur etiam esse quædam venæ in collo, quæ constrictæ priuant animalia suis motibus, quod in murilegis, seu catellis experientia videmus, quia per illas motus membris influitur: item à cerebro somnus proficiscitur, per quem sensus omnes ligantur. Procedent hæc opiniones tenendo quod est vnicus appetitus sensituius. Tenendo quod cuiuslibet potetiaæ cognitiuæ seu apprehensiuæ correspondet sua appetitiua, quæ videtur esse mens Scoti in hoc. 2. d. 6. q. 2. litera. D. & E. in 3. d. 15. in quolibet sensu qui est potentia apprehensiuæ sui obiecti erit suus appetitus & sic erit in toto corpore. Describitur hic appetitus ab Almaino in 3. d. 27. sic. Appetitus sensituius seu animalis, qui idem est, est appetitus præsupponens apprehensionem appetentis, natus tendere in obiectum apprehensum aut in eo quiescere necessario, & non libere. Atque sic rebellio ad rationem erit in quolibet sensu. Possunt afferri pro hac (licet non multum Scholasticè) omnes illæ reprehensiones datæ in scriptura contra sensus: ut si oculus scandalizauerit eruat. Matth. 5. Aures in circuncisæ Hieremie 6. Et sic de alijs. Dicit vero Magister capitulo vltimo quod sæpe capitur in scriptura sensualitas pro portione inferiori rationis. Exponit Ricardus quod sumitur improprie scilicet, pro ratione vt considerat

considerat sensibilia. Alex. etiam dicit quod si inueniatur in scriptura capitur extraneo modo.

Homo exterior proprie dicitur in scriptura, cum conuertitur homo ad exteriora bona concupiscenda propter se: interior cum conuertitur ad interiora bona siue superna appetenda propter se: Hanc docet Alex. 2. p. q. 68. M. 3. Dicit etiam idem ibi & habetur in litera ex Augustino, quod dicitur exterior ex ijs quæ habemus communia cum bestiis: interior ex ijs quæ non sunt nobis communia cum illis. 2. Corinth. 4. licet is qui de foris est homo noster corrumpatur, vide ibi Gloss. ordin. Dicitur etiam in scriptura homo vetus, & nouus secundum partem intellectuam Coloss. 3. expoliantes veterem hominem, induentes nouum. Gloss. interli. Homo vetus, vita vetus in peccatis secundum Adam: E contra dicitur homo nouus secundum Christum vt ex eodem Paulo ibi, & Ephes. 4.

In nostris tentationibus est similis ordo, quod sensualitas tenet locum serpentis, inferior portio mulieris, superior viri. Magister in litera sumpsit ex August. 12. de Trinit. capit. 12. Ex quo loco tam Magister, quam sequaces doctores Scholastici sumpsere nomen, & rationem sensualitatis, licet in alijs antiquis non inueniatur.

In portione superiori potest esse peccatum, sine motu sensualitatis atque sine portione inferiori. Probat quia circa articulos fidei, qui pertinent ad diuinitatem contingit peccare mortaliter qui respiciuntur à portione superiori sine inferiori, & sine sensualitate. Confir. ex peccato angelorum & Eug. Confir. 2. Ex Hieremie cap. 2. Filij Memphis constuprauerunt te vsque ad verticem id est, apicem mentis. Imo ibidem potest esse peccatum veniale, quia circa eosdem contingit leuis motus infidelitatis. Vide Scotum d. 21. q. 1. in fol. 2. Argumen. opinionis impugnatae peccata item spiritualia non habent ortum à sensualitate. Imo dicit Ricardus hac. d. artic. 4. quæst. 2. quod potest voluntas velle peccata carnalia sine instigatione sensuali, sed ex electione causando in se passionem: est contra aliquos tenentes omnia carnalia oriri ex sensualitate. Vide supra. d. 22. p. 6. de peccante ex habitu quia facit pro Ricardo: licet aliorum sententia sit vera, vt in plurimum.

Proposi. 7. In sensualitate non est proprie peccatum, sed in voluntate cōsentiente verè, vel interpretatiuè. Probatur. Primi motus sunt à sensualitate, sed non sunt peccata ergo in sensualitate non est peccatum. Maior patet ex notificatione primorum motuū quam dat Alexan. 2. p. quæst. 125. M. 1. Primus motus est, motus sensualitatis secundum impulsu fomitis ad fruitionem creaturæ. Minor probatur quia dictum est quod sit sensualitas appetitus præueniens vsu rationis: sed nemo peccat in eo, quod vitare non potest vt ex Augustino dicunt communiter doctores. Item super illud. 4. psal. Irascimini & nolite peccare dicit Gloss. ordin. Si motus surgit animi, qui non est in potestate non ei consentiat ratio: vbi de primo motu aperte loquitur. Et subdit ex Casiodoro. Motus animi in potestate nostra non est, sed Dei gratia temperare possumus: quod ergo consuetudinis est permittit, quod culpæ prohibet, ergo primus motus iræ non est peccatum, & sic erit de alijs. Verus vel expressus consensus est actus voluntatis: interpretatiuus est non resistere cum possit & teneatur, iuxta id de regulis iuris in. 6. Qui tacet consentire videtur. Hæc vocatur à doctores delectatio morosa. Ad quam vt sit peccatum mortale requiruntur duo præfata, scilicet, quod possit & teneatur. Nam confessor posset reprimere motus carnis ex confessione sed non tenetur dimittere confessionem. Patiens fluxum seminis tenetur reprimere, sed non potest: similiter qui non plene aduertit quid cogitat, quia requiritur plena aduertentia: & posset quis toto die cogitare talia sine aduertentia. Non enim dicitur morosa propter diurnitatem temporis, sed propter moram voluntatis in resistendo. Vide doctores hac. d. Alex. citata. q. 125. M. 11. Tho. 1. 2. quæst. 74. artic. 6. Potest esse delectatio solum de cogitatione, vt qui delectatur de miris & nouis modis peccandi, non se delectando circa peccata: talis delectatio non est mortale. Aduerte tamè quod tenendo quod portio superior sumatur etiam large pro re spectu ad temporalia secundum regulas æternas, non potest esse peccatū in portione inferiori sine superiori: sumendo strictè vt declarata sunt, potest esse in inferiori sine superiori & in hac assignatione portio inferior etiam respiciet tantum temporalia tãquam obiecta nullo habito respectu ad æterna, sed ad regulas morales, & naturalis honestatis.

voluntas

Voluntas naturaliter condelectatur appetitui sensitivo, & se illi conformat, sed hoc non est sine præuia cognitione intellectus, ergo nunquam est in sensualitate suus motus sine peccato in voluntate, saltem veniali, & sic in sensualitate est peccatum. *Argum.*

Ad hoc dico quod quidam antiqui doctores distinguebant primos motus in motus primo primos, & secundo primos, quã distinctionem non admittit Alex. Sed absolute concedit quod omnis primus motus sensualitatis est peccatum, quia est corrupta per originale, & debuit esse subdita rationi. Primos motus aliarum virium dicit non esse peccata, quia primus motus, vt est sermo, est sensualitatis secundū fomitē. Eadē dicitur fuisse Thom. hac. d. scilicet quod omnis motus sensualitatis sit peccatum. Vide Almainum in Moral. cap. 24. de primis motibus. Quid Thomas dixerit in summa vide. d. 21. p. 6. quia videbitur alicui quod eiusdem opinionis ibi sit, & similiter Magister. Sed quia est alia opinio mitior quam tenet Scotus infra citatus, quod scilicet, non omnes motus sunt peccata, quia alias deberem⁹ cōcedere q̄ possumus vitare omnes motus sensualitatis: & q̄ excitāte demone carnē nostram potest nos necessitare ad peccandū: & q̄ deberet homo cessare à causis honestis vt lectione aut auditione confessionis quādo nō obligatur ex officio, quia non sunt facienda mala vt veniant bona. Ad argu. est respōdendū cōcessa maiori & minori. De quibus nō sunt paræ quæstiones: primo circa maiorē si quādo se cōformat appetitui sensitivo naturaliter, est per actū naturalē aut liberū. Almainus citatus videtur dicere quod sunt illi actus necessarij naturaliter, & nō liberi, aut deliberati. Qui dixerit q̄ est actus liber poterit pro se citare Scotū in hoc. 2. d. 42. q. 3. ad. 2. principale: & in 3. d. 15. ar. 1. in. 2. dubio: dū dicit q̄ voluntas vniuersaliter cōpatitur appetitui sensitivo, sed nō cooperatur necessario. Verum cum in vtroque loco videatur Scotus dicere oppositū, quod, scilicet sit aliqua delectatio in voluntate præueniēs vsu rationis, & q̄ delectatio quæ est in voluntate tanquã primus motus est peccatū: non autē primus motus qui præcedit omnē actum voluntatis, debent Scotistæ vel tenere q̄ illa conformitas est per actum naturalem: vel dicere quod Scotus loquitur de passionibus, quæ secundū eum vidētur esse posse in anima sine actibus: sed quando passiones illæ sequuntur vsu rationis

X x 2

præ-

mini ibi libertas, de gloria Rom. 8. ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Accipitur libertas à philosophis prout distinguitur contra principium naturale. 2. phys. sic opponitur cuicumq; necessario tam immutabilitatis, quam coactionis: hoc modo etiam non erit æqualis in omnibus liberis.

Corol.

¶ Ex hac patet intellectus Anselmi dicentis. Possesse peccare non est libertas neque pars libertatis, quia quoad tres modos assignatos à Theologis nullus illorum est. Quoniam libertas non diffinitur per posse peccare, neque per aliquid cuius sit pars posse peccare. Sicut posse ambulare non est definitio hominis, neque pars suæ definitionis, quia definitio debet conuenire omni, & soli contento sub definito. Possesse autem peccare non conuenit omni habenti arbitrium. Vel non est libertas neque pars libertatis, qua natura rationalis est libera ad decentia, & expedientia: quam proprie vocat libertatem, quia propter illa data est. Vtraq; interpretatio colligitur ex eodem Anselmo de libero arbitrio cap. 1. Ad huius autoritatis expositionem vide Scotum in hoc. 2. distinct. vltima. Atque ad totam materiam liberi arbitrij Alexand. 2. p. quæstione. 29. & à quæstione. 72. vsque ad. 76.

Propos. 3.

Liberum arbitrium respectu suarum operationū actiue se habet, & non mere passiuæ. Contrarium huius est heresis Lutheri & multorum sequacium. Contra eos definiuit conc. Trident. sessione. 6. canone. 4. 5. & 6. Si quis dixerit liberum arbitrium hominis à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo vocanti, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; passiuæ se habere, Aut post peccatū Adæ tale arbitrium amissum, & extinctum, & nō esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita vt bona Deum operari, anathema sit. Dato opposito conclusionis non esset opus hortari homines ad bonum, neq; oporteret cōsiliari ad bellū, ad nauigationē, & simil. Item intellectus & voluntas in cluſi in ratione liberi arbitrij non essent nobilissimæ potentiæ, quia sicut agens est præstantius passio, ita potentiæ actiuæ sunt nobiliores potentijs purè passiuis. De præfata propositione, agens est præstantius, vide Scotum in. 4. d. 43. q. 3. litera. O. & in. 1. d. 3. q. 7. litera. P. & ad hanc
pro-

propositionem vide eundem hac. d. late probantem, quod voluntas est actiua sui actus. Per hanc tertiam etiam reuincitur Valentinus dicens peccatum non esse à libero arbitrio sed à demone, quia Christus Ioan. 5. dixit sanato. Sanus factus es noli amplius peccare. Cum Valentino sensit Manichæus Armenij & Albanenses.

Liberum arbitrium induci potest ad aliquid volendum, aut nolendum & hoc tam ab agente creato, quam ab increato: cogi vero non potest. Hanc docet antiqui doctores Alex. 2. p. quæst. 74. M. 7. Bonauent. numer. 54. & sequentibus Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 4. Scotus. in. 4. d. 29. litera. B. Ricard. art. 4. quæst. 1. & 2. Notanter dicitur ad volendum, hoc est ad actum elicitem, nam quantum ad actus imperatos, qui, scilicet, sunt aliarum potentiarum potest cogi, vt scilicet, ad motum pedum, & manuum: ita quod non fiant iuxta voluntatem. Ad huius intellectum annotat Bonauent. Quid est induci, quid mutari, quid cogi, inducitur persuasionem vt ad aliquid inclinetur: mutatur quando de volente fit nolens, aut è conuerso cogitur quando in vita vult, hoc est, quando repugnante actu suæ voluntatis ad oppositum compellitur. Hæc vocatur violentia. De qua Aristo. 3. Ethic. cap. 1. Violentum est cuius principium ab extra tale existit, in quo agens vel patiens nihil confert. Hoc est dicere, quod violentum est totaliter à principio extrinseco contra inclinationē passiuæ, sed implicat contradictionē, quod in vita velit, ergo non potest cogi aut violentari. Mutare voluntatem dicit idem Bona. quod Deus bene posset, non tamen aliqua creatura, quia posset Deus creare in voluntate actum, & illum conseruare, & sicut stante cognitione actuali, intellectus non potest non intelligere: ita stante tali actu necessario voluntas esset volens, & mutata ab opposita notatione. At vero sicut volo voluntarie quod ipse eligit ita voluntarie vellem quod immitteret Deus. Autoritates scripturæ sonantes coactionem ex parte Dei vt Lucæ. 14. Compelle intrare. Ioan. 6. Nemo venit ad me nisi pater traxerit illum, in secreta stabati ante dominicam passionis. Ad te nostras rebelles compelle voluntates: intelliguntur de inductione per minas, flagella, remotionem eorum quæ possent in contrarium allicere mitigando tentationes: & forte aliquando non concurrento
ad

ad volitionem contra præcepta, vt cantēt iusti libentius. Magnificauit dominus facere nobiscum psal. 125. Vehemens inclinatio vocatur compulsio prouerb. 21: Cor regis in manu domini, quocunq; voluerit inclinabit illud. Vergilius in Ecloga. 2. Trahit sua quemq; voluptas. Quæ tractio nullo modo est coactio. Per idem possemus dicere de alijs potentijs vt intellectu, & sensibus, quia posset intellectus mutari ab vna intellectu in aliam, & visus ab vno obiecto in aliud, non tamen cogi contra suam operationem quæ est sibi naturalis. ¶ Aliorum opinio est, quod voluntas possit cogi. Hi dicunt, quod voluntatē cogi est, nō ipsam velle & nolle sed velle aliquid & nolle se velle illud. Vt si habeat odium Platonis, & Deus se solo causet illius amorem, quia voluntas de se magis inclinatur ad odium, quam lapis ad ascensum, ergo sicut vnus violentatur, ita & voluntas. Hanc refert Ricardus. Tenet eam Almainus super sententias Holchor. q. 3. sed hoc iam diximus esse mutari.

DISTINCTIO XXVI.

De adiutorio dato homini quod est gratia.

Proposi. 1.



Gratia capitur actiue pro gratiosa voluntate omnia dante gratis. Act. 15. Per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari, id est, per eius gratiosam voluntatem. Capitur passiuè pro dono gratis dato, & diuiditur secundum ipsa dona. Ad præsens dicimus, quod est duplex gratia. Vna vocatur gratis data, quæ datur sine merito & manet in peccatore, vt bene cantare, prophetare, miracula facere. Alia est gratum faciens, qua homo est Deo gratus, & vita æterna dignus. De hac est modo sermo.

Proposi. 2.

Gratia gratum faciens est habitus infusus à Deo, & ex consequenti accidēs de prima specie qualitatis, per quē acceptat creaturam rationalem ad vitam æternam. Vide in. 1. d. 17. p. 1. Et ex illa definitione concilij, quod diffunditur & inhæret conuincitur esse accidens. Ita docuerat Alex. 3. p. q. 69. M. 2. ar. 3. Bonau. hac. d. 3. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2. & est ratio, quia ipsa adest & abest

est sine corruptione subiecti, neq; est nata per se subsistere sed in alio, & hoc non vt pars eius, neq; vt forma substantialis.

¶ Accidens non potest transmigrari de subiecto in subiectum. *Argument.* Gratia vero sic, ergo non est accidens. Probatur minor, ex euangelio Matth. 25. de talentis, & Lucæ. 19. de minis per quas doctores intelligunt gratias vbi habens solum talentum domini priuatur illo, & datur alteri habenti, quia vnus cum talento non est negotiatus ad vitam æternam.

¶ Huic argumento respōdeo conformiter ad Alex. quod sicut dicitur vna fides omnium credentium, non respectu habitus, qui est in subiecto, quasi sit vna numero, sed respectu obiecti, scilicet, eorum quorum est fides: ita gratia dicitur vna nō numero ex subiectis in quibus est, sed ratione finis propter quem datur. Non itaq; gratia & fides transferuntur de subiecto in subiectum, sed quia datur alteri similis in specie dicitur auferri ab vno, & dari alteri quæ ab alio propter peccatum ablata est. ¶ Aliam difficultatem tangit argumentum, si ex hoc solo, quod Christianus perueniens ad vsum rationis non negotietur cum gratia baptismali condemnationitur? simile etiam est de quocumque, si cum talento vsus rationis non se conuertit in Deum. De ista difficultate dico breuiter, quod est duplex opinio. Vna sancti Thomæ. 1. 2. q. 89. art. 6. quod talis tenetur deliberare de seipso, & ordinare se in debitum finem, sic consequetur remissionem originalis qui non est baptizatus, si hoc non fecerit peccabit mortaliter. Finem debitum explicat ibi ad tertium, quod conuertatur in Deum: explicat aliqui sui, non, quod conuertatur in Deum explicite, quia posset non habere notitiam de Deo, sed quod habeat aliquem actum de salute sua, hoc est, de bene esse animæ suæ eo modo, quo illo tempore habet cognitionem de bono, vel in vniuersali, vel in particulari, habendo propositum ad tale bonum. In ista opinione constat, quod talis non damnabitur pro solo originali. Neq; baptizato adulto sufficiet sola gratia baptismi ad salutem. Alia est opinio opposita, & quod talis veniens ad vsum rationis potest peccare venialiter. Ita tenet Durandus in. 4. dist. 16. quæst. 2. & Adrianus in. 4. quæst. 3. de remissione peccatorum, & videtur verior: & quauis allegetur Bonauent. cum opinione Thomæ posset forsan alicui videri, quod potius sit cum hac secunda in

Yy originali

d. 42. huius nu. 45. quoniam ibi non loquitur de peccato originali adiuncto veniali, sed negat quod aliquis possit decedere cum solo veniali, quia solum veniale non potest esse nisi in habente gratiam. Admisso verò, quod sit Bona. cum Thoma. probatur alia opinio, quia de tali conuersione in illo instanti non habemus diuinum præceptum, quia debuit notificari omnibus ad talem usum venientibus, neque iuris naturalis, quia de illo non posset esse ignorantia inuincibilis, & tamen illud hodie ignorant etiam docti, quando neque aliquis se accusat an in illo instanti se ad Deum conuerterit. Quid autem sit usus rationis etiam est dubium. Dico, quod non est solum habere intellectum, & voluntatem, neque operari libere. Nam pueri operantur libere multa antequam habeant usum rationis, quod patet quia rogati prosequuntur, & desistunt, qui actus non sunt necessarii, ergo sunt liberi. Videtur ergo potius, quod sit usus rationis habere actus deliberatos, hoc est, habere potestatem consultandi quid agendum, & eligendi consultatum. Hoc est esse dominum suarum operationum. Facit in hoc quod dictum fuit. d. 24. ad finem quod sit actus idem primo liber, & secundo deliberatus. In deliberato consistit peccatum non in solo libero, alioquin pueri peccarent in multis, quos est verisimile operari libere & non peccare.

Dubium.

Propos. 3.

Diuisio Magistri in gratiam operantem & cooperantem est eiusdem gratiæ secundum diuersos effectus. Ita idem Magister cap. Hic considerandum. Ad hanc est sciendum opera Dei concurrentia ad iustificationem nostram esse triplicia. Prima antecedunt, & sunt propria ipsius Dei: ut prædestinatio, electio, vocatio, pulsatio ad ostium. Alia sunt producere qualitates supernaturales ut gratiam, & virtutes: quæ cum non educantur de potentia materiæ habet se homo ad illa mere passiuè, sicut aer respectu luminis. Alia sunt media quæ sic operatur Deus ut nos illi etiam cooperemur, ut fides spes dilectio penitentia. Hæc Deus à nobis petit Zacha. 1. conuertimini ad me psal. 80. Aperi os tuum Matth. 11. Venite ad me, vocatur igitur gratia, operans in quantum sua informatione, in hæsiōe, & diffusionē operatur, quod anima sit grata Deo, vocatur cooperans in quantum cooperatur cum voluntate ad opera tertij generis, ut sint Deo accepta 1. Corinth. 15. Abundantius omnibus laboraui, non ego autem sed

sed gratia Dei mecum. Vocatur à Magistro gratia operans etiam gratia præueniens, quem sequitur Ricard. q. vlt. in quantum præuenit excitando arbitrium ad bonum: cooperans dicitur subsequens, siue adiuuans in quantum perficit in bono per arbitrium actum volendi. Vnde videtur, quod apud Magistrum gratia præueniens, & adiuuans sint habitus, & clarius quando dicit in sequenti. d. quod hæc gratia est virtus. Sed. d. 28. videbis, quod non sunt habitus.

Voluntas comitatur gratiam tanquam pedissequa. Magister in litera ex August. cap. itaq; & sequenti dicit, quod gratia præueniens voluntatem & præparans est fides cum dilectione. Hæc potest intelligi ex præcedenti. Scotus in. 1. d. 17. litera. L. interpretatur, quod actus in quantum meritorius principalis est à gratia, sed quantum ad substantiam actus, principalis à voluntate. Quia potentia vtitur habitu, & non è contra. Secundo quia actio non esset libera si gratia esset prima causa, quia moueret naturaliter, & voluntas naturaliter moueretur, ergo non ageret libere cum non ageret nisi mota. Tertio voluntas est illimitatio ad actus quam habitus, sed illimitatio ad plures effectus competit causæ superiori, ergo voluntas est causa superior.

Propos. 4.

Gratia & caritas sunt idem realiter differunt tamen ratione. Hanc tenet Alex. 3. p. q. 69. M. 2. ar. 4. Sequitur Scotus. d. sequenti Ricard. hac. d. q. 1. Durand. q. etiam. 1. Gabriel. hac. d. art. 2. conclusi. 4. Dicitur gratia in quantum per eam sumus dilecti, & grati Deo. Caritas in quantum per eam nos diligimus Deum. Et probatur, quia si distinguerentur realiter, vel essent eiusdem rationis, vel diuersæ, si vnus, altera superflueret & frustra fiet per plura, quod potest per pauciora, si diuersæ, quæro quæ perfectior? Si caritas, videtur contra Paulum. 1. Corinth. 15. Gratia Dei sum id quod sum: si gratia, videtur contra August. lib. De Trinit. 15. cap. 18. Nullum est isto Dei dono excellentius, quod solū diuidit inter filios regni, & perditionis, & loquitur de caritate. Secundo quia quæcunq; excellentiæ attribuuntur vni, attribuuntur & alteri, quoniam vtraq; diuidit inter filios regni & gehennæ. Tertio, quia posset vna esse sine alia, & sic posset vnus habere caritatē & diligere Deum, & non habere gratiam, & esse inimicus: aut è contra. Hæc est contra Thomam. 1. 2. quæst. 110. ar. 3. In eadem videtur esse

Propos. 5.

Y y 2

Bona.

Bona hac d. quest. 5. In 3. d. 27. art. 1. q. 3. problematice defendit utramq; Magis vero declinat contra nos, quia ibi. q. 4. dicit quod difficile est pensatis autoritatibus & rationibus sustinere, quod caritas non addat ultra gratiam aliquem habitum, qui voluntatem habiliter ad amandum.

Proposi. 6.

Subiectum gratiæ & caritatis est potentia voluntatis. Ita tenet Alex. citatus & Scotus hac d. & alij supra citati: & quod plus est ipse Bona. hac d. q. 5. & est contra Thomam citata. q. art. 4. Thomas dicit. 1. p. q. 77. ar. 1. quod potentiæ animæ sint accidentia: & in. q. 5. 4. art. 3. quod in nulla creatura virtus, neq; potentia operatiua sit idem, quod sua essentia, quæ fuerat opinio Alex. Hallens. 2. p. q. 20. M. 2. art. 2. in argumento. 2. ad contra. & q. 65. M. 1. clarius & ex professo, quod differt essentialiter anima à suis potentijs: & in solo Deo sua essentia est sua potentia. Ex hoc principio ponit Thomas gratiam in essentia animæ: caritatem in potentia, ut per gratiam anima participet esse diuinum & prius sit grata, deinde per caritatem voluntas operetur. Scotus in hoc. 2. d. 16. tenet quod sunt idem realiter inter se & cum essentia anime ideo in voluntate ponit gratiam. De quibus opinionibus potest videri Bona. in hoc. 2. d. 24. art. 2. q. 1. Sed probo conclusionem, quia si gratia esset in essentia animæ non esset habitus operatiuus, quod est inconueniens: sequela concedetur in via Thomæ, quod non operatur per se, sed per virtutes, quod verò sit inconueniens probatur, quia. 1. Corinth. 15. dixit Paulus gratia Dei sum, quod sum, & abundantius omnibus laboraui non ego, sed gratia Dei mecum, ergo gratia est habitus operatiuus. Confir. quia alias non esset virtus, quæ operantem perficit, & opus bonum reddit. 2. Ethico. cap. 6. Item ipsa erit ociosa. Item Augustinus dicit, quod gratia comparatur ad voluntatem seu liberum arbitrium, sicut fessor ad equum, sed fessor regit equum, & in illa directione per se operatur. Item gratia operans & cooperans est eadem sed cooperans est caritas, & in voluntate, ergo & operans.

DIS-

DISTINCTIO XXVII.

De gratia an sit virtus, & de merito.



Ratia est virtus. Magister in litera & ponit definitionem virtutis ex Augustino, quæ debet esse omnium tenentium quod sit eadem cum caritate. Thomas negat esse virtutem. 1. 2. q. 110. arti. 3. & ideo neque habitum operatiuum. Ex hac propositione, quia Magister in. 1. dixit non esse aliam caritatem creatam, nisi spiritum Sanctum. d. 17. Scotus tam hac d. quam in. 1. nititur exponere Magistrum in sano sensu, scilicet, quod spiritus Sanctus non per alium habitum quæ per caritatem mouet voluntatem qui sit distinctus à gratia, sed per eandem gratiam inhabitat & mouet. Vide si vis.

Proposi. 1.

Gratia est radix & principium operis meritorij, atq; eius causa principalis, concurrunt tamen liberum arbitrium Magister in litera. Vide præcedenti. d. p. 4. Ad hoc sunt exempla Scoti in. 1. d. 17. Primum quia pater est principalis causa filij, & tamen respectu matris filius est gratior fratri matris quam respectu patris. Secundum diuisio cultelli est à manu tanquam à principali agente. sed lenitas partium diuisarum magis placet visui ex acutie instrumenti, quæ ex efficacia manû. Tertiû, sonus magis est ex percussione corporis sonantis quæ ex ordine percussione, tamen auditui plus placet ex ordine, sonus harmonicus quæ ex efficacia virtutis, sonus tonitru.

Proposi. 2.

Duplex meritum assignatur communiter à Theologis, vnum de condigno, alterum de congruo. Primum vocatur meritum simpliciter, aliud secundum quid. De ratione meriti de condigno sunt duo, dignitas operantis, & lex statuta de redditione præmij. Ad meritum de congruo sufficit alterum. Sanctus Bona. in. 3. d. 4. num. 27. distinxit aliud meritum, vocans illud de digno, ut quando persona est digna, & lex deficit, ut quando iustus orat pro peccatore. sed non est opus tali diuisione. Vocatur de condigno, quia ex iustitia & condignitate operis debetur illi præmium: sed cum inter Deum, & hominem non sit proprie iustitia: diuina lex facit illam æqualitatem. Nam promisso præmio unicuique iuxta opera sua Matt. 16. & Apocalyp. 20. iustus de condigno, & de iustitia

Proposi. 3.

Yy 3

tia

tia pro bono opere meretur gloriam. Meritum de congruo ex quadam congruitate acceptatur ad primum: & quavis sit quaestio de nomine melius est vocare illud meritum secundum quid & cum addito, quam simpliciter sine addito, quia Concilium Trident. sessione. 6. cap. 8. de iustificatione dixit, quod nihil eorum quae iustificationem praecedunt ipsam iustificationis gratiam promerentur. Durandus hac. d. q. 2. & in. 1. d. 17. q. 2. subdistinguit meritum de condigno: quoddam stricte, & proprie, & tale est actio voluntaria, propter quam alicui debetur merces ex iustitia, ita quod si non reddatur, ille ad quem pertinet reddere facit iniuste. Tale inuenitur inter homines, sed non est hominis ad Deum. Large sumptum, est de quo praelocutus sumus. Addit Durandus, quod si decedenti in gratia Deus non daret gloriam, aut habenti gloriam auferret, nihil iniustum faceret, quia Deus non obligatur nobis ex aliquo debito iustitiae quia dedit gratiam: imo nos illi sumus obligati, & vult quod contrarium sit temerarium, seu blasphemum. Possumus dicere pro Durando, quod sicut motus ex cursu est necessarius a suppositione, tamen simpliciter contingens sicut ipse cursus: ita gloria est necessario reddenda supposita gratia, & operibus, tamen gratia & lex de acceptando simpliciter fuere gratuita, & ita est gloria pro operibus. Alex. 3. p. q. 8. M. 3. artic. 2. refert quosdam tenuisse quod nemo meretur gloriam ex condigno sed ex congruo, ex quibus forte sumpsit occasionem Durandus. Sed quia non est animus transgredi communes terminos quos posuerunt patres & Magistri nostri Prover. 22. dico nostra merita esse de condigno. Sapientiae. 3. inuenit eos dignos se. Luc. 20. Qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione, neque nubent neque nubentur. Apocalyp. 3. Ambulant mecum in albis quia digni sunt. Neque videtur differentia apud Latinos inter dignum, & condignum, quia Rom. 8. Non sunt condignae passionis in Graeco habetur. *ἀξία*. id est digna. Dicimus vero ad communem opinionem, intra eandem speciem esse latitudinem perfectionis. Ita in merito Christi habetur meritum de condigno in summa perfectione, non sic in nobis. Dominicus de Soto lib. 2. de Natura & Gratia tollit meritum de congruo cuius argumentis respondit Magister & frater Andreas Vega libro. 8. super decreto capitulo. 1. & 12. vbi dicit quod

ecclesia

ecclesia neque illud negauit, neque asseruit, sed relinquit sub opinionibus. Alexan. Hallens. 3. p. q. 69. M. 5. artic. 2. & cum eo Thomas. 1. 2. quaest. 114. artic. 5. negant meritum esse quando non est dignitas in persona merente. Vnde in hac opinione quavis extet lex. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos Zach. 1. Ezechiel. 18. & 33. quod si impius egerit poenitentiam vita uiuet, nullum est meritum in peccatore se conuertente. Si sit in persona dignitas ut in iusto, quanuis non extet lex quod audietur pro peccatore meretur de congruo: ita dicit idem Alexan. ibi. §. 4. & Thom. artic. 6. Scotus in. 4. d. 2. q. 2. ad. 3. principale concedit meritum de congruo in peccatore ad gratiam.

Meritum est actio libera acceptata ad aliquod praemium. Hanc dat Andreas Vega in opusculo de iustificatione. q. 4. & super Decreto lib. 8. cap. 10. quae quadrat secundum omnes opiniones de merito. Dicitur actio, quia per solam cessationem ab actu non meremur ut dormiens: dicitur libera propter actiones naturales ut potentiae vegetatiuae, atque sensitiuae, nisi quando imperantur a voluntate.

Iustus per bona opera facta propter Deum meretur augmentum gratiae de condigno, & vitam aeternam. Probatur ex dictis, & ex Paulo. 2. Timoth. 4. Reposita est mihi corona iustitiae. Contrarium fuit haeresis Lutheri dicentis nullum opus humanum esse meritorium aeternae vitae, quia derogaret meritis Christi propter quae saluamur. Dixit etiam idem, omnes iustos esse aequales in gratia & gloria: vnde sequebatur iustos non proficere. Concilium Trident. sessione. 6. capitulo. 10. hanc nostram definiuit citando tres auctoritates scripturae, quia secundum apostolum. 2. Corinth. 4. Is homo qui intus est renouatur de die in diem: & Apocalyp. 22. Qui iustus est iustificetur adhuc. Ecclesi. 18. Ne verearis usque ad mortem iustificari, ecclesia in oratione dominicae. 13. post pentecost. Da nobis fidei, spei, & caritatis augmentum. Et in Canone. 32. definit iustum bonis operibus mereri vere augmentum gratiae, vitam aeternam, & gloriae augmentum. In. 33. definit quod per hanc doctrinam Christi meritis, & gloriae nihil derogatur. Matth. 25. dans Christus rationem quare hoc

faber

saluet, illos. damnet ait. Esuriui enim, & cætera, vbi ly, enim vtro-
bique est causalis. Sicut ergo mali per mala opera damnantur, sic
iusti propter opera saluantur. Nō ergo iustus in omni opere pec-
cat vt dixit idem Lutherus, quia neque peccator in omnibus pec-
cat. d. 40. p. 4.

Propos. 6.

Qui dixerit iustum posse mereri sibi de congruo reparationē
post lapsum, si ceciderit habebit pro se Bona. d. sequenti num. 5.
vbi dicit, quod iustus, orando si ceciderit quod Deus ipsum redu-
cat in viam, meretur de congruo suam reparationem, hoc est, me-
retur sibi de cōgruo primā gratiā. Sic orabat Psalmista. psal. 70.
Cum defecerit virtus mea ne derelinquas me. Ad idem potest ad-
duci Scotus. in. 4. d. 22. q. 1. 2. Coroll. dum ait. Sicut credo quod
perfectior grauius cadit propter maiorem ingratiudinē, ita cre-
do quod cæteris paribus citius resurgit propter Dei benignita-
tem merita prædicta ad hoc aliquantulum acceptantem. Contrariū
huius tenuit Alex. vbi supra. in. 5. 2. & cum eo Thomas citatus, in
arti. 7. quia eius iustitiæ omnes sunt in obliuione. Ezechiel. 18.
Sed pro conclusione, sic arguitur, iustus orans pro peccatore me-
retur illi de congruo primam gratiam ergo & quando orat pro
se ipso ad tempus quando ceciderit. Tenet consequentia ex pari-
tate rationis. Bene quidem hoc est verum quod meritum de con-
gruo non semper consequitur suum effectum. Alex. negat pari-
tatem rationis quia pro tempore ad quod petit illud quod est dā-
dum, est indignitas in merente, non sic quando pro alio.

Propos. 7.

Dubium est cuius iustitiæ sit meritum. Durādus hac. d. q. 2. te-
net quod commutatiuæ: & probatur, quia retribuere mercedem
pro seruitio fit habendo principaliter respectum rei ad rem, seu
actionis ad passionem (quanuis ex consequenti habeatur aliqua
lis respectus ad personā, vt si nobilis seruiat, vel rex patiat) sed
hoc pertinet ad iustitiam commutatiuam ergo in redditione præ-
miorum, atque poenarum, vbi examinantur principaliter actio-
nes, quam personæ, consistit iustitia commutatiua. Alij tenent
quod ad distributiua, quia proprietates meriti est deducta ad mu-
nera amicitiae, vt dicimur mereri bene de amico: sed in iustitia di-
stributiua meritum procedit ex amicitia, quæ est virtus vel cum
virtute coniuncta. 8. Ethic. capi. 1. & in distributione præmiorū
non attenditur æqualitas rei ad rem, sed proportio geometrica
perfo-

personarum & præmiorum, vt si Achilles sit dignior Aiace in du-
plo, dentur Aiace quatuor, Achilli octo, & ita fiunt æquales. 5.
Ethico. cap. 3. ergo pertinet meritum ad distributiua. Confir-
mō quia in iustitia cōmutatiua æqualis est merces, vt in locatio-
ne, si opus bona vel mala intentione fiat non enim quæritur per-
sona, vnde Raphael dixit Tobiae. 5. Genus quæris mercenarij, an
ipsum mercenarium? Sed ad præmia, & poenas attenditur perso-
na, & eius intentio. Secundo, quia Heb. 5. dixit Paulus de Chri-
sto. Exauditus est pro sua reuerentia, ergo dignitas personæ prin-
cipaliter requiritur: Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad
munera eius, prius ad personam, deinde ad opera. Attenduntur
opera, quatenus æstimatur inde dignitas personæ.

Contra prædicta Luca. 17. Cum feceritis omnia quæ præce-
pta sunt vobis dicite, serui inutiles sumus. 2. Rom. 8. Non sunt cō-
dignæ passionis huius temporis ad futurā gloriam. Tertio ex di-
cto communi, quod Deus præmiat vltra condignum, ergo nul-
lum est in nobis meritum de condigno. ¶ Ad primam auctorita-
tem est duplex intellectus ex Beda. Primus quod sumus inutiles
quia nulla utilitas domino, nullumq; lucrū ex nostris obsequijs
illi accrescit, sed nobis: ideo illi sumus inutiles qui bonorum no-
strorum non indiget Psal. 15. & Iob. 22. Hunc amplexatur Tho.
1. 2. q. 114. art. 1. ad. 2. Hæc non placet Alfonso de Castro, Opera
hæresi. 4. quia dicit quod à litera longe recedit. Secundus intelle-
ctus est, quia non sunt condignæ passionis ad futuram gloriam.
Hunc ipse Alfonso magis amplexatur.

Autoritatem vero Pauli exponunt Bona hac. d. q. vltima. &
Ricar. articul. 2. q. 3. vt sunt tantum passionis, & comparantur ad
liberum arbitrium à quo sunt: tamen comparatæ ad caritatem
à qua procedunt, sunt condignæ. Thomas vbi supra articulo.
3. ad. 1. dicit quod Paulus loquitur secundum substantiam passio-
num: exponitur, ex parte obiecti, ita quod pati sitim & alia pro-
pter Deum etiam in quantum procedunt à caritate non sunt cō-
dignæ, sunt tamen condignæ ex lege domini, qui cū vineæ cul-
toribus conuenit Matth. 20. Vide patrem Andream Vegam in
opusculo de iustificatione. q. 5. ad. 1. argu.

¶ Per idem interpretatur ibi Vega commune dictum quod
præmiat vltra condignum ipsorum operum, etiam vt sunt à ca-

Zz

ritate

Argum. 1.
Secundum.
Tertium.

Solu.

Ad. 2.

Ad. 3.

ritate, si excluderetur lex. Neque concedit quod præmiet supra merita prout illis meritis est iam taxatum præmium, sed supra merita in se: qui aliter dicunt ait gratis illos id dicere, atque concedere. Fuerat hæc interpretatio Aliacensis, vt videre potes in. 1. quæstio. 9. litera. Oo. Poterat autem Deus si vellet omnia opera nostra à nobis exigere sine aliquo præmio, quia Dominus est.

DISTINCTIO XXVIII.

De insufficientia liberi arbitrij sine gratia.

Proposi. 1.

Liberum arbitrium dicitur esse in puris naturalibus dupliciter: vno modo pro vt est sine habitu gratiæ gratum facientis. Alio modo pro vt est sine aliquo dono gratis dato, quod vocatur auxilium speciale. Quod cumque horum habuerit ad bene operandum potest dici quod non operatur ex puris naturalibus, sed adiutus gratia: & ablata gratia gratum faciente potest etiam cum auxilio dici operari ex naturalibus. Ad hanc oportet scire quod Theologi distinguunt auxilium in generale, & speciale. Generale est concursus Dei generalis cum rebus ad operationes naturales, computaturque inter dona naturalia, pertinens ad generalem prouidentiam, quia est concursus naturæ debitus. Speciale est ad operationes supra rerum naturas, vt ad credendum, poenitendum & similia. Specialia: quædam præueniunt actum propter quæ dantur vt sunt inspirationes, & vocantur auxilia inefficacia, quia ipsis positus non necessario fit illud propter quod dantur. Alia comitantur actum vt quando inclinât ad operandum, & vocantur efficacia, quoniam actus sequitur cum effectu. Hæc auxilia vocantur alijs nominibus, scilicet, auxilia gratiæ, sine absolute gratia, quia gratis dantur. Ita auxilium speciale præueniens vocatur gratia præueniens, siue excitans, qua Deus peccatores præparat & disponit terroribus, minis prædicatione, inspiratione. Auxilium comitans vocatur adiuuans quia illo adiuuamur ad actus quibus acquiescimus, hæc gratiæ constat quod non sunt habi-

habitus. Bene quidē gratia iustificans in quantum gratis datur & animam sanat, dicitur præueniens opera nostra, in quantum nobiscum operatur, dicitur adiuuans, sicut quia est habitus dicitur operans: quia concurrat ad actum cooperans. De his auxilijs vide Andream Vegam super Decreto lib. 6. cap. 6. & lib. 13. ca. 13. Facit & Alex. 3. p. q. 69. M. 3. arti. 3. & expone Magistrum & Ricar. d. 26. quia loquuntur de ipsomet habitu gratiæ.

Nullus in peccato existens potest mereri auxilium speciale, si *Proposi. 2.* ue gratiam præuenientem, neq; de cōgruo neq; de condigno, vt iustificetur. Probatur psal. 58. Deus meus misericordia eius præueniet me. psal. 87. Deus tu conuertens viuificabis nos. Ioan. 5. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: in Canonica. 1. cap. 4. ipse prior dilexit nos. Philipp. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. 2. Timot. 1. vocauit nos vocatione sancta sua, nō secundum opera nostra. Est & Conciliū Arausicanum Canone. 25. Hoc salubriter profiteamur, & credimus q̄ in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiā adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedētibus meritis bonis, & fidem & amorē sui inspirat, & vt baptismi sacramentum fideliter requiramus, & post baptismū, cuius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Et probatur ex ratione quid nominis meriti: quia peccator neq; est dignus, neq; est lex de tali auxilio sibi dādo. Neq; per posterius potest quis mereri, quod est prius ipso merito. Et quia gratia iustificans quandoq; sumit pro habitu & gratia præueniente simul, sequitur quod multo minus possit mereri gratiam iustificantē ad istum sensum. Isto modo interpretantur aliqui Magistrum. d. 27. dicentē quod causa principalis bonorum meritorum est gratia qua excitatur liberū arbitrium, & sanatur atq; iuuatur, quod sumpserit pro iustificante simul cum auxilio speciali. Sumitur quandoq; gratia iustificans, pro gratis data, scilicet, pro auxilio speciali, sicut via ad terminum vocatur nomine termini, vt euangelicæ beatitudines, q̄ facit ad intelligendos doctores sacros.

Nemini datur prima gratia secūdū propria merita, vel, Nullus *Proposi. 3.* iustificat ex proprijs meritis. Aut. Nemo potest sibi mereri primā gratiā de cōdigno: quod idem est. Hæc est Magistri hac. d. quā tenent omnes Catholici cōtra Pelagiū. Probat Magist. ex Augus.

& probatur ex illo Pauli Rom. 3. iustificati gratis per gratiam ipsius Isaia. 55. Absque argento redimemini. Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. De finita est in Concilio Tridentino citato. d. præcedenti. p. 3. & in Concilio Arausicano Canone. 17. Caritas diffusa est in cordibus nostris per spiritum Sanctum qui datus est nobis: quod licet fuerit prouinciale definitiones eius sunt sedis apostolicæ, quia non ediderunt nouos Canones, sed transmissos à sede apostolica patres ibi subscripserunt.

Proposi. 4.

Nullus potest mereri vitam æternam sine gratia iustificante probatur Rom. 6. gratia Dei vita æterna. Hierem. 10. Scio domine quia non est hominis via eius, neque viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos. Nota ly dirigat. Est ista definita in Concilio Trident. sessione. 6. Canone. 2. Siquis dixerit ad hoc solum diuinam gratiam per Iesum Christum dari, vt facilius homo iuste viuere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrorunq; sed ægrè tamen & difficulter possit, anathema sit. Idem ante definierat Concilium Mileuita. cap. 4. contra Pelagium, qui vt est in litera, dixit. Ad hoc dari gratiam, vt quæ facere per liberum arbitrium iubentur homines facilius possint per gratiam. Contra omnem errorem Pelagij vide Alexan. citata. q. 69. M. 1. artic. 2. & ibi specialiter in argumento ex autoritate Pauli Rom. 9. Non est volentis neque currentis, exponit enim sic, scilicet peruenire ad beatitudinem non est in opere, vel motu interiori voluntatis, neque exteriori, sed in gratia. Tam ibi in argumento ex illo Ephes. 2. Gratia estis saluati, quam in .M. 5. articulo. 2. docet tertiam præcedentem. De hac. 4. vide Tho. 1. 2. q. 109. arti. 5. & 114. art. 2. Neque propterea quod vnum Deus acceptat, ad vitam æternam, alium non acceptat est personarum acceptor, quia in gratuitis non est acceptio personarum. Iuxta id Matth. 20. Non licet mihi quod volo facere? Tolle quod tuum est & vade. Sit exemplum de homine offenso æqualiter à duobus, qui ex liberalitate sua per tertios procurat, quomodo vnus illorum velit facere opera hæc, vel illa quibus redintegretur amicitia, qui sic se habet cum isto quod nullam alteri facit iniuriam, neque iniustitiam, quando Isaia. 49. promittit. Conuertimini, & salui eritis, & familia

similia, non promittit debitum merito, sed promissum est in donum gratis & liberaliter dandum. Propterea peccator id faciens non dicitur simpliciter mereri, sed ex congruo.

Homo seclusa gratia habituali & auxilio speciali potest in multa opera bona moralia per solum auxilium generale, non tamen potest in omnia, vt in opera præcellentia. Hæc est media inter errorem Pelagij dicentem, quod potest in omnia, & inter opinionem Gregorij Ariminensis, tenentis, quod post lapsum Adæ in nullum opus morale possumus sine auxilio speciali, refertur à Gabriele hac dist. 28. Sed hanc nostram docet Bonauentur. hac. d. quæst. vltim. exemplificat in honore parentum, in pacendo esurientem, quæ possunt è solo rectæ rationis iudicio & naturali motione voluntatis fieri. Similiter docet idem. q. præcedenti, quod possit aliquibus tentationibus resistere, quanuis non omnibus, & mediat inter alias duas opiniones extremas. Opera præcellentia erunt vota religionis, vnde de castitate dixit Sapientia. 8. Sciui quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia scire, cuius esset donum hoc. Adij dominum & deprecatus sum illum. Fides, vnde Philipp. 2. Vobis donatum est pro Christo non solum, vt in illum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. 1. Corinth. 7. Misericordiam consecutus sum vt fidelis essem. Dilectio Dei super omnia: quia plus est diligere quam credere. Poenitentia, quæ includit eandem dilectionem. Impletio omnium mandatorum: quia non stat seruare omnia diuina præcepta sine hoc, quod quis habeat gratiam, vel illam consequatur. Nam & præceptum de susceptione sacramentorum debet impleri vel in gratia: vel saltem in tali dispositione, quod per ipsa sacramenta gratia recipiatur. Distinguit idem Bonau. de resistere tentationi aduersarij, & vincere, quia resistere est non consentire, vincere est assequi oppositum illius quod aduersarius intendebat. Idcirco ad victoriam requiritur gratia gratum faciens, ad resistantiam sufficit vel auxilium generale in multis, vel speciale in omnibus. 1. Corinth. 15. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Rom. 8. Superamus propter eum, qui dilexit nos.

Homo sine gratia potest cauere nouum peccatum pro aliquo

Proposi. 5.

Proposi. 6.

quo tempore, sed non pro longo tempore. Hanc docet idem Bonavent. præcipue numer. 44. & 45. huius dist. ubi citat literam Magistri in dist. 25. in cap. & possunt. dum ait, quod potest peccare, & non potest non peccare etiam damnabiliter. Dat Bona. exemplum de pugile, qui dum ex vna parte se cooperit contra ictum, ex altera discooperit & à pugnatore magis experto læditur. Dant alij aliud, de naui inter duos scopulos à validis ventis agitata, & nauclerum habente fragilem debilitatum, & impeditum alijs curis. Eandem tenet Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 8. & Scotus quanuis obscure, sed ex argumento ad oppositum bene colligitur eius mens, dum ait, quod contrarium est hæresis Pelagij, & dum arguit ex Gregorio lib. 25. Moral. cap. dicente, peccatum quod pœnitentia non deletur mox suo pondere ad aliud trahit. Ex reportatis mens eius constat clarius. Prima pars huius probatur ratione Scoti, quia nemo est tam excæcatus propter vnum peccatum, quod excæcetur circa omnia principia operabilia, neq; vitia sunt connexa, ergo poterit bene viuere, & bene deliberare circa multa. Secunda pars vltra citatum Gregorium probatur ex Hieremias Thren. 1. Peccatum peccauit Hierusalem propterea instabilis facta est. Glossa inter. per diuersa vitia, puta labendo vt dicimus ab vno, in aliud.


Argumen. Solutio. ¶ Si dicas, ergo non peccat in eo, quod vitare non potest.

¶ Respondet Bonavent. in quæstione literal. numer. 6. Primo, quod licet non possit per seipsum, potest cum auxilio Dei qui præsto est ad adiuuandum si se disposuerit, sicut petente domino aquam à seruo quam licet non habeat, habere tamen potest, non excusatur à præcepto. Secundo duplex est impotentia, naturalis, & hæc excusat. Alia ex propria culpa vt si seruus iussus ire ad nundinas, se præcipitauerit, hæc non excusat: prior plus placet Bona. quia magis est contra Pelagium.

DIS

DISTINCTIO XXIX.

De gratia quantum ad statum naturæ integræ.



¶ Homo in statu naturæ integræ habuit habitum gratiæ gratum facientis. Ita Magister in litera, sed quo tempore fuit illi infusa, est duplex opinio. Vna Thomæ. 1. p. q. 95. art. 1. quod fuit in illa creatus sicut fuere angelus. Alia opinio est quod non fuit creatus in gratia, sed in naturalibus. Hanc tenent Alexand. 2. p. quæst. 96. M. 1. Bona. 2. q. art. 2. & erat suo tempore communis. Ricard. q. 1. Fatentur nihilominus, quod habuit gratiam ante lapsum, & hoc contra aliquos, qui tenuerunt Adam nunquam habuisse gratiam. Vide eundem Alexand. q. 97. M. 1. Pro hac sunt autoritates sanctorum in litera. Facit illud Lucæ. 10. de illo qui cecidit in latrones, qui exponitur fuisse Adam spoliatus, gratuitis, & vulneratus in naturalibus. Item Eccle. 17. dicitur de primo homine, quod Deus secundum se vestiuit eum virtute, sed nulla est plena virtus secundum Deum, hoc est secundum quam homo fiat similis Deo, nisi gratia, ergo habuit illam.

¶ Quod si ex hac arguas, quod sit creatus in gratia, quia in creatione fuit factus Deo similis, quæ similitudo consistit in gratuitis, ergo ab ipsa creatione fuit vestitus virtute gratiæ.

¶ Respondet Bonavent. quod illa similitudo intelligitur in alijs donis gratuitis, præter gratiam iustificantem, vel secundo, quod intelligendo de gratia, non exprimit autoritas tempus creationis, sed quod duntaxat illam habuit. Sed quo tempore fuit collata? Respondet Ricardus, quod quando se per liberum arbitrium disposuit, sicut angeli, & quia non fuit in ea confirmatus cecidit.

¶ Gratia non fuit homini necessaria, vt per eam liberaretur à peccato quod tunc non habebat, neq; fuit illi necessaria ad conseruandum se in statu illo, quia hoc poterat facere per gratiam creationis, vt dicit Magister in. d. 24. quod poterat resistere malo, & viuere sine peccato. Sed dubium est si indigebat auxilio speciali ad hoc, & ad implenda omnia diuina præcepta.

Sanctus

*Proposi. 1.**Argum.**Solutio.**Proposi. 2.*

Sanctus Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 4. tenet, quod sic, Alex. Hal-
lenf. citata. q. 96. M. 2. art. 1. idem dixerat, quod non poterat sine
diuino adiutorio, tamen interpretatur, quod illud adiutorium,
siue auxilium iam receperat in creatione, scilicet, dona gratis da-
ta, per quæ poterat stare sine noua appositione gratiæ. Sic venit
Magister quem ipse ibi refert, interpretandus, quod homo ex ac-
ceptis in creatione poterat stare. Patet quia habebat donum ori-
ginalis iustitiæ, per quod habebat plenum dominium suarum
virium, & sufficientem notitiam omnium necessariorum.

Proposi. 3. Illa gratia fuit necessaria vt homo esset acceptus ad vitam æter-
nam, atq; vt operaretur meritorie & ipsam æternam vitam con-
sequeretur. Hæc innuit Magister in litera. Probat Rom. 6. Gra-
tia Dei vita æterna. ¶ Sed est dubium si facere acceptum ad vi-
tam æternam sit ita proprium gratiæ, quod illud habeat ex natu-
ra sua. Ocham in. d. 17. p. q. 1. refert opinionem tenentem partem
affirmatiuam, quod ex natura rei facit animam acceptam Deo,
caram & dilectam. Gabriel eadem. d. & q. istam attribuit Aureo-
lo. Posset alicui videri, quod fuerit S. Thomæ. 1. 2. q. 110. arti. 2.
& probatur opinio, quia Deus vnicuiq; creature dedit suam pro-
priam naturam & motum illi conformem, ergo ita dedit & gra-
tiæ. Confir. quia natura albedinis est talis, quod repugnat & im-
plicat illam esse in subiecto, & non facere album, ergo à simili re-
pugnat, & implicat esse gratiam in anima, & non esse gratam.
Contrarium videtur ibi tenere Ocham dum defendit duas con-
clusiones. Prima est, quod sine quacunq; qualitate gratiæ potest
Deus acceptare naturam, & habere caram. Idem tenet Gabriel hac
d. in principio. q. & in. 1. d. 17. q. 1. conclusione. 1. Secunda con-
clusio Ocham est, quod posita quacunq; forma supernaturali
in anima potest non esse accepta Deo, quia nulla qualitas neces-
sitat Deum, & sicut posita gratia differt Deus dare beatitudinẽ
per annum, ita posset in æternum differre, & nunquam dare. Pos-
set etiam Deus animam annihilare, & manente anima ipsam gra-
tiam annihilare videtur, ergo quod id habeat gratia ex ordinatio-
ne diuina solum. Qui voluerit tenere cum priori debet dicere,
quod est necessitas consequentiæ, vt si Deus creat hominem, ne-
cessario faciet illum rationalem. Item quod aliud est destruere
causam, aliud suspendere illam ab effectu. In proposito posita
gratia

gratia necessario facit gratum & acceptum ad vitam æternam. Sus-
pendit Deus effectum gratiæ quando non dat gratiam, sicut fa-
ctus ignis necessario est calidus, tamen potest suspendi ignitio
eius, & calefactio.

Non potest fieri creatura, quæ ex sola creatione sit accepta *Proposi. 4.*
ad vitam æternam, hoc est, quæ sit per naturam cara & dilecta,
neq; quod sit per naturam beata. Hanc tenet Alex. 2. p. q. 96. M.
3. ar. 1. in solutione vltimi, & Bona. q. 1. huius dist. ad vltim. arg.
Quia esset facere donum gratiæ donum naturæ, & facere gratiam
naturam quamuis bene posset creari in gratia, & gloria sicut crea-
uit animam Christi Deus.

Aliqua dona gratiæ gratis datæ habuit Adam in statu illo, quæ *Proposi. 5.*
non habent posteri, aliqua modo posteri, quæ non fuissent in il-
lo statu: patet de iustitia originali, & de potestate ad non moriẽ-
dum neq; patiendum. In præsentis statu sunt aliqua gratiæ enu-
meratæ à Paulo. 1. Corinth. 12. Gratia sanitarum, operatio virtu-
tum, genera linguarum quæ tunc non forent. Gratia iustificans,
& virtutes infusæ quantum ad habitus, & quantum ad actus qui
dicunt perfectionem fuere in Adam, vt est in litera, & hoc æqua-
liter ac in posteris. Notantes ponitur, quæ dicunt perfectio-
nem, quia actus poenitentia licet perfectionem dicat est in ordi-
ne ad imperfectionem peccati, quod tunc non fuisset, neq; foret
poenitentia, nisi in habitu, vt continetur sub iustitia, vide in. 3. d.
33. quomodo virtutes in patria habebunt alios actus, quam in
via sic & in illo statu. Ad hanc vide Alex. 2. p. q. 97. M. 2. art. 2. &
Bona. hac. d. ar. 3. q. 1. Tho. 1. p. q. 95. ar. 3.

Comparando à tota specie statum naturæ lapsæ ad statum *Proposi. 6.*
naturæ integræ, status naturæ lapsæ est maioris meriti, & habet
copiosiora dona gratiæ. De hac licet videantur dubitare Alex.
2. p. q. 97. vlt. art. & Bona. hac. d. q. vlt. tenent tamen esse probabi-
liorem, quam oppositam. Ratio est quia Deus non permisisset
tantum malum, quale fuit lapsus totius humanæ naturæ nisi in-
de eliceret maius bonum. Secundo, quia in statu isto habemus
vel omnia merita Christi, vel saltem merita passionis, qui assistit
vultui Dei ad interpellandum pro nobis, ergo datur maior gra-
tia, quæ cum sit radix meritifacit opera status huius efficaciora.
Item Ioan. 7. Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum

erat glorificatus, ergo post Christi glorificationem maiora dona & efficaciora data sunt nobis iuxta id psal. 67. & Ephe. 4. Ascendens in altum dedit dona hominibus. Tho. 1. 2. q. 95. artic. 4. tenet quod gratia tunc fuisset copiosior, quia non esset impedimentum ex parte suscipientium. Sed dic, quod collatio gratiæ non attendit capacitatem suscipientis sed magis voluntatem dantis, quia anima Christi est inferioris naturæ, & habuit maiorem gratiam, quam supremus angelus.

Propos. 7. Probabile credo, quod omnes predestinati assequuntur maiorem gloriam modo, quam tunc assequerentur, & quod licet tunc potuissent tantum mereri sicut modo, quod de facto non mererentur. Bene essent aliquæ personæ maioris meriti in vno statu, quam in alio, & è conuerso, quia penes hoc se habent status sicut excedens & excessum, sicut in statu legis naturæ, & scripturæ. Aduertendum etiam, quod licet modo sit maior difficultas ex parte nostra, tamen ratio meriti non tam attendit difficultatem, quam conatum voluntatis cum caritate. Patet in Christo qui nullam habuit difficultatem. Cum ergo in hoc statu habeamus efficaciora auxilia gratiæ & maiora, est status meriti, & gloriæ maioris.

DISTINCTIO XXX.

De peccato originali quid sit: & à quibus contrahitur.

Propos. 1.



Mnes filij naturales Adæ contrahunt peccatum originale. Hæc est de fide contra Pelagianos, & Armenios, & docetur à Magistro in litera ex beato Augustino. Probatur ex Paulo. Rom. 5. per vnum hominem peccatum in mundum intravit, in quo omnes peccauerunt. Quæ verba concilium Trident. Sessio. 5. docet semper ab Ecclesia fuisse intellecta de peccato originali. Fuit ista decisa in concilio Mileui. cap. 2. refertur de consecr. d. 4. cap. Placuit el. 1. vide eadem. d. cap. firmissime, quod est beati August. Non ergo peccatum Adæ transijt in posteros imitatione, vt volebat Pelagius, sed origine, ex qua & nomen sumit, vnde Iob. 25. vbi translatio nostra

nostra habet. Nūquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? litera. 70. interpretum sic habet. Nemo mundus à sorde, neq; infans cuius est vnus diei vita super terram. Dicuntur filij naturales Adæ qui nascuntur communi modo propagationis ex masculo, & foemina, vnde neque Christus, neq; alius si ex foemina sola, aut ex viro solo nasceretur haberet originale, quia licet filij Adæ, nō tamen naturales.

Peccatum originale est vere & proprie culpa, & peccatum à quo peccatores denominamur. Hanc docet Magister in litera contra quosdam quos non nominat dicentes esse reatum penę pro peccato primi hominis, sed neq; proprie culpam neq; poenam. Quæ sententia videtur hæretica, quia Paulus proprie, & verè nos denominat peccatores propter peccatum Adæ in loco supra citato, & Ephe. 2. quod eramus omnes natura filij irę, quod facit peccatum, facit autoritas Iob. citata, quia si nascimur cum sorde, & in baptismo vere abluimur à sorde, vere habebamus peccatum. Extat conc. Trident. sessio. 5. vocans hoc vere & proprie peccatum, & quod sit vniciq; suum proprium. Zuinglius vt ei Echius imponit homilia. 1. de sacramentis dixit peccatum originale non esse peccatum, sed defectum naturalem sicut balbum esse, aut strabum, quem sequuti sunt aliqui in Germania. Durandus videtur aliquibus esse opinionis reprobata à Magistro, quia in hoc. 2. dist. 33. quæst. 3. dicit, quod pueri priuantur visione diuina ex culpa primi parentis, & non ex culpa propria, & in dist. 42. q. 7. ad primum argumentum dicit, quod poena paruulorū improprie dicitur poena, ergo videtur, quod culpa improprie sit culpa. Sed hac. d. q. 2. dicit, quod non est voluntarium sicut est peccatum actuale, & quod sic intelligit in omnibus suis scriptis quando dicit, quod non est proprie culpa, scilicet, ita proprie sicut peccatum actuale. Non ergo Durandus est contra Catholicā doctrinam, quod peccatū originis est proprie culpa, & peccatū.

De ipso peccato originali quid sit formaliter, variè sentiūt doctores Catholici. Magister in litera dicit, qd est concupiscētia. Atq; hæc concupiscētiā vocat vitium, ideo aliquibus videtur qd sit qualitas morbida, id est, fomes de quo infra. Scotus hac. d. & in. 3. d. 3. q. 2. tenet cū Ansel. lib. de cōceptu virginali, qd est carētia iustitię originalis debita, qd in primo parēte acceptę, & in illo amissę. Idcirco

Aaa 2

Adam,

Propos. 2.

Propos. 3.

Adam, quia non acceperat in alio, nisi in se, non habuit originale peccatum, sed actuale. Alij hos duos modos conciliant, scilicet quòd vtrumq; includatur, sed concupiscentia tanquam materiale, carentia iustitiæ, seu priuatio tanquam formale. Ita loquuntur Bon. hac. d. ar. 2. q. 2. Tho. 1. 2. q. 82. ar. 3. Ric. ar. 4. q. 1. Videtur & id sensisse Alex. 2. p. q. 120. M. 2. ar. 3. dum dixit concupiscentiã esse materiale, carentiam iustitiæ contractam propter inobediẽtiam Adæ causam efficientem, quod non ad carentiam sed ad inobediẽtiã refer, quia inobediẽtia fuit causa efficiens concupiscentiæ, & carentiæ iustitiæ. Alij dicunt, quòd est reatus pene, seu indignitas proueniẽs ex peccato Adæ. Alij quòd ipsummet peccatum Adæ nobis imputatum ad culpã. & penã est peccatũ originale. Sed hos duos modos reiicimus quauis non sint heretici, & sic describimus originale secundum tres priores modos. Originale peccatum est immoderata concupiscentia voluntatis ex carentia iustitię originalis debitæ, quia in primo parẽte acceptæ. Annotabis differentiam formalis peccati originalis ab actuali, quia formale in actuali, est carentia rectitudinis, quæ debuit in se actu vt cognoscendo alienam: in originali formale est carentia iustitiæ, quæ carentia, seu priuatio non inest concupiscentiæ, sed animæ, & sic non inest suo materiali. Et ista concupiscentia dicit Scotus hac. d. litera. B. quòd non est appetitus sensitui, quia ibi nõ est peccatũ. Sed est pronitas appetitus rationalis, idest, voluntatis, & hoc est materiale, in isto peccato. Quod materiale non ita proprie dicimus esse peccatum, sicut dicimus, quod anima sit peccatrix.

Propos. 4.

Iustitia originalis fuit donum quoddam collatum Adæ quotalis rectitudo seruaretur, quòd corpus animæ, vires sensitivæ rationi parerent, & si Adam stare illud posterius recepissent, quo peccante amiserunt omnes. Datur exemplum de milite cui rex castrum dedisset custodiendum tam pro se, quam pro filijs: similes hostibus traderet, ipse & posterius constituerentur castri debitores. Potest dari aliud de ingenuitate concessa parenti, & filijs, quam ipso amittente propria culpa, amittunt & filij.

Corol.

¶ Ex hac infertur quare vocabatur iustitia, quia scilicet, faciebat tranquillitã & subiciebat inferiora superioribus, quasi reddẽdo suum cuiq; , licet non esset in veritate iustitia virtus cardinalis.

Fuit

Fuit etiam qualitas ad modum habitus de secunda specie qualitatis, vocatur originalis quoniam initio suæ originis, & creationis illam habuit Adam.

Hæc iustitia habuit pro subiecto in quo erat, potentiam voluntatis. Ita tenet Bona. d. sequenti. q. 2. sequitur Scotus. d. præcedenti, & Ricardus. d. sequenti. q. 1. Et ratio est quia per illam iustitiam fiebat Deus delectabilior voluntati, quam esset delectabile aliquod obiectum sensui, ergo erat in voluntate. Item effectus huius iustitiæ erat subijcere corpus animæ, & animam Deo, & vires sensitivas rationi: sed homo per voluntatem Deo subijcitur, aut re bellat ergo in voluntate fuit iustitia. Confir. quia per illam iustitiam homo regebat corpus, & corpus parebat, nam cum potentia sensitivæ sint agentia naturalia, quæ iuxta Damascen. lib. 2. cap. 22. ducuntur, & nõ ducunt, vt retraherentur sine rebellionẽ à suis obiectis, & parerent voluntati, data est iustitia, sed in homine voluntas imperat, ergo voluntas habuit illam iustitiã. Tho. 1. 2. quæst. 83. art. 2. tenet quod habebat pro subiecto essentiam animæ. Scotus relinquit sub dubio an præter iustitiam in voluntate essent alia dona seu habitus in appetitiuis potentijs inferioribus, vt parerent delectabiliter. Opinarer probabilius quod non, ne fieret per plura quod potest fieri per pauciora. Atque hodie videmus ad imperium voluntatis vehementissime commoueri vires inferiores. Prouer. 13. cor hominis immutat faciem eius siue in bono, siue in malo. Et. 15. Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deijcitur spiritus. & 20. Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo, ergo voluntas quæ est regina in regno animæ dono sibi collato sufficeret sine alijs habitibus in potentijs inferioribus. ¶ Ex hac infertur quod subiectum peccati originalis sit voluntas. Ita tenent Bona. Scotus & Ricar. Contra Thomam citatum, & probatur quia opposita habent fieri circa idem: sed in voluntate fuit habitus, ergo ibi est priuatio. Itẽ concupiscentia, siue concupiscibilitas quæ est materiale huius peccati, est pronitas voluntatis, vt dictum est, ergo in voluntate est per prius peccatum originale. Aliqui doctores de quorum numero fuit frater Andreas Vega tenendo quod peccatum hoc nõ sit nisi indignitas habendi iustitiam, aut gratiam contracta propter peccatum Adæ, tenebat consequenter, quod talis indignitas

Propos. 5.

Corol.

Aaa 3

tas

tas sit in toto supposito, & sic peccatum originale, non in anima neque in voluntate. Respondebatq; dupliciter rationi factæ, vel quod iustitia fuit etiam in toto supposito: vel dato quod fuerit in anima, seu voluntate atq; ibi sit carentia iustitiæ prius in se, tamen vt est culpabilis, est in toto supposito.

Proposi. 6.

Iustitia originalis fuit alius habitus distinctus à gratia gratum faciente. Hanc debent tenere qui tenent quod homo non fuit creatus in gratia, & expresse docet eam Scotus. d. 29. ad. 4. argumentum. Probat quia modo confertur gratia baptizatis, & tamen non habet illum effectum dandi tranquillitatem in potentis, Gratia est principium merendi faciens dignos æternæ vitæ, ergo cum effectus sint diuersi causæ erant diuersæ, quia non sic iustitia faciebat filios regni. Vnde constat quod se habebant vt excedens, & excessum. Contrarium huius tenuere aliqui quos Ricardus refert hac. d. art. 3. q. 2. sed est Dominicus de Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 5. tenens gratiam, & iustitiam originale fuisse eundem habitum, sed in hoc maioris dignitatis gratia illius status, quam nostra, quia faciebat prædictam tranquillitatem, vultq; huius opinionis facere Thomam. Sed non credo, vt dictum est gratiam illius status copiosorem, & efficaciorum, quam post merita Christi.

Proposi. 7.

Probabile videtur quod illa iustitia non excludebat, omnem tristitiam, quæ est ex his quæ nobis nolentibus acciderunt. Hanc debent tenere dicentes, quod Christus dominus, & Mater eius habuerunt iustitiam, quoniam habuere suas tristitias: in hanc est Scotus. d. 29. & melius in reportatis, quia poterat visus videre, qd non delectaret. Non tamen ille tristitiæ essent inordinatæ. Videtur etiam probabile quod voluntas quauis Deo subiectissima haberet aliquod nolle conditionatum. V. g. pater volendo secum filium, quem tamen Deus ante parentem transferebat in coelum, & tale nolle non esset impium. Orarent enim ex amore naturali vxores transferri cum maritis, & sic alij.

Proposi. 8.

Concupiscentia carnis ex carentia iustitiæ varijs nominibus à doctoribus nominatur, videlicet fomes peccati, quoniam præstat fomentum ad peccatum: lex carnis Rom. 7. Video legem in membris meis, Tyrannus membrorum, quia non sequitur aliã normam, quam voluptatem. Vocatur morbus, vulnus, imo & pecca-

peccatum, quia ex peccato est & ad peccatum inclinatur, non tamen quod proprie sit peccatum. Ita definit Concilium Trident. sessio. 5. contra Lutherum & sequaces dicentes esse proprie peccatum, quos illa sessio in fine propter hoc anathematizat.

De hoc fomite dubium est an sit aliqua qualitas in anima vel in carne. Ocham in. 3. q. 2. tenet quod est qualitas corporalis inclinans appetitum sensitium ad intensiorem actum, quam sit eliciendus secundum rectam rationem. Probat, quia recipit magis, & minus, est enim intensibilis & remissibilis. Cum eo tenet Gabriel. hac. d. q. 2. & in. 3. d. 3. q. 2. Qui & dicit quod sicut ex improprietate humorum, & eorum putrefactione causatur infirmitas corpori, quæ est qualitas distincta ab humoribus, ita fomes est aliqua qualitas, siue aliquis humor causatus à causis naturalibus deserente Deo hominem propter peccatum in suis naturalibus. Imo infert Gabriel quod secundum Magistrum debeant poni duæ qualitates morbidæ. Vna in carne, alia in anima. Alij vt Thomas. 1. 2. q. 91. art. 6. tenent quod est ipsamet inclinatio, seu appetitus sensitalitatis, qui in alijs animalibus habet rationem legis, illo modo quo in eis potest dici lex, quia participant diuinam ordinationem, ex qua habent proprios motus: in quos motus homo dum relinquitur in poenam peccati, comparatur lumentis psal. 31. & 48. fit illi lex illa poenalis, sicut qui degradaretur à lege, & statu militiæ, fieret sub lege rusticorum. Non est ergo qualitas, est maior, aut minor iuxta diuersas corporis complexiones. In eadem est Ricardus hac. d. art. 4. q. 2. quod neque est qualitas neque habitus nisi extendendo nomen habitus ad omne illud quo potentia facilitatur. ¶ Ex hoc patet quomodo dicatur homo vulneratus in naturalibus, non quod aliquid sit ademptum de natura. Sed vel quia habet illam qualitatem morbidam: vel quia sicut in vulnere fit discontinuitas carnis, ita post peccatum homo habet dispersam virtutem potentiarum sine freno ad sua obiecta, & minus potest operari meritorie, & difficilius.

Proposi. 9.

Corola.

DIS.

DISTINCTIO XXXI.

De peccati originalis transfusione.

Proposi. 1.



Peccatum Adæ non transit in posteros mediante anima. Magister in litera. Probat, quia anima non est ex traduce sed creatur.

Proposi. 2.

Peccatum originale transit ab Adam in posteros mediante carne Magister in litera. Probat, quia mediante carne sumus filij Adæ & originalis iustitiæ debitores.

Proposi. 3.

Peccatum originale transiens mediante carne non est ex eo, quod caro habeat aliquam qualitatem, secundum quam causet aliam qualitatem in anima. Hanc tenet Scotus. d. 30. litera. E. vide & illum in. 3. d. 3. q. 2. Autoritates sonantes animam infici à carne, & quod maculam non transmittit propagatio sed libido, debent intelligi quod per carnem sumus filij Adæ, ita quod neque ex sola anima, neque ex sola carne est illud peccatū, sed quādo anima vnitur corpori sumus naturales filij Adæ, & constitui- mur illius iustitiæ debitores, non quia caro agat in animam. Vocatur libido, illa carentia iustitiæ causans libidinem. Peccatum ergo, ex illa carentia cum obligatione habendi, transfunditur, nō è sola propagatione, quæ in statu innocentia fuisse sine peccato. Vide Scotum hic ad argumenta. 3. q.

Propo. 4.

Peccatum originale in paruulis est voluntarium ex voluntate aliena, puta primi parentis. Hanc docet Magister. d. præcedēti ex Augustino. Dicitur aliquid voluntate aliena voluntarium dupliciter. Vno modo ex eo, quod quis suam voluntatem, & auctoritatem transfert in aliū, de regulis iuris in. 6. Qui facit per aliū perinde est ac si faciat per seipsum. Alio modo interpretatiue voluntas vnius, est voluntas alterius, quia vnus continetur in alio, sicut minus principale in magis principali: ita primus homo fuit principalis, & principium in quo omnes continebamur. Potest exemplificari in radice, & arbore. In violatione cœmeterij ex violatione ecclesiæ, quia ecclesia est principalior. De consec. ecclesiæ vel alta. li. 6. In ciuitate obligata ex cuius obligatione obligatur & ciuis, in filijs succedentibus in paterna hæreditate onerata tri-

ta tributo quia succedit in onere, qui substituitur in honore, de reguli. iuris lib. 6. fatentur doctores præcipue Scotus hac. d. litera. H. fuisse pactum inter Deum & Adam: ex parte Adæ seruandi diuina præcepta, ex parte Dei dandi iustitiam posteris, quod nemo sic intelligit quasi interuenerit scriptura, & testes, quia talis scripturæ autoritas non est: sed ex eo quod Adam tenebatur seruare diuinum mandatum & Deus disposuerat si seruasset dare talem iustitiam posteris, colligunt quasi pactum, inde enim clarius explicatur quare & quomodo illam amisimus, & originale habemus.

Contra hanc arguitur quia Adam non peccante, si alius ab eo descendens peccaret sequeretur quod eius posteri incurrerēt originale, ex voluntate peccantis quod est falsum. ¶ Potest non admitteri casus, quia nullus reprobis nasceretur, neque aliquis prædestinatus Adam stante peccaret. Vel admissio casu dico quod solus Adam recepit iustitiam formaliter pro se, & posteris ideo etiam si Cain peccaret filij Cain nascerentur sine peccato, & cum iustitia. Si autem Deus fecisset nouum pactum, vt ita dicamus, quicunque amisisset illam amitterent posteri, nascerentur posteri illius cum originali, ita respondet Scotus hac. d. in solutio. ad secundum tertiæ. quæst.

Argum.

Solutio.

DISTINCTIO XXXII.

De remissione originalis peccati.

De fide est quod in baptismo deletur & remittitur originale, ita docet Concilium Mileuit. cap. 2. Concilium Florent. de effectu baptismi, quod est remissio omnis culpæ originalis, & actualis. Concilium Lateranense habetur in. cap. firmiter de summa Trinit. & fide catho. Vienneuse habetur Clement. vnica de Trinit. & fide Catho. §. Ad hoc baptisina. Concilium Trident. sessione. 5. contra Lutherum & sequaces dicentes non deleri per baptismum omne peccatum, sed solum originale.

Proposi. 1.

Modus huius remissionis est per collationem gratiæ, per quā

Proposi. 2.

Bbb

fit

fit homo filius regni habens ius ad gloriam. Hæc probatur. De fide est quod in baptismo deletur originale, & de fide est quod baptismus confert gratiam ex opere operato, ergo de fide est quod per collationem gratiæ remittitur originale. ¶ Ex hac inferitur quod licet Deus posset remittere originale solum liberando hominem à debito habendi iustitiam, & quod maneret in solis naturalibus, nō sic remittit: neque dādo iustitiam sine gratia quod & facere potuisset. Qui tenent iustitiam, & gratiam fuisse idem, dicent quod restituitur iustitia quantum ad formale, non tamen quantum ad materiale, ut faciat tranquillitatem in virib⁹ inferioribus. Commutatur ergo debitum habendi iustitiam in debitum habendi gratiam, sicut votum peregrinandi commutatur in religionem. Vide Scotum hac. d. litera. F. & soluendo, tertium principale. Hinc est illud axioma commune theologorū, quod post peccatum Adæ non est dare medium inter filium regni, & perditionis.

Argumen. Contra hanc arguitur de ficto recipiente baptismum qui nō recipit gratiā, & tamen illi remittitur originale. Huic est duplex responsio: prima quod tali non remittitur originale, quia non recepit gratiam, secunda quod deletur originale non tamen per remissionem, sed per commutationē ita quod manet obligatio sub alia materia, scilicet ad gratiā. Has dat Gabriel hac. d. Prima placet Dominico de Soto in. 4. d. 6. q. 1. art. 7. mihi magis secunda.

Propos. 3. Deleto originali à parente, nihilominus transit in posteros, quia dimisso unicuique suo debito proprio, nō ex eo remissum est uniuersitati suum, scilicet, omni naturæ humanæ. Magister in litera præcedentis. d. cap. Ne autem, affert ex August. similitudines quomodo fieri posset quia Hebræus circumcilius generabat filium cum præputio: palea nascitur de puro grano.

Propo. 4. Animæ non sunt æquales in naturalibus secundum Magistrū hac. d. & Ricardum. art. 4. q. 1. & Parisienses: cuius contrarium habes supra. d. 3. p. 13. Bona. q. literali est cum Magistro, & d.

33. numer. 33. Caic. etiam. 1. p. q. 85. art. 7. & reputat Thomam esse cum Magistro contra multos Thomistas.

(?)

DIS.

DISTINCTIO XXXIII.

Si alia peccata parentum transeunt in posteros, si originale est vnum? & de pena eius.



Propos. 1. Lia peccata parentum nō transeunt in filios quoad culpam, bene tamen aliquando quantum ad poenā. De hac Magister in litera. & probat. 1. pars Ezechiel 18. Filius non portabit iniquitatem patris. 2. probatur. Exod. 20. Ego Dominus vindicās iniquitatē patrū in filios. 3. reg. 14. inducam malū, super domū Hieroboā, & 16. idem comminatur regi Baasa, & domui eius. Similiter in Sodomis paruuli consumpti sunt cum parentibus Genes. 19. secundi reg. 12. propter peccatum David mortuus est filius Bethsabeè.

Propos. 2. Poena æterna Gehennæ filius non punitur propter peccatū parentum. Hæc est contra Armenios dicentes ante passionem Christi omnes damnatos propter peccatum Adæ: & cum ipsi negent peccatum originale esse, debent dicere quod damnati sunt ex solo ipso peccato Adæ. Sed Paulus refert multos iustos Heb. 11. tam legis naturæ quam Moysis, & ad Galat. 6. Vnus quisque onus suum portabit & psal. 61. reddet unicuique iuxta opera sua ecclesi. 16. Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum opsecū suorum, & ibi. Correctio Domini hominem secundū opera sua iudicat. Ad idem Iob. 21. Apocalyp. 14. & 20. Iudicātū est de singulis secundū opera ipsorū. Ratio ad hanc est, quia anima nō est ex traduce, sed à Deo Ezechiel. 18. omnes animæ meæ sunt: ideo vna nō punitur pro alia. Corpus est ex parentib⁹ ideo quasi aliquid ipsorū punitur propter culpam eorum.

Propos. 3. Peccata parentum quandoque transeunt in posteros imitatione. Vnde illegitimenati ab ecclesia prohibentur ordinari, quia præsumuntur paternæ incontinentiæ imitatores. Sunt etiā filij naturaliter procliues ad excusanda peccata parentum. Quādoque ex malis patribus nascuntur sancti filij, ut Ezechias ex Achab. 4. reg. De his tribus vide Bona. hac. d. q. 1.

Propos. 4. Adā licet fecerit penitentiā de peccato suo, & ppter ea sit de numero

Bbb 2

mero

mero prædestinatorum iuxta id sapientiæ. 10. Hæc illum qui primus formatus est custodiuit & eduxit illum à delicto suo, & de Eva idem est iudicium vt patet in litera. §. si vero quaeritur, tamen non satisfecerunt pro filijs. Aliàs enim non incurrissent originale. Vide Bon. q. 2. Hoc est contra Tatianum hæreticum dicentẽ Adam & Euam fuisse damnatos.

Proposi. 5. Peccatum originale est vnum duntaxat in quolibet homine, & est æquale in omnibus, quia vna erat iustitia quam priuat, neque est carentia maior in vno quã in alio. Inde August. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 35. de Iacob & Esau. Proculdubio quantũ attinet ad originale peccatum ambo pares erant. Si dicas quod David psal. 50. dicit se cõceptum in iniquitatibus. Respondet Magister quod in vno reperiuntur multa, est enim vt dicit Ricar. artic. 2. q. 2. radix in qua virtualiter existunt ipsa peccata actualia, vel dic quod vsurpat scriptura plurale pro singulari. Exod. 32. fecerunt Deos aureos. cũ vnum solum vitulum fecissent. Defuncto solo Herode dixit angelus Matth. 2. Defuncti sunt qui quærebant animam pueri. De conclusione. Vide Alex. 2. p. q. 122. M. 9. Bona. hac. d. Thom. 1. 2. q. 82. arti. 2. & 4. Concilium Trident. sessio. 5. cano. 3. Peccatum originale vnum est, propagatione diffusum vnique proprium.

Proposi. 6. Paruuli decedentes cum solo originali, puniuntur poena damni, non autem poena sensus. Hæc est communis doctorum Scholasticorum hac. d. Alex. vbi sup. M. 10. & 4. p. q. 7. M. 2. §. 2. ad. 3. argumen. quia soluta poena mortis non erit eis alia poena sensus Thomæ. 3. p. q. 1. art. 4. ad. 2. & q. 5. de Malo. arti. 2. & 3. Aliqui vt refert Bona. tenuerunt, quod cremantur igne, tamen longe mitius, quam illi qui peccauerunt peccata actualia. Qui propter hæc opinionem vocantur tortores paruulorum. Adducunt vero pro se Augustinum. Vocatur poena damni carentia diuinæ visionis, Et quod illa visione carebunt docet cap. Maiores de baptismo, & eius effectu, quia dixit Ioã. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto nõ potest introire in regnũ Dei: & cũ nunquã habuerint gratiã in via, neq; habebunt diuinã visionẽ in patria. Poena sensus vocatur poena ignis: q; eã nõ habebunt probatur ex eodẽ cap. Maiores, vbi hæc differentia assignatur in poenis peccatorum, quod originalis, sit carentia diuinæ visionis, actualis, gehennæ

gehennæ perpetuæ cruciatus. Ratione, quia ipsi non habuerunt peccata actualia, sed vt dixit. 2. p. filius non punitur igne Gehennæ propter peccatum parentum, ergo neq; propter peccatum Adæ. Confirm. quia dato opposito Deus puniret vltra condignum, quia Adam pro suo illo peccato si fuisset damnatus nõ tot poenas reciperet solus, quot recipient paruuli omnes simul, cum sit tantus numerus decedentium cum solo originali. De tristitia si eam habebunt, dicit Scotus, quod non: idem dixerat Bonauent. q. vlt. quia si tristarentur de carentia diuinæ visionis illa tristitia esset sine patientia, & sine spe, ergo desperarent, & esset cum murmure contra Deum. Ricardus. ar. 3. q. 2. tenet quod nisi adesset diuina prouidentia excludens omnem tristitiam, quod tristarentur, neq; sufficeret vt essent contenti de statu suo scire, quod non carent visione Dei propter culpam suam. Tenentes eos igne cruciari necessario debent tenere, quod vere tristarentur. Sed qui vellet tenere, quod sine igne tristantur, nihil dicet irrationabile, fuitq; aliquorum antiquorum opinio, quam refert citatus Bona. Et licet excludamus ab eis tristitiam inflictam in ordine ad peccatum, quia esset maior poena, quam dolor corporalis, quia est poena spiritualis, & excludamus vermem, qui (vt dicit glossa super id Eccle. 7. vindicta impij vermis,) est fera scelerum poenitentia, ipsi non habuerunt scelera propria, neq; tempus poenitendi, tamen habere possunt nolle conditionatum de suo statu, & sic tristari tristitia moderata. Confir. quia non eis representabitur adeptio gloriæ simpliciter impossibilis, sed supposito peccato, ergo nolent illud peccatum fuisse, maxime cum scient se naturaliter aptos natos ad beatitudinẽ. Item ipsi natura sunt filij iræ. Ephes. 2. ego non habebunt aliquod donum supernaturale vt iustitiam quæ illorum voluntatem omnino Deo subijciat, & sic ex naturali cognitione beatitudinis, & naturali ad eam appetitu tristabuntur, quia sola consideratio rationis non tollit omnino effectum appetitus naturalis, quanuis moderari possit. Quorsum etiam diuina prouidentia excludet à filijs iræ, tristitiam causatam à causis naturalibus cum eas agere proprios motus sinat? Neq; oportet ab eis negare cognitionem naturalem, multo excellentiorem, quam possit à philosophis haberi in hac vita, imo specialem de beatitudine, vt dicit Bonauent. hac. d. quaest. vltima, quod habebunt

bebunt cognitionem gloriæ, & poenarum damnatorum. Scotus dubitat de gloria, quia requiritur supernaturalis reuelatio. Thomas. 2. 5. de malo. art. 3. negat assertiue ab eis cognitionem beatitudinis supernaturalis.

Propos. 7. Paruuli resurgent in die iudicij, & astabunt ad Christi tribunal. Probat ex. 1. Corinth. 14. Omnes quidem resurgemus, & 2. cap. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Sic cognoscent beatitudinem in speciali, quæ videbatur posse ab eis ignorari. Neq; minus ante illum diem, vel ab angelis, vel à dæmonibus scient ipsorum animas deportantibus. Cognoscēt enim se à parentibus genitos, & affectabunt scire, quid de illis factum sit, ubi sint & reuelatio supernaturalis non est necessaria pro singulis. Vide in prologo. p. 1.

Propos. 8. De loco ubi futuri sunt varia sententia est. Quidam dicunt, quòd in inferno, ita tenet Alexand. 2. p. quæst. 122. M. 10. §. 1. & quæst. 124. M. 9. sed nomine inferni intelligit limbum puero- rum. In eadem videtur Bonauent. hac. d. num. 45. Ricardus art. 3. quæst. 1. & est bona apparentia, quia non legimus in scriptura nisi duo loca post iudicium pro animabus. Aliorum opinio fuit quòd habitabunt in superficie terre. Hanc refert Ricardus. Hæc sequutus est Ambrosius Catharinus. Si posset sustineri, quòd hæc terra erit habitabilis post iudicium saltem ab illis qui in suis corporibus, nihil iam pati poterunt, cum soluerint mortem, & incinerationem debitam originali, satis esset consonum, quòd si cut Deus est trinus, ita ternam haberet familiam, & terram dederit filijs hominum psalm. 113. sed in perpetuum. At cum dubium sit an futurum sit aliquod mixtum post iudicium, fueritq; error Armeniorum, quòd paruuli fidelium post mortem irent ad paradysum terrestrem, quorum sententiam damnauit concil. Florent. nihil assero, bene præfata opinio non sentit cum Armenijs. At ubicunq; futuri sunt non credo inconueniet suo statui habere angelorum apparitiones, & propriorum parentum beatorum.

DIS-

DISTINCTIO XXXIII.

De origine peccati actualis, & de eius causa quæ est malis.



Propos. 1. Causa & origo peccati fuit res bona, puta bona natura angeli & hominis, qui per malam voluntatē operati sunt malum: quòd malum siue peccatum, quòd est priuatio boni, non est nisi in re bona, vide Magistrum in litera, & supra in. 1. d. 46. p. 5.

Propos. 2. In his oppositis bono & malo deficit regula dialecticorum dicens, duo contraria non inesse eidem, quia omnis natura in quantum natura, est bona, & quia vitiosa mala Magister in litera. Exponit Gabriel ly, deficit, id est, non se extendit, non tamen, quòd sit falsa, ubi aduerte, quòd malum pro materiali dicit rem bonā, pro formali dicit malitiam in abstracto, quæ malitia nihil est, quia non nisi priuatio boni. Est enim malum terminus concretus, vide Bonauent. hac. d. q. vltim. Ex hac sententia Magistri videtur, quòd bonum & malum opponuntur contrarie, vide in lib. 1. d. 8. p. 4.

Propos. 3. Quando dixit Isaias cap. 5. ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum intelligitur de ipsis rebus, quibus homo est malus, vt adulterium, qui dixerit bonum, aut naturam bonam, qui dixerit malam, vt fecere Manichæi dicentes creaturas esse malas, hi sunt qui incurrunt in prophetæ maledictionem, vide in litera. Et Alex. 2. p. q. 100. de malo.

DISTINCTIO XXXV.

De actuali peccato quid sit: quòd bonum priuat: & de poena, an sit priuatio boni.



Propos. 1. Riplez definitio peccati datur à Magistro in litera. Prima Augustini lib. cōtra Faustum. Peccatū est omne dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Vbi annotat Bonauent. in quæstione literalis, quòd

quòd vltimum membrum, scilicet, concupitum, est intelligendum cum præcisione, quia scilicet, solum sufficit ad peccatum, alia sine concupito non sufficiunt. Est sensus, omne peccatum, aut est dictum & concupitum, aut factum & concupitum, aut concupitum solum. Secundo dicit, quòd sub concupito cadit peccatum omissionis, quia omisio habet ortum ex aliquo amore boni mutabilis, vt qui omittit surgere ad matutinas, quia amat somnum. Hæc sententia Bona. intelligenda est includendo sub omissione causam, vel occasionem omittendi, quæ vt in plurimum semper interuenit. Sine contradictione tamen peccatum è sola posset omissione esse, quia omisio vt nomen sonat est, non exire in actum, cuius habetur dominium, hæc de per se non consistit in aliquo actu præsentis. Aliæ præcedentes occasiones si non includantur in omissione pertinebunt ad alia peccata actualia commissionis, verbi gratia, qui de nocte multum vigilat, vnde non surgit ad matutinas, ille actus, siue occasio non pertinet ad aliud peccatum commissionis, ergo pertinet ad omissionem. Neq; est simile de iustitia cuius sunt duæ partes declinare à malo, & facere bonum, & requiritur vtrumq;, sed in peccato sufficit vnus defectus, quia bonum est ex integra causa, malum ex singulis defectibus, vide de omissione, & negligentia Alex. 2. p. q. 130. & 131. Thom. 1. 2. q. 71. art. 5. & 6. Si dicas. Quando aliquis omittit? Respondet Alexand. quòd quando applicat se ad actum illicitum impossibilem cum illo actu ad quem tenetur. Si petas, quæ poena debetur omissioni? Respondet idem, quòd poena sensus Matth. 7. omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. ps. 124. Declinantes autem idest, omittentes adducet dominus in obligationes cum operantibus iniquitatem, vbi nota eandem poenam sensus, & eundem reatum siue mortalem siue venialem, vt esse solet in peccato commissionis. Secunda definitio peccati est eiusdem Augustini de duabus animabus. Peccatum est voluntas consequendi quod iustitia vetat. Tertia est Ambrosij in lib. de paradiso. Peccatum est legis diuinæ præuaricatio, & coelestium inobedientia mandatorum. Exponit Bona. hac. d. nu. 4. legis diuinæ tam naturalis, quàm scriptæ, quam gratiæ.

Argum.

¶ Contra prædicta videtur, quòd aliquis potest vere omittit, & non

& non peccare, verbi gratia, vt qui vigilauit ex causa pia & necessaria, vnde non potest surgere, quando tenetur. Item qui fessus non audiuit signum vt surgeret. Ad hoc dico, quòd omisio in præsentis sonat culpam, non tamen omnis omittens est in culpa, quia licite omitto ad quæ non teneor, vnde qui tenetur surgere, & non potest, non est dominus sui actus, propterea non omittit. Qui non tenetur dimittere actum impossibilem, vel quia est maioris obligationis, vel pietatis excusantis, etiam non omittit, vt de omissionis peccato loquimur.

Solutio.

¶ Peccatum diuiditur in peccatum cogitationis vel cordis: oris, & operis. Nullum tamen sine voluntate est peccatum. Cæterum omnes actus tam interiores, quam exteriores in quantum actus sunt, sunt boni: in quantum vitiosi, sunt peccata. Hoc est pro materiali, seu substrato sunt boni, pro formali sunt mali, vide in litera.

Propos. 2.

¶ Omne peccatum est priuatio boni, quòd bonum neq; est gratia, neq; essentia animæ. Quòd non sit gratia probatur, quia aliàs secundum peccatum cum non priuet gratiam non foret peccatum. Quòd neq; essentia animæ, probatur quia plura peccata possent destruere totam essentiam animæ, cum finitum per ablationem finitum tandem finiatur. Secundo, quia natura animæ sicut à solo Deo est creabilis, ita ab ipso solo destruibilis, ideo respectu agentis creati dicitur incorruptibilis. Neq; illud bonum est habitus acquisitus, quia habitus acquisitus in anima intellectiua non corrumpitur per solum vnum actum contrarium, sed per plures aut si per vnum debebat esse tam intensus quatum erat habitus, vel destruitur per cessationem ab actu: sed solo vno actu peccati mortalis, aut vna omissione mortali dicitur quis vere peccator, ergo bonum, quòd priuat non est habitus acquisitus. Annotat vero Magister in hac. dist. quòd quia peccatum est priuatio, & priuatio negatio dicitur peccatum esse nihil in. 3. d. 37. dat aliam rationem, quia separat à Deo, qui vere est.

Propos. 3.

¶ Si contra dicas, quòd peccatum vulnerat in naturalibus, ergo destruit essentiam animæ, vide Magistrum in litera, & sup. d. 30. in fine. ¶ Quolibet etiam peccato reddimur magis inhabiles ad bonum, & generatur aut intenditur in nobis habitus vitiosus.

Argum.

Solutio.

Ccc

Bonum

Propos. 4. Bonum quod peccatum priuat est reſtitudo moralis quæ de-
bebat in eſſe actui ſecundo elicitio. Probat Scotus hac d. litera. B.
quia voluntas creata debet conformare ſe in volendo diuinis
præceptis, ſed quando peccat diſcordat à regula, & caret in actu
iuſtitia debita, ergo peccatum illam reſtitutionem priuat. Note-
tur hæc probatio Scoti dicentis, quòd hæc eſt iuſtitia quæ debe-
ret in eſſe actui ſecundum diuinum præceptum, quia ceſſant mul-
ta argumenta contra ipſum, vt odium Dei eſt peccatum & non
priuat reſtitutionem moralem quæ debuit in eſſe illi actui, quia il-
le actus non erat bene circumſtationabilis. Dico quòd arg. habet
apparentiam tenendo, quòd illa reſtitudo quæ priuatur debebat
in eſſe ipſi actui ſecundum reſtam rationem, ſed dicendo quòd re-
ſtitudo debuit eſſe iuxta diuinum præceptum ceſſat arg. quia ta-
lis actus priuat illam reſtitutionem cui ſe debuit voluntas confor-
mare, aut non difformare. Loquimur enim modo de peccato
Theologice vt auertit à Deo. Antiqui doctores eandem concluſ.
tenebant vt Thomas. 1. 2. q. 18. ar. 1. & q. 71. ar. 6. & 72. ar. 1. Ma-
xime ad ſecundum Gabriel. hac d. conclu. 6. glosſat ſecundum
Ocham hanc propoſitionem, quòd illa priuatio reſtitutionis, nō
eſt reſtitutionis quæ debuit in eſſe actui, ſed quæ debuit in eſſe vo-
luntati. Et quanuis hoc verum ſit, quòd omne peccatum priuet
reſtitutionem voluntatis, tamen poteſt ſine tali glosſa intelligi pro-
poſitio communis. Quia talis reſtitudo conſiſtet in hoc, quod ſi
operemur actum, operemur conformiter ad reſtam rationem
aut ſaltem non difformiter. Et ita includitur peccatum tam
commiſſionis, quam omiſſionis, quia in omiſſione tenemur ope-
rari & non operamur, & ſic priuatur reſtitudo debita ad ope-
rationem, vide de hac materia Almainum tract. 1. Moral.
cap. 13.

Propos. 5. Ex prædictis haberi poteſt quomodo peccata diſtinguantur
ſpecie, atq; vnum ſit grauius altero, quia priuationes, diſtinguan-
tur ad diſtinctionem habituum. Illa ergo reſtitudo erit melior,
quæ eſt fini immediatior: ſic maius erit odium Dei, quam occi-
ſio hominis, etiam Chriſti. Ex hoc patet quomodo peccatum
Adæ non fuit grauiſſimum, fiuntque hodie ab hominibus ma-
iora peccata, vide literam Magiſtri. d. 33. Cæteris vero paribus
maius peccatum eſt ex maiori conatu voluntatis, quia quan-
to magis

to magis conatur tanto perfectiorem actum cauſat.

Omnis pœna eſt priuatio boni, quia priuatio boni vt eſt in li-
tera capitur actiue, & ſic eſt culpa, aut paſſiue, & ſic eſt pœna. Pœ-
na vero ſecundum Scotum hac d. litera. Cc. eſt carentia boni cō-
uenientis voluntati, & volenti, vnde de ratione eius eſt, quòd ſit
contraria voluntati. Actiue voluntas eſt cauſa licet deficiens
priuationis boni, paſſiue, eſt ſubiectum carens bono ſibi con-
uenienti.

Propos. 6.

DISTINCTIO XXXVI.

*An peccatum ſit pœna alterius peccati: & in quantum pœ-
na ſit à Deo, & ſi poteſt vitari omne peccatum.*



Q Mne peccatum eſt pœna capiendopœnam, vt mo-
do diximus iuxta Scotum, quia voluntas priuans ſe
iuſtitia priuat ſe bono maximo ſibi conuenienti, vn-
de Auguſt. iuſſiſti domine, & ita eſt vt inordinatus
animus ſit pœna ſibi ipſi. Alio etiam modo pœna concomita-
tur omne peccatum, quia omne peccatum ſaltem commiſſio-
nis eſt aliquis actus, ſed vbi eſt actio, eſt paſſio ſua correlatiua.
Inde in lib Sap. 5. dicunt impij. Laſſati ſumus in via iniquitatis.
Auguſt. in ſermone de innocentibus. Nemo habet iniuſtum lu-
crum ſine iuſto damno. Concomitatur & remorſio conſcientiæ,
videatur Bonau. hac d. art. 2. quæſt. 1.

Propos. 1a

¶ Ex hac ratione actionis, & paſſionis omne meritum eſt ſimul
meritum, & paſſio ſatisfactoria.

Corol.

Prout pœna dicit ordinem ad præcedens demeritum non om-
ne peccatum eſt pœna alterius, quia primum peccatum non eſt
in pœnam alterius, quod non præceſſit.

Propos. 2a

Aliquod peccatum eſt pœna alterius peccati. Hanc docet Ma-
giſter in litera Bona. q. 1. Scotus litera. Cc. Ricard. q. 1. Ad hanc
ſunt multæ autoritates ſcripturæ Rom. 1. recēſitis multis pecca-
tis dicitur. Propterea tradidit illos Deus in reprobū ſenſum. Ter-
tij Reg. 12. Roboā populo nō acquieuit, quia cū auerſatus fuerat

Propos. 3a

dominus. 2. Paralip. 25. Noluit Amasias audire prophetam domini, quia voluntas Dei erat tradere eum in manus hostium propter Deos Edom quos adorauerat. Affert Magister id psal. 68. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & alias autoritates. Facit Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 38. & 39. dicens. Deus non nunquam deicit occultam mentis superbiam per carnis manifestam ruinam.

Propos. 4. ¶ Dubium est quomodo peccatum sit poena peccati, cum de ratione peccati sit, quod sit voluntarium, de ratione poenae, quod sit inuoluntaria. Poena etiam est à Deo, sed peccatum non est à Deo. Magister in litera dicit, quod nullum praedictum sit veritati dicendo, quod peccatum essentialiter est poena peccati, id est punitio, quae iusta est, & à Deo est. Hunc modum sequitur Bona. q. 1. explicando, quod poena dicitur duo, malum siue damnum, & ordinem ad praecedens demeritum. Primum est malum quando est peccatum neque est à Deo: ordo ad praecedens demeritum est laudabilis, & à Deo. Thomas. 1. 2. q. 87. art. 2. dicit, quod per accidens est poena peccati, quia remota gratia per peccatum, & à Deo remota, peccatum sequens ex defectu gratiae est poena peccati, sicut subtractio gratiae fuit poena prioris peccati, & à Deo. Scotus hac. d. litera. C. c. dicit quod poena capitur duobus modis vno modo pro carentia boni conuenientis vt supra. Alio modo pro aliquo positio disconuenienti naturae, vt est calor excellens. Haec secundae sunt à Deo effectiue, & positio. Aliae sunt à Deo deferente propter demeritum naturam in suo defectu, & in omnibus defectibus ad illum defectum consequentibus.

Argum. ¶ Si dicas contra, vt dicit Caietanus, quod Deus esset causa culpae deferendo, quod tamen non conceditur simpliciter, cum tamen simpliciter conceditur esse causa poenae.

Resolutio. ¶ Potest responderi, quod desertio de se non est poena, quia inuenitur in primo peccato, tamen desertio in ordine ad demeritum praecedens est poena. Exemplum de morte quae per se, & de se, esset necessitas naturae, sicut in alijs animantibus, quae tamē in ordine ad culpam est poena originalis peccati. In quantum est poena dicitur esse à Deo Ecclesi. 11. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à domino Deo sunt. Primi Reg. 2. Dominus mortificat, & viuificat. Sapientiae vero. cap. 1. dicitur, Deus

mortem

mortem non fecit, neque latatur in perditione viuorum: quia mors causata est propter peccatum: stipendia peccati mors Rom. 6. Stimulus mortis peccatum. 1. Corinth. 15. In quantum ergo mors est malum naturae non est à Deo qui fecit hominem talem, qui posset non mori, in quantum poena est à Deo. Posset sic dici. Est à Deo, tanquam à iudice ipsam infligente, sed non est à Deo tanquam ab autore. Vide Alex. 2. p. q. 121. M. 5.

Licet culpa sit ad tempus sine poena sibi debita, iuxta illud ecclesi. 5. Altissimus est patiens redditor, & psal. 85. & Ioelis. 2. Deus est patiens: non tamen semper est impunita. Nam vel punitur poenitentia voluntaria, vel in sacramentis per Christi passionem, aut in futuro.

Voluntas creata potest vitare singula, & omnia peccata mortalia, sed venialia potest vitare singula, non tamen omnia. Magister in litera. Pro prima parte citat Hieronymum dicentem. Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid à Deo esse homini praecipuum. Pro alia citat Augustinum, dicentem. Sunt quaedam necessitate facta improbanda, vbi homo vult recte facere, & non potest. Ad haec pertinent verba Pauli. Non quod volo bonum hoc ago. Rom. 7. Pro intellectu Hieronymi nota quod impossibile dicitur dupliciter, per se, & per accidens. Vide supra. d. 28. ad finem. Secundam partem definiuit Concilium Trident. sessione. 6. Canone. 23. anathematizando dicentes hominem etiam iustificatum posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei priuilegio. Vbi nota tota vita, quia per aliquod tempus potest, alioquin semper debeamus peccare, haec impossibilitas est loquendo moraliter, non logicè. Quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam sapientiae. 9. Et trahit illam ad sensibilia. Datur exemplum de vase pleno foraminibus quia potest homo singula quinque digitis obstruere, non tamen omnia. De mortalibus idem Concilium Canone. 18. Si quis dixerit Dei praecipua homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad obseruandum impossibilia anathematizabit. Potuissetque Concilium non addere iustificato, quia licet peccator perseverans in peccato non possit seruare omnia mandata quia seruando omnia exiret à peccato, quia de poenitentia est mandatum, imo neque potest singula quia praecipuum de sacra

Ccc 3

mentis

mentis recipiendis requirit gratiam. Potest tamen verè poenitere cum Dei auxilio, quod datur facienti quod in se est, & sic potest omnia seruare. Si dicas quod iustus peccans venialiter circa præcepta non seruat mandata. Dico quod venialia non sunt tanti ponderis vt propter illa debeat quis dici non seruare mandata. Facit quidem contra legem & mandatum, non tamen contra intentum legis, & finem, & caritatem, sicut facit qui peccat mortaliter.

DISTINCTIO XXXVII.

Vbi ponit Magister contrariam opinionem dicentem actus malos nulla ratione esse bonos, neque esse à Deo.

Propos. 1.



No dubitanter est tenenda opinio, quod actus in quantum actus sunt boni & à Deo. Ita tenet Bona. hac. d. q. 1. Thom. 1. 2. q. 79. art. 1. & 2. Scotus hic, & expresse in antecedenti secundi argumēti principalis, quod concedit. Ricar. art. 2. q. 1. & fuerat sententia Alex. 2. p. q. 100. M. 3. art. 6. §. 3. Nam quia actus sunt, sunt aliqua natura, & quicquid est, bonum est, quia bonitas est passio conuertibilis cum ente.

Propos. 2.

Voluntas creata nō est totalis causa & immediata suæ volitionis. Hæc late prosequitur Sco. hac. d. & videtur esse cōtra Duran. qui. d. 36. q. 1. dixit quod Deus nō est causa actionū liberi arbitrij nisi quia liberū arbitriū ab ipso, & est & conseruatur. Et infra dixit qd Deus nō est immediata causa actionis adulterij, ergo secundū hoc volūtas est immediata causa suarū actionū. In hanc sententiam debēt esse opinātes qd actus mali nullaratione sunt boni, & à Deo, quos Magister refert tā hac. d. quā. d. 34. illorū tamē opinionē Magister nō dicit esse hæreticā. Sed probatur nostra propositio, quia dato opposito, voluntas erit totalis causa meriti sicut & peccati, cū ad vtrūq; sit æqualis libertas, neq; obstat quod gratia est à Deo, quia hoc nihil aliud argueret, nisi qd est Deus causa mediata, & quia causa causæ, est causa causati, & sic idē & æqualiter in peccato, faciunt in hanc omnes autoritates scripturæ atq; conciliorū sonantes, & dicētes qd omnia sunt à Deo, maxime de operi-

operibus nostris vt. 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare, aliquid à nobis quasi ex nobis. Isaia. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis. Idcirco periculosum opinor tenere quod voluntas sit causa totalis & immediata suarū volitionū, & quod actus peccatorū in quantum actus nō sint à Deo, quia scriptura sine differentia dicit omnes effectus esse à Deo.

Actus peccati Deus est causa, & etiā voluntas creata, sed illius priuationis rectitudinis volūtas est causa, nō efficiēs, cū illa priuatio sit nihil, sed est causa deficiens, in effectu procedente ab his duabus causis, est defectus ex parte volūtatē creatæ, quia poterat dare rectitudinē actui & tenebatur dare, & nō dedit. Deus nō tenebatur dare, ideo nō imputatur ei peccatū. Vide Ochā in. 1. d. 47. Est alia respōsio Scoti hac. d. litera. T. quod Deus alio modo est causa defectiua, quia quantū est de se daret rectitudinem si voluntas creata coegisset, quia Deus quicquid dat antecedenter, daret consequenter si non esset impedimentū. Dando volūtatē liberā, dedit antecedenter opera recta quæ sunt in potestate voluntatis, & dedisset rectitudinem omni actui voluntatis.

Propos. 3.

DISTINCTIO XXXVIII.

De illis quæ ad peccatum concurrunt. s. volūtate, & fine.



Voluntas vt sit recta cognosci debet ex fine, est que finis bonæ volūtatē, caritas, & beatitudo, que est Deus. Hanc docet Magister in litera. Pro intellectu est sciendum quod volūtas capitur tripliciter. Primo pro ipsa potentia, quæ dicitur appetitus rationalis, de qua potest intelligi illud Lucæ. 2. in terra pax hominibus bonæ volūtatē, id est, volūtatē bene habituata. Secundo pro actu ipsius volūtatē qui est velle aut nolle. Thessal. 1. ca. 4. Hæc est volūtas Dei sanctificatio vestra, & id Augustini. Nil tam in potestate volūtatē quā ipsa volūtas, id est, actus Lucæ. 1. 2. seruus qui cognouit volūtatē Dñi. Tertio pro obiecto voluto. Mat. 26. Nō mea sed tua volūtas fiat. In pposito capitur p actu. Act⁹ autē volūtatē deliberate dicitur p proprie actus human⁹; cæteri licet cōueniant homini nō sunt humani

Propos. 1.

humani propriè, quia conueniunt alijs animalibus vt ambulare generare, participant vero quodammodo, libertatem. Inter circumstantias vero actuum humanorum præcipua est circumstantia finis, cuius gratia aliud est volitum. Secunda est, obiecti, quæ dicitur quid. Est autem hæc differentia quod finis in actu exteriori dicit circumstantiam, vt cum quis mœchatur, vt furetur, furtum est circumstantia fornicationis: In actu interiori expecificat actum, quia secundum diuersitatem finium specificam actus expecificatur, & ita per velle furari expecificatur actus fornicationis, vnde Arist. 5. Ethi. cap. 2. dixit quod qui lucrandi causa mœchatur magis est iniustus quam intemperans, propterea quod lucrandi causa id facit. Modo in litera Magister non sumit finem pro circumstantia, sed pro obiecto, quod est caritas, beatitudo, Deus cuius gratia alia sunt volita. Et sic, esse finem concurrat cū obiecto quia finis est obiectum actus interioris voluntatis. Vide si vis Thomam. 1. 2. q. 7. & q. 18.

Propos. 2. Omnes bonæ voluntates habent vnum finem vltimū, & principalem quauis cum eo possint habere alios fines minus principales: vt Canonicus vadit ad ecclesiam propter Deum, & vt obtineat prouentus ad vsus licitos. Vide literam Magistri & Bonarum. arti. 1. q. 3. Repugnat autem bonæ voluntati habere duos fines principales, id est, in diuersa tendentes, vt dicit Magister. Esset enim accedere ad Deum duplici corde contra doctrinam ecclesiæ. 1. cap. & in capit. 2. væ duplici corde. Osee. 10. Diuitum est cor eorum.

Propos. 3. Finis distinguitur à voluntate, Quia voluntas est qua aliquid volumus, finis vel est quod volumus, vel potius propter quod volumus. Magister in litera. cap. solet.

Propos. 4. Intentio sumitur quandoque pro fine, quandoque pro voluntate. Magister in litera. Pro cuius intellectu sciendum quod intendere est, in aliud tendere, & hoc velut in obiectum, & sic competit cuilibet potentie, secundo modo prout ducit se & tendit in terminum, & hoc modo est proprium voluntatis liberæ se mouentis, præsupposito tamen actu intellectus dirigentis. Neque tamen quæcunque volitio est intentio, sed volitio quæ ordinat aliquid in finem. In ista ordinatione est vnus actus, pro formali tendit in finem, pro materiali tendit in ea quæ sunt ad finem, & est quasi

quasi descensus à fine, ad ea, quæ sunt ad finem. Electio de qua in d. 40. primi ascendit ab his quæ sunt ad finem, quia de fine non est electio. Aliorum opinio est vt Magister refert. cap. vlti. quod alia sit volūtas finis, id est alius actus, & alius eorum quæ sunt ad finem. Scotus hac. d. nil de hoc determinauit. Sed. d. 6. huius lib. q. 2. litera. L. videtur innuisse quod sit idem actus dum ait. Appetere beatitudinem, vt per illam perfectius ametur summum bonum, non vtitur fruendis, sed fruitur, quia bonum quod concupisco mihi, ad hoc concupisco vt plus amem illud summum bonum in se. Thomas. 1. 2. q. 12. arti. 4. distinxit, quia si voluntas cōsideratur secundum quod absolute fertur in vtrunq;, & secundū se, sunt duo actus: si secundū quod fertur in id, quod est ad finem propter finē, sic est vnus & idem actus. Et sicut actus voluntatis vocatur voluntas, ita finis intentus vocatur intentio. Quandoq; sumitur intentio pro specie per quam potentia tendit in obiectū quandoq; pro ipso actu intelligēdi. Matth. 10. intentio vocatur oculus. Si oculus tuus simplex fuerit, sed metaphoricè, quia actio voluntatis præsupponit actum intellectus tanquā lumen, per quod volūtas ambulet, quia pes animæ est amor vt dicit Magister ex Augustino. cap. Solet.

DISTINCTIO XXXIX.

*Quare malitia attribuitur magis voluntati. Atque de syn-
teresi, & conscientia.*



Propos. 1. Olius volūtatibus actus est bonus, aut malus moraliter & meritorie aut demeritorie. Aliarum potentiarum dicuntur actus boni, aut mali in quantum sunt à voluntate Magister in litera. Ratio est propter libertatē voluntatis, quæ est domina suarum operationum. Aliæ potentie sunt agentia, naturalia, participantes libertatem à volūtate, ideo licet earum actus sint obiectiue mali, malitia tamē moralis prius est in voluntate.

Propos. 2. Duo ponuntur à doctoribus in parte intellectuali, quæ vocā-
tur

D d d

tur synteresis, & cōsciētia, & notificātur ex proprijs officijs. Ad synteresin pertinet instigare ad bonū, & obmurmurare malo. Vocaturq; scintilla rationis non extinguiibilis, ideo synteresis cum à verbo Græco. συντηρέω. synterèō, id est, conseruo, vel quia non extinguitur etiā in malis, vt ex Hieronymo in cap. 1. super Ezechiel. Quatuor facies vni refert Magister. Remanetq; hodie in demonibus vt habes per Alex. 2. p. q. 28. M. 1. Vocatur & naturale iudicium. De qua Basilius, epistola. 141. quæ est ad Cæsarianos iā ad finem sic ait. Simul & hoc dicendum, quod naturalem illā iudicandi vim nobis in seuit ac fecit nihil indigam doctrinæ, qui nos cōdidit Deus. Officia cōsciētiæ sunt, testificari, cū nos cognoscimus aliquid fecisse, aut non fecisse secundū id ecclesi. 7. Scit cōsciētia tua, quia crebro maledixisti alijs. Rom. 2. testimoniū reddente illis cōsciētia. Vocat eā August. testem inter nos & deū super psal. 37. Habetur. 11. q. 3. Custodi. Est & eius officium ligare, seu obligare, quæ pro eodem accipio, dum iudicamus aliquid faciendum, aut non faciendum, accusare vel remordere, excusare vel mitigare cum iudicamus aliquid bene aut male factum fuisse.

Proposi. 3. Ad quam animæ potentiam pertineant prefatæ duæ vires, & an sint ipsæmet potentia animæ, vel habitus aut actus, diuersæ doctorum sententiæ sunt. Quas duntaxat recitabo: vt enim Aristoteles ait. 1. Phys. cap. 2. Non omnia sunt soluenda. Ante opinionones oportet scire quod quāuis secundū Scoti opinionē potentia animæ identificentur cū anima, tamē habitus & actus intellectiui, & affectiui realiter distinguuntur & à potentijs & inter se. Modo Sāctus Bona. dicit quod cōsciētia est habitus intellectiuius practicus: synteresis habitus voluntatis, quo inclinatur ad bonū, & quod sicut intellectus habet quoddam naturale iudicium, dirigens in cognoscendo, ita voluntas habet quoddam naturale pondus dirigens in appetendis. Hæc videtur fuisse mens Alexandri. Nā. 2. p. q. 76. M. 1. dicit quod synteresis sonat potentiam cum habitu, & M. 2. ad vltimum dicit quod synteresis est eadem cum voluntate naturali, sed non eadem cum voluntate deliberata. & q. 77. M. 3. dicit quod est habitus pure cognitius sicut habitus huius principij. Omne totum est maius sua parte: est habitus pure motius sicut habitus virtutis: Cōsciētia vero est habitus

habitus cognitius, & inclinatus in motū sicut in prosecutione boni, & fuga mali, & sic non est sub vno habitu sed duobus: Ex cuius verbis videtur quod synteresis sit in voluntate, cōsciētia in intellectu. Nisi forte aliquis propterea quod citata. q. 76. M. 2. vocat synteresin rationē, dicere velit quod tam synteresis, quam cōsciētia dicant vtrunq; secundū Alex. & aliquid pertinēs ad intellectū, & aliquid ad voluntatem, Quā opinionē tenet Durandus. hac. d. q. 4. Addit vero idem Bona. quod cōsciētia capitur tripliciter, pro obiecto, pro habitu, & pro potētia, sed vfitatori modo pro habitu. Synteresis vfitatori nomine capitur pro potētia cum habitu, quam pro solo habitu. Diuus Thomas. 1. p. q. 79. art. 12. & 13. dicit quod synteresis est habitus intellectus practicus circa principia operabilia: sicut intellectus est habitus principiorū speculabiliū. Cōsciētia est actus huius habitus, quod patet ex ijs quæ cōsciētiæ attribuuntur. Tū etiam quia cōsciētia potest deponi. Non autē potētia: neq; habitus naturalis. Quoniā vero causæ, & effectus per inuicem nominantur, quandoque nomen cōsciētiæ attribuitur habitui naturali. Id est, synteresi, & quia cōsciētia dicitur coinquinata. Ad Titum. 1. cap. Respondet Thomas, quod inquinatio est in cōsciētia sicut cognitum in cognitione, (non autē vt in subiecto) quia, scilicet, aliquis scit se esse inquinatum. Sco. dicit quod synteresis est habitus principiorū practico-rū, cōsciētia habitus cōclusionis ab illis principijs deductæ: & vtraq; ponitur in intellectu. Sumitur habitus large pro virtute, seu qualitate perfectiua potētia, sicut lumē naturale oculorū, & intellectus, seu lumē gloriæ vocatur habitus perficiens oculos, seu intellectū Gabriel dicit quod synteresis est ipsa potētia intellectiua realiter: cōsciētia, actus, vel habitus assensiuus cōclusionis practica, & quod non sit apprehensiuus patet quia eiusdē obiecti eodem modo apprehensi possunt esse contrariæ cōsciētiæ. Ricar. ponit cōsciētiā in intellectu practico, synteresin in intellectu, si ipsa inclinatur per modū persuadentis & non necessitantis, si autē inclinatur ad bonū absolute, vel in generali per modū necessitantis, in voluntate. Quæstio est de significato nominis.

Cōsciētia recta dicitur aliquid faciendū ligat nos, & obligat iuxta modum quem dicitur, puta ad mortale, tanquam ad mortale, ad veniale tanquam ad veniale. Ad præcepta tanquam ad præcepta.

tanquam ad præcepta, ad consilia vt consilia. Est tanquam præcepto, & nuntius legis & recta quando est conformis legi. At cum sit varia sententia dicentium quod ligat sed non obligat: quia conscientia non est superior. Secundo, quia non est aliquod peculiare præceptum de conformando nos conscientia. Dico sicut supra dixi quod ligare, & obligare idem sunt: neque est quæstio nisi de nomine, quia Deus est qui nos obligat mediante dictamine conscientia, & præceptum contra quod fit, quando fit contra conscientiam non est speciale, sed est illud, penes quod fit dictamen.

Propos. 5. Conscientia erronea, scilicet, quæ non est conformis legi, si error est inuincibilis, obligat vt homo se illi conformet. Si error est crassus & vincibilis obligat conscientia vt deponatur, iuxta illud ecclesi. 17. Non demoreris in errore, quod si agatur contra conscientiam peccatur, iuxta id Rom. 14. Omne quod non est ex fide peccatum est. Glossa, id est, contra conscientiam. Quod si conscientia est de aliquo necessario ad salutem, & conscientia erronea non deponitur est homo perplexus, quia si facit contra conscientiam peccat iam enim in corde contemnit Deum: si agit secundum conscientiam peccat quia errat crasse & culpabiliter. At vero hæc perplexitas ex propria culpa est. Nam potest deponere conscientiam, & scire ad quid teneatur, & sic non esse perplexus, quia in lege Dei nemo est perplexus Ricardus in. 3. d. 16. q. 5. in vltima solutione argumetorum refert aliquos dicentes quod conscientia erronea non obligat, nisi ad hoc vt deponatur. Contra quos arguit, quia sic non esset peccatum agere contra talem conscientiam neque ex illa quis foret perplexus. Vt scias in quo magis peccat perplexus, pensa ignorantiam quantum excuset, & lex, contra quam fit quantum accuset.

DISTINCTIO XL.

De peccato actus exterioris.

Propos. 1. **L**icet omnes actus exteriores sint boni essentialiter, non sunt tamen omnes dicendi simpliciter boni Magister in litera.

Propos. 2. Licet omnes actus sint iudicandi boni, aut mali, ex

ex causa, & ex intentione finis; aliqui tamen ita sunt mali, quod nulla bona intentione possunt esse boni, vt furari. Magister in litera hanc late prosequitur. Refert aliquos dixisse, quod furari, adulterari atque similia non possunt habere bonam causam, sed semper habent malas causas licet videantur esse bonæ. Ad harum intellectum oportet recurrere ad dist. 7. de qua duplici bonitate, essentiali, generica, morali, & gratuita. Est tamen aduertendum, quod Scotus hac. d. & etiam in reportatis, vocat bonitatem genericam bonitatem naturalem, ita quod in plus est bonitas essentialis, quam naturalis seu generica neque sunt eadem, sicut potest dici de ente, quod est in plus, quam sint genera idcirco ens non est genus. Decem genera iam dicunt peculiare naturas distinctas. Ex his bonitatibus constat quomodo, & cum quo addito debeant actus dici boni.

Duas opiniones refert Magister de actibus humanis an sint indifferentes. Prima dicit omnes actus esse indifferentes, fieri autem bonos, aut malos ex intentione. Hæc nullo modo est tenenda. Secunda dicit quosdam ita esse intrinsece malos, quod nulla intentione possunt fieri boni, alios ita bonos, quod etiam si habeant malam causam non desinent esse boni: hoc secundum membrum impugnat ipse Magister, & satis apparet, quod dare eleemosynam potest deprauari ex intentione vanæ gloriæ, alios vero esse indifferentes dicit hæc secunda.

Multi actus humani siue imperati siue elicitum sunt indifferentes ad quartam bonitatem. Hanc docet Bonauent. d. sequenti ar. 1. q. 3. & Scotus eadem. d. quia valde durum est vt dicit Bonauent. quod si quis loquatur amico ex naturali affectione, pietate, aut urbanitate mereatur, vel peccet. Est in hanc Gregorius hom. 27. super euangelia dicens, quod dilectioni proximorum ex affectu cognitionis & carnis sacra eloquia non contradicunt, ergo non peccant, & subdit, quod tamen illa sublimia dilectionis premia non assequuntur, ergo neque merentur. Neque vt probe docet Scotus Deus obligauit nos vt semper mereremur vel peccaremus. Nam illud Pauli. 1. Corinthi. 10. omnia in gloriam Dei facite, & Coloss. 3. omnia facite in nomine domini nostri Iesu Christi, consilia sunt non præcepta sicut prælati & prædicatores adhortantur ad opera supererogationis, & ipse Paulus. 1. Corinthi.

12. Amulamini ait carismata meliora. Datoq; opposito conclusionis, omnia opera existentium in mortali essent peccata quod docuit Lutherus, quia in illis non merentur, & superfluum foret ipsos exhortari ad bonum, contra quod est concil. Trident. sessione. 6. canone. 7. anathematizans eos, qui dixerint omnia opera quæ præcedunt iustificationem esse peccata, & in canon. 8. anathematizat dicentes pertimorem Gehennæ peiores fieri peccatores. Quæ tamen dicenda essent si omnia opera necessario debent esse peccata aut merita. Si dicatur, actus peccatoris esse indifferentes, actus vero iustorum non. Contra quia peccator reportaret commodum de peccato suo, quia idem actus putandi eleemosynam, quando est in gratia si non referat in Deum est illi peccatum, & quando in peccato, non. Hæc nostra propositio est contra aliquos, quos refert Ricard. faciens pro illis, & pro nostra rationes & soluēs. Dicit vero ipse Ricard. quod omnes actus morales aut sunt meritorij, aut demeritorij, vel disponētes de proximo, aut à remotis ad meritū, vel demeritum. Alij distinguunt quæ actiones procedentes à voluntate deliberata absolute nō sunt indifferentes, vt locutiones procedentes ab ipsa in quantum regit potentias naturales, vt comestio, ambulatio, bene sunt indifferentes ad meritum & peccatum. Ista opinio nesciuit intelligere dictū Christi de verbo ocioso Matth. 12. ideo fecit hanc distinctionem. Intelligi ergo debet verbum ociosum, quod caret ratione iustæ necessitatis, & piæ utilitatis sicut exponit Gregorius. 37. cap. libri pastoralis, sed caret, quando debet habere, si autem non tenemur illud verbum referre in Deum, quale est verbum amabile non caret, neq; est ociosum. Has opiniones refert S. Bonau. tandem vide in concilio Constantiensi. art. Ioannis Hus. 16. damnatum qui dicebat. Quod nulla sint opera indifferentia, sed hæc sit diuisio immediata humanorum operum, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, & agat quidquam tunc agit vitiose, & si est virtuosus, & agat quidquam agit virtuose, quia sicut peccatum inficit vniuersaliter omnes actus hominis vitiosi: sic virtus viuificat omnes actus hominis virtuosi.

Diuus Thomas. 1. 2. quæst. 18. artic. 8. concedit esse aliquem actum indifferentem secundum speciem, quia obiectum non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, vt leuare festucam
ira

re ad campum. In art. 9. negat esse aliquem actum humanum in individuo indifferentem, sed procedentes ab imaginatiua, qui non sunt proprie humani, vt mouere manum, fricare barbam bene sunt indifferentes quasi existentes extra genus actuum moralium, vide eundem ibi. q. 21. art. 4. & q. 100. art. 10. & 2. 2. q. 44. art. 4. Alij vt Scotus. d. sequenti concedunt actum humanum indifferentem.

DISTINCTIO XLI.

De comparatione actionum ad personas à quibus sunt, puta ad infideles: & si omne peccatum sit voluntarium.



DE duabus opinionibus quas refert Magister circa opera infidelium illa est rationabilior, quæ tenet nō esse peccata omnia eorum opera. Hoc est quod infideles non peccant in omnibus suis operibus. Hanc tenet Alex. 2. p. q. 118. M. 3. ad. 4. argum. Bonauent. hac. d. nu. 3. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4. Probat, quia per infidelitatem non excantur circa omnia principia practica, vide supra. d. 28. p. 5. & 6. & artic. Ioannis Hus modo citatum.

¶ Contra hanc arguitur Rom. 14. Omne quod non est ex fide peccatum est. *Argum. 1.*

¶ Secundo ex Glossa ibidem dicente, quod vbi deest agnitio veritatis æternæ falsa virtus est. *Argum. 2.*

¶ Tertio ex Augustino & habetur in litera, quod fides dirigit intentionem. *Argum. 3.*

¶ Ad autoritatem Pauli: vide supra. d. 39. p. 5. Est alia expositio, quia diu infideles sine peccato esse non possunt. Concomitantur enim eorum vitam peccata: vide. d. 28. citata, vel potest intelligi omnis eorum vita peccatum vt dicit Alex. quia semper sunt in peccato, & omnia eorum opera reputantur mortua, vel omnia quæ agunt in quantum agunt ex infidelitate sunt peccata. Nam peccata non sunt connexa ita docet Magister infra. lib. 3. d. 36.

¶ Ad glossam dico, quod non dicit virtutes infidelium esse vitia, cū fateatur *Ad. 2.*

duo actus vnus circa obiectum actus furti accipiendo rem alienam, alter actus circa obiecti circumstantiã, vide eundem Thom. ibi. q. 18. art. 10. Sed si bene perpendatur videtur cõtrouersia de nomine. Ad arg. posset distingui antecedens de circumstantijs dicendo, quod illæ quæ sunt quasi obiectum, ipsum specificantes, dant bonitatem, aut malitiam & sunt quasi duo actus: aliæ verò, aut non dant bonitatem aut malitiam de per se, sed quasi de per accidēs, vel esto, quod dent, non faciunt esse duo actus, sed vnum magis intensum, vel minus intensum.

Propo. 2.

Posito æquali conatu voluntatis in actu interiori solo, sicut quando est cum actu exteriori simul, non est magis meritorius actus exterior respectu præmij substantialis cum interiori, quam actus solus interior neq; magis demeritorius. Hęc non est eadem cum præcedenti, quia in hac loquimur de intensiõne actus, qui in tra eandem speciem vnus potest esse intensior alio. Hanc vero secundam tenet Bona in hoc. 2. d. 40. nu. 24. Ricar. hac. d. ar. 1. q. 2. & d. 40. art. 1. q. 4. & idem Bona. hac. d. ar. 1. q. 2. Gabriel. hac. d. ar. 2. conclus. 2. Notanter dicitur respectu præmij substantialis, quia præmium accidētale datur propter opus exterius vt aureo la, vide in. 4. dist. 49. Dicitur cum æquali conatu voluntatis, quia sunt aliquæ actiones exteriores quæ intendunt actum voluntatis ex coniunctiõne ipsius cum appetitu sensitivo. Probaturo modo propositio ex August. in epistol. 49. ad Deo gratias quam refert Gabriel. exponendo illud Matth. 7. Qua mensura mensi fueritis: in qua voluntate benefeceritis, in ipsa libramini, & infra. Affectus voluntatis omnium factorum meritorumq; mensura est. Et lib. 1. de libero arbitrio cap. 4. Si cui non contingit facultas concubendi cum vxore aliena planum tamen sit eum cupere, & si potestas non detur sibi esse cum ea non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur. Facit in hęc quod canit Ecclesia de beato Martino, quod si animam eius gladius persecutoris nõ abstulit palmam tamen Martyrij non amisit. Et de beato Francisco õ martyr desiderio Francisce. Quantum ad confessiones, quia actus exterior potest esse reseruatus, habere annexam excommunicationem, esse scandalum, aut obligationem restitutionis, aut simile, debet talis actus exterior manifestari, vbi vero omnia cessarent sufficeret confiteri actum interiorem, verbi gratia,

gratia, quis tetigit se impudice: confitebitur sufficienter dicendo se habuisse voluntariam, & mortalem delectationem veneream: si pollueretur, teneretur id explicare ob prædictas causas. Aduertendum etiam, quod licet actus interior voluntatis sufficiat se solo ad peccandum, quia malum est ex singulis defectibus, ad meritum non sufficit si opus haberi potest, quia tunc velle est inefficax sine opere. Euentus sequens opus si est de ratione intrinseca ipsius operis, aut fuit præcogitatus & acceptatus à voluntate faciet ad meritum, aut peccatum, si non est de ratione intrinseca operis neque fuit præcogitatus, & acceptatus non faciet ad meritum, & peccatum, vide supra. d. 22. de ignorantia. p. 9.

¶ Ex hoc, quod ponimus maiorem intensiõnem in actibus ex conatu voluntatis: atq; ex eo, quod habitus concurret ad actum, & cæteris paribus actus procedens à maiori habitu caritatis, & gratiæ est perfectior & magis meritorius, habetur quomodo nõ sit tota bonitas actuum ex obiecto quanuis det obiectum actui bonitatem specificam, hoc est clarius, & facilius quam oppositũ de quo modo in solutio. 2. esto quæstio videatur de nomine.

Corol.

Transeunte actu peccati quandiu peccator non poenitet manet in eo reatus ad poenam, si fuit mortale, æternam, si veniale temporalem, neque quandiu manet in reatu manet in actu peccandi. Magister in litera. Scotus in. 4. exponit. d. 14. q. 1. art. 1. quod reatus est obligatio ad poenam, & nihil reale ponit in peccatore sed duntaxat est relatio rationis, in quantum ipse est obiectum diuini intellectus, vel voluntatis diuinæ ordinantis illum ad poenam correspondentem. Dicitur macula, quia discõuenit animæ, Dicitur offensa in quantum respicit diuinam voluntatem volentem punire. Actus vero ipse transit, quia non quis semper furatur, aut fornicatur. Aliter alij loquuntur de macula, & de reatu, quod macula sit priuatio gratiæ, quæ est nitor, & lux animæ, neque sufficit carentia gratiæ, quia si sufficeret non esset plus maculatus homo per plura peccata, quam per vnum, quia nec priuatio recipit magis & minus, ideo ponitur, quod remanere in reatu fundatur super priuationem, & carentiam gratiæ ratione auersionis à Deo, & conuersionis ad creaturam. Dicuntur peccata auersiones, vt dicitur

Propo. 3.

Hier-

Hieremia. 3. Sanabo auersiones vestras & 14. Multæ sunt auersiones nostræ: & Luca. 15. filius prodigus profectus est à patre in regionem longinquam. Et sic ratione plurium actuum in quibus auertitur à Deo & conuertitur ad creaturam multiplicantur reatus, & maculæ atq; offensæ, sicut qui tangit plures res sordidas plus sordidatur. Hæc videtur mens Bona. q. literali huius nu. 2. vide & Thom. 1. 2. q. 86.

DE PECCATORVM DISTINCTIONE.

Proposi. 4.

Peccata varie distinguuntur. Ponit Magister in litera varias distinctiones, & plures Bonauent. in quaestione literali. Quia vna est ex vitijs ex quibus peccata oriuntur vocantur septem vitia capitalia, idest, principalia. Non quod omnia septem sint mortalia sicut aliqui sumunt non probe intelligentes, quia aliquod illorum non est de genere suo mortale sed veniale, est tamen capitale, quia caput aliorum vitiorum, verbi gratia. Auaritia prout est inordinatus appetitus pecuniæ, & opponitur liberalitati non est nisi veniale, nisi admisceatur aliquid iniustitiæ faciens illud mortale. Gula quæ est inordinatus appetitus, seu delectatio inordinata cibi, non est nisi venialis, nisi ibi ponatur vltimus finis, aut interueniat transgressio diuini mandati.

Proposi. 5.

Peccata non sunt paria. Hæc est contra Stoicos, quos Cicero defendit in paradoxis, & est contra Iouinianum. Patet quia alia sunt mortalia alia venialia, atque in ipsismet alia sunt grauiora. Nam Matth. 5. posuit Christus inæqualitatem. Qui irascitur fratri reus erit iudicio, qui dixerit Racha reus concilio, qui dixerit fatue reus Gehennæ, & 10. cap. Tolerabilius erit terræ Sodomorum, quam ciuitati non recipienti Apostolos. Ioann. 19. dixit Pilato, qui tradidit me tibi maius peccatum habet. Deuteron. 25. iuxta mensuram delicti erit plagarum modus, ergo neque sunt paria neque pares habent poenas. Stoici fundabant se in priuatione in qua non est magis neque minus. Et quanuis hoc verum sit in priuatione, quæ est pura priuatio, vt mors, tenebræ. Sunt tamen aliæ priuationes retinentes aliquid de habitu, vt ægrotudo, quæ sic priuat

priuat sanitatem, quod aliquid remanet de proportione humorum, & ista suscipiant magis & minus: ita in peccatis licet recedatur à recta ratione non tamen totaliter ordo rationis tollitur, hoc facit ad opinionem Bon. citatâ modo. p. 3. & quod dictum fuit sup. d. 30. p. vlti. de vulneratione naturalium, quia cum peccatum dicatur macula metaphorice, sicut in corporalibus manus limpida maculatur ex contactu rei immundæ, quanto pluribus rebus mundi cōtrarijs Deo sese homo immiscet plus foedatur, plus egrotat, plus vulneratur, plus redditur inhabilis ad bene operandum, licet priuatio gratiæ habitualis sit æqualis in quolibet mortali: vnde Alex. 2. p. q. 127. M. 4. distinxit de mortali quod bene vnum est maius altero, sed non magis mortale vnum quam alterum, quia vtrunq; priuat vitam gratiæ. Vide Thom. 1. 2. q. 73. art. 2. & q. 105. art. 2. ad. 9. argumentum Ricar. hac. d. art. 4. q. 2. vide & hanc quintam in litera Magistri. lib. 3. d. 36.

Inter mortale & veniale est latissima differentia. Hæc est de fi
de contra Ioannem Caluinum. Vide fratrem Andream vegam lib. 14. super Decretum. Et sciendum quod mortale dicitur per quod moritur anima spiritualiter, viuit enim per gratiam, per quam inhabitatur à Deo: veniale dicitur tripliciter. Primo modo ab euentu, quia scilicet iam est consecutum veniam, hoc modo mortale dimissum est veniale, & antequam remittatur dicitur ab euentu veniale, idest, remissibile, hoc modo intelligitur Magister. d. 22. quando dixit quod Adam putauit peccatum suum fore veniale id est remissibile. Secundo vocatur veniale ex causa, quia minuit malitiam vt peccata ex ignorantia, & infirmitate. Tertio ex natura & ex propria ratione quia est tam leue quod non facit hominem Deo inimicum. De isto est modo sermo noster. Quod quidem est in duplici differentia, vnum veniale ex genere suo, vt verbum ociosum risus leuis differentes à mortali homicidio, & adulterio ex obiecto. Aliud ex imperfectione operis, vel quia materia est leuis vt leue furtum, quod furtum ex obiecto non differt specie à magno & mortali furto, vel ex indeliberatione voluntatis, vt motus subiti. Vide Bona. in hoc. 2. d. 21. art. 3. q. 1. Probatur modo propositio ex illo Iacobi. 1. vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum cum consummatum

Proposi. 6.

fuert generat mortem ergo distinxit de generante mortem, & de non generante. Paulus Rom. 1. docet multa esse peccata propter quæ homines digni sunt morte. 1. Corint. 6. dicit, de multis propter quæ homines regnum Dei non possidebunt, idem dicit Gal. 6. Venialia. 1. Corint. 3. comparat ligno, foeno, & stipulæ, & dicit quod ardebunt, ipse tamen saluus erit sic tamen quasi per ignem. Ipse Dominus in euangelio Matth. 7. Vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides. Vbi ait Hieronymus de his loquitur, qui cum mortali crimine detineantur, minora peccata fratribus non cedunt. Concilium Trident. sessione. 6. cap. 1. 1. facit differentiam inter mortalia & venialia dicens iustos in venialia & quotidiana peccata sine hoc quod definat esse iusti quandoq; cadere & sessione. 14. cap. 5. & Canone. 7. docet mortalia esse confitenda de necessitate, venialia non, sed tantum ex voluntate Bona. hac. d. num. 47. dicit quod per venialia nõ offenditur, Deus: sed minus amatur. Si dicas ergo veniale non est peccatum, quia neque offensa: dico quod simpliciter est peccatum. 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, comparatiue ad mortale dicit Bona. quod nõ offendit Deum, quia non contemnit Deum faciendo videlicet cõtra finem legis, qui est caritas Dei, sui, & proximi, dicente Paulo Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio & 1. ad Timoth. 1. finis præcepti caritas.

Proposi. 7. Ad discernendum venialia à mortalibus habemus doceri per scripturam sacram, vt quando comminatur mortem. Quando dicit quod reddet homo rationem vt de verbo ocioso, illud est veniale. Secundo è sacris doctoribus dicentibus esse mortalia, seu venialia. Tertio ex lumine naturali dictate quæ maxime lædant caritatem Dei, & proximi. Vnde Ricardus de sancto Victore Tracta. de differentia mortalis, & venialis ait. Quod non potest committi sine graui contemptu Dei, aut sine graui corruptione sui, aut graui læsione proximi est mortale, cætera omnia iudico venialia. ¶ Ex his infertur quomodo insufficienter distinguit Tho. 1. 2. q. 88. art. 1. & 5. per hoc quod mortale sit circa finem veniale circa ea quæ sunt ad finem, quia circa finem est motus surreptitius infidelitatis qui est venialis. Similiter & Scotus in hoc. 2. d. 21. quod mortalia sunt circa præcepta, venialia circa cõsilia, quia circa

Coel.

Circa præcepta cõtingit peccare venialiter. Pelus distinxit Wicleph. Vide in. 1. d. 40. p. 5. Nã Thomas & Sco. possunt defendi pie, suosq; habet sequaces.

Licet Deus potuisset prohibere sub mortali ea quæ sunt venialia vt esum ligni primis parentibus, qui de se non erat peccatum vide Scotum in hoc. 2. d. 21. q. 2. litera. D. tamen ex quo non prohibuit, venialia ex natura sua sunt digna poena tẽporali & nõ æterna. Ita tenet Scotus in. 4. d. 21. q. 1. litera. D. videtur ad eam esse Thomas. 1. 2. q. 87. art. 3. & 5. dum ait quod mortalia quantũ est de se inducunt reatũ æternæ poenæ, ergo à contrario non inducitur de se per venialia. Almainus tract. 3. Moral. cap. 20. tenes cum Gersone, quod omnia peccata ex natura sua sunt mortalia, videtur velle in hanc adducere Thomam, quia dixit art. 5. quod veniale adiunctum mortali in inferno punitur poena æterna, ergo quantum est ex natura actus est mortale. Sed contra hoc est, quod solo lumine naturali iuxta mensuram delicti erit plagarũ modus. Deut. 25. & Apocalyp. 18. sed mortalia excedunt impropotionabiliter, quia omnia venialia non æquant in malitia vnũ mortale, per quod amittitur gratia, & gloria, quæ per omnia venialia simul non amittitur. Item prius est peccare venialiter aut mortaliter quam mereri poenam, ergo ex natura sua distinguuntur & non ex reatu seu obligatione ad poenam. Quæ obligatio non est de intentione operantis vt fuit actus peccati. Autoritates sonantes venialia non imputari ad poenam æternam ex misericordia Dei, debent intelligi, quod ipsius misericordia factum est quod non obligemur ad illos actus, tanquam ad mortales.

Proposi. 8.

DISTINCTIO XLIII.

De peccato in spiritum Sanctum.



Nuenimus in euangelio quoddam peccati genus, quod vocatur in spiritũ Sanctũ de quo dixit Christus Mat. 12. Marci. 3. Lucæ. 12. quod non remittitur neq; in hoc sæculo, neque in futuro.

Proposi. 1.

De hoc peccato quid sit variæ sententiæ sunt doctorũ. Quidã dicunt

Proposi. 2.

dicunt esse desperationem, & obstinationem: sed diuiduntur, quia aliqui omnem desperationem, & obstinationem vocant peccatum in spiritum sanctum. Alij non quamcunque, sed illam quam comitatur impoenitentia Magister in litera. Et in hac secunda est Scotus dicens quod est finalis impoenitentia non qua quis decedit sine poenitentia, sed quia habet propositum nunquam poenitendi, oriturque ex desperatione, & procedit ex malitia quae opponitur bonitati, quae attribuitur spiritui Sancto, sic peccauere Cain, Iudas, Achitophel, non ex ignorantia, aut passione. Alia opinio dicit quod peccatum quodcunque commissum ex malitia, hoc est ex certa electione & de industria est peccatum in spiritum sanctum: & sic concurrunt tria, scilicet, genus peccati mortalis, certa malitia, mentis pertinacia. Hac videtur mens Thomae. 2. 2. q. 14. arti. 1. Alij magis explicando dicunt quod est quando perse impugnatur gratia spiritus Sancti in qua fit remissio peccatorum, idcirco ponuntur sex species huius peccati: Praesumptio, Desperatio, Obstinatio, Impoenitentia, Impugnatio veritatis agnitae, inuidia fraternae gratiae. Quoniam haec vel opponuntur diuinae bonitati quae appropriatur spiritui Sancto, vel sunt contraria principio seu dispositioni iustificationis. Nam non possumus auerti, & offendere unam personam, quin auertamur ab alia saltem virtualiter. Vide in. d. p. 1. de fructione. Ideo senex qui seipsum excitat ex malitia ad fornicationem non peccat in spiritum Sanctum, quia non de perse impugnatur gratia remissionis peccatorum. Vide Alex. 2. p. q. 172. & Bona. hac. d. q. 1.

Alia opinio dicit quod hoc peccatum fuit illa blasphemia qua opera miraculosa diuina virtute facta demoni tribuebantur. Hac refert Magister. cap. vlti. ex Ambrosio. Refert eadem Thomas, estque Athanasij Hilarij Hieronymi & Chrysost. De Scholasticis declinat in eam Durandus hac. d. q. 1. & Vega lib. 13. super Decreto cap. 9. & in hac acceptione, non diuiditur in illas sex species neque capitur spiritus sanctus personaliter sed essentialiter, pro ut conuenit tribus personis, quia blasphemauerant de Christo homine vocando voracem. Quando praedictam sententiam protulit dicit Marcus, quoniam dicebant spiritum immundum habet & Matth. 12. quod dicebant in Beelzebub eicit daemonia, ergo de praedicta blasphemia loquebatur distinguendo a blasphemia Christi

Christi hominis. Et forte ut talis blasphemia sit de qua Christus loquebatur requiritur animus scienter obduratus & tanta malitia, ut sit irremissibilis, quantum nos scire non possumus. Nam Paulus blasphemus fuit sed consecutus misericordiam, quia ignorans fecit. 1. Timoth. 1. quod ideo adiunxit ne putaretur peccasse in spiritum sanctum remissibiliter contra Christi sententiam. Basilius epist. 72. ad Euaisenos sumpsit peccatum in spiritum Sanctum personaliter, puta male sentiendo de persona spiritus Sancti, separando a patre & filio, dicendoque esse creaturam.

Hoc peccatum dicitur irremissibile ex triplici causa. *Proposi. 3.* Primo quia opponitur principio remissionis, qualiter alia peccata non opponuntur non tamen quia non possit remitti, hanc dat Scotus. Secundo quia difficulter remittitur & vix, & raro. Hanc refert Magister in litera. Atque in hunc sensum Arist. 5. Metaph. capit. 12. vocat impassibilia, quae vix & parum patiuntur. Tertio quia nunquam de facto remittitur, quamuis de lege posset remitti. Sicut Antichristus potest saluari, tamen de facto nunquam saluabitur. Et haec videtur probabilior: ex finali impoenitentia annexa quia in hoc Christus hoc peccatum a caeteris distinxit & expressius apud Marcum. 3. Qui blasphemauerit in spiritum Sanctum non habet remissionem in aeternum, sed quod remittitur aliquando non est aeternum.

De peccato ad mortem, de quo Ioannes in. 1. Canonica cap. 5. ait. Non pro illo dico ut roget quis, varie loquuntur doctores quid sit. Magister in litera dicit, quod est peccatum mortale in quo quis moritur, quia ante mortem de nullo est desperandum. Vide in. 6. Est etiam. Alia inter multas expositio est, quod quia Ioannes praemiserauimus orandum cum fiducia quod exaudiemur, distinxit de peccantibus, quia exaudiemur pro peccante non ad mortem sed pro inueterato, & obstinato, dicit. Non dico, id est, non praecipio, quia dicere in scriptura significat praecipium, Matt. 5. Dico vobis non iurare omnino: aut esto dicat consilium iuxta id. 1. Corinth. 7. Dico non nuptis, sed viduis. Dico ego non dominus. Non praecipit ergo Ioannes, imo neque consulit quod pro talibus oretur, quia merito pro talibus inueteratis, qui secundum humanam prudentiam desperatur conuertendi, diffidimus: & cum tali diffidentia non est orandum. Idcirco ecclesia pro infidelibus

fidelibus, & perfidis Iudæis non orat nisi in die parasceues ostensa viscera pietatis maternæ. Sic ubi vero iam aliqui conuertuntur, aut fides incipit propagari orandum est iuxta id Pauli Coloss. 4. orantes pro nobis ut Deus aperiat nobis ostium sermonis. Idem est de aliquo particulari vsurario, concubinario. Quia nemo potest alteri mereri primam gratiam, sed bonum motum quo disponatur, idcirco ubi tanta est obstinatio, quod merita nostra diffidimus valitura, potius videmur presumere, quam sperare ut oremus cum confidentia. Nam oratio cum hæsitacione, & diffidentia non est exaudibilis Iacobi. 1. cap.

DISTINCTIO XLIII.

De potentia peccandi: & præsidendi, si est à Deo: & quare illi sit obediendum.

Propos. 1.



Potentia peccandi est à Deo, non à diabolo neque ab homine Magister in litera. Intellige per potentiam, voluntatem, & ordinem quem habet ad actum. Nam de deformitate quia nihil est habes supra. d. 35. quod non est à Deo, hoc est, abusus libertatis voluntatis. Anselmi auctoritatem quod posse peccare non est libertas neque pars libertatis, vide supra. d. 25. Scotus dicit hac. d. quod libertas est perfectio simpliciter, & conuenit Deo, & secundum hoc non conuenit illi posse peccare, sed quia in nobis est cum limitatione ratione huius conuenit libertati posse peccare. Vide & Alexan. 1. p. q. 22. M. 2.

Propos. 2.

Essentia potestatis est à Deo simpliciter & absolute, quia Deo voluntate beneplaciti vult esse in ecclesia, imo & in qualibet republica præsentia. Hæc probat Magister in litera ex Paulo Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo & habentes potestatem vocat ministros Dei. 1. Petri. 2. dicuntur reges & duces à Deo missi, in vindictam malefactorum laudem vero bonorum Prouer. 8. dixit sapientia. Per me reges regnant.

Propos. 3.

In statu innocentie fuisset potestas præsentie secundum imperium

perium politicum, id est, ciuile, & liberum. Nam pater præficeret filio, vir uxori, dirigendo eos in propriam ipsorum vtilitatem, quia tunc vnus homo esset superior alio in scientia & bonitate. Secundum imperium despoticum, quod est domini ad seruum non fuisset ibi præsentia, quia seruitus est cum tristitia, & talis dominatio in propriam domini vtilitatem. Caritas vero illius status nullo modo pateretur illos quærere quæ sua essent. Videatur Alex. 2. p. q. 99. M. 1. & 1. p. q. 22. M. 3. Bonau. & Ricar. hac. d. Thom. 1. p. q. 96. art. 3. & 4.

Abusus qui est in acquirenda potestate, & in modo vtendi illa est à Deo non simpliciter sed permissiue, quia Deus non vult prohibere. Vide in. 1. d. 45. sic regnavit Saul de quo dominus Osee. 13. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea, & in. 8. loquens de Hieroboam & successoribus. Ipsi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt & non cognoui. Iob. 34. Regnare facit hypocritam propter peccata populi. Eclesi. 10. est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Quidam dixerunt malos reges & falsos prophetas venire ex Dei iussione & non à se. Contra quos facit lib. 1. d. 46. p. 4. & Hieremias. 27. Mendacium loquuntur, quia non nisi eos, facit & cap. 14. 23. 29. eiusdem prophetæ.

Obediendum est potestati non solum propter iram, sed propter conscientiam, vt docet Paulus. Rom. 13. De potestate ecclesiastica patet Luc. 10. dicente Christo. Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit, & Paulus. 1. Thessa. 4. Scitis quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum. Qui hæc spernit non hominem spernit sed Deum, & 2. cap. 2. Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem siue per epistolam. Act. 15. Perambulabant Paulus & Syllas præcipientes custodire præcepta apostolorum, & seniorum. Per hæc conuincuntur Waldenses, Pseudoapostoli, & Lutherani qui negant obedientiam Romani Pontificis, & alij qui reiiciunt epistolas decretales pontificum, & dicunt prælatos non posse condere leges obligantes in conscientia. Vnde inter errores Wiclephi damnatos à concilio Constantiensi. 38. dicebat. Decretales epistolæ sunt apocriphæ, & seducunt à Christi fide, & clerici studetes eis sunt stulti. Beguardi, &

Fff 2

Beguardi

Beguinae damnati in clement. Ad nostrum, de hæreticis in tertio suo errore dicebant, quòd homo in statu perfectionis non tenebatur obedire alicui humano & ecclesie præcepto. Sed quia dicit Paulus Rom. 13. quod qui potestati resistunt sibi ipsis damnationem acquirunt, & quod reddenda sunt omnibus debita, cui tributum, tributum & cetera. Petrus. 1. cap. 2. Deum timete regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis Matth. 23. super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisei omnia quæcunq; dixerint vobis seruate & facite, secundum vero opera eorum nolite facere, ergo etiam malis est obediendum, unde & alius error Wiclephi reprobatur qui in art. 17. ex damnatis per concil. Constã. dicebat. Populares posse ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere. Christus enim non præcepit apostolis, quòd corrigere & punirent sedentes super cathedram, sed, quòd eis obedirent. Facit exemplum David. 1. Reg. 24. qui non est ausus corrigere Saulem in spelunca, sed tantum præscidit ei chlamydẽ, & dixit, non faciam vt mittam manum in eum, quia Christus domini est, & tamen peccauerat occidendo sacerdotes, ibi. 22. & peccabat persequendo ipsum David iniuste, quem tamen David reuerbatur. Reuerendi ergo sunt superiores, vt gratiam

consequamur & gloriam.

Amen.

Finis secundi libri.

BREVI LOQVIVM
TERTII LIBRI SENTEN.
in quo tractat Magister hominis peccan-
tis restaurationem, cui restorationi
dedit initium filij Dei in-
carnatio.

DISTINCTIO PRIMA,

De tempore incarnationis. Quare magis filius, quam pater, aut spiritus carnem assumpsit? Si quælibet diuina persona potuit incarnari? Si filius in ipsa incarnatione aliquid fecit, quod neque pater, neque Spiritus sanctus fecit.



Tempus incarnationis filij Dei vocatur à Paulo Galat. 4. & refertur in litera Magistri, plenitudo tẽporis. Huius ratio est multiplex. Prima habetur in gloss. ordin. quia spatium adimpletum est, quod præfinierat Deus, in quo lex Moysis durare debuit, sic enim ibi Paulus de legis cessatione sermonem faciebat. Secunda ratio propter impletionem promissionis, ille enim nobis est datus qui fuerat repromissus de quo Ioan. 1. plenus gratiæ & veritatis vbi gloss. ordi. Hæc autem gratia dicitur, & veritas, quia sic olim promissum est, & modo exhibitum, scilicet, vt Deus sit in homine implens eũ omni bono, & per eum suos: & interlin. 4. Galat. quia in eo plene Spiritus sancti dona dantur. Fuit enim in Christo dicente Paulo Coloss. 2. omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: de cuius plenitudine nos omnes accepimus

a

mus



mus Ioan. 1. Tertiatio propter impletionem figurarum, quæ in Christi aduentu impletæ sunt, vnde Matth. 5. dixit ipse. Non veni soluere legem, sed implere. Datur quarta à Bonauentu. & à Ricardo in. q. literali, propter plenitudinem generationis, cuius est quadruplex modus. Primus sine viro & sine muliere sed de terra vt Adam. Secundus è solo viro vt Eua. Tertius ex viro, & muliere. Quartus è sola muliere, qui in Christo fuit completus, vi de Alex. 3. p. q. 8. M. 1.

Proposi. 2. Incarnatio filij Dei fuit possibilis. Hoc est dicere, quod persona diuina potuit assumere naturam humanam: & quod vna persona sine alia. Probat, quia de esse ad posse valet consequentia, sed persona filij est incarnata sine hoc, quod persona patris, aut Spiritus sancti incarnarentur, ergo &c. antecedens est articulus fidei. Ioann. 1. Verbum caro factum est, vide Alexand. 3. p. quæst. 2.

Proposi. 3. Modus quo facta fuit incarnatio est, quod in illo instanti in quo natura humana fuisset personata à semetipsa, præuenta fuit à Verbo, vt subsistat, & personetur ab ipso Verbo. Hæc probatur, quia per incarnationem doctores Catholici nihil aliud intelligunt nisi assumptionem, vel vnionem humanæ naturæ Verbo diuino in vnitatem personæ, per quam denominationes concretivæ denominantes illam naturam competunt personæ verbi. Non enim intelligunt fieri conuersionem vnus nature in aliam, sicut dixit Eutiches, quod natura humana fuit cōuersa in diuinā. Contra quem est Athanasius in Symbolo. Pro intellectu huius oportet scire quid sit natura, quid suppositum, quid persona. De his tribus vide Alex. 3. p. q. 6. M. 2. art. 3. Natura, quod ad præsens attinet, non sumitur prout sumpsit Aristot. 2. phys. sed sumitur pro essentia cuiusq; rei. De qua rei essentia dixit Boetius. lib. de duabus naturis. Natura est vnāquanq; rem informans specifica differentia, quæ vt sic, significat essentiam, vel quod quid est, seu quidditatem speciei. At vero neque sic loquimur de essentia naturæ, sed prout natura addit supra speciem indiuiduationem, videlicet, vt est hæc, & singularis. Consideramus namque naturam hominis aut lapidis in se, atque postea, vt est huius. Suppositum vltra naturam hanc singularem actualiter existentem addit aliquid. Persona idem est quod suppositum, eo excepto, quod

quod suppositum est commune in natura substantiali: persona vero est specialis pro natura intellectuali. vide in. 1. dist. 23. 25. & 26. definitiones personæ & alia plura. De illo vero quod addunt supra naturam variæ sententiæ sunt doctorum. Quidam dicunt, quod est aliquid positium, id est, aliqua entitas positua intrinseca constitutiua suppositi. Hanc impugnat Scotus hac. d. *Caiet.* quæst. 1. & quanuis iam ab scholis sit explosa, reuocatur, & tenetur à Caiet. 3. p. q. 4. art. 2.

¶ Diuus Thom. ambigue loquitur, quia in. 3. p. quæst. 4. art. 2. in corpore articuli, & ad tertium videtur sentire, quod addit aliquid positium, quia dicit, quod oporteret personam corrumpi si præexisteret ante assumptionem, & persona diuina sua vnione impediuit ne humana natura haberet propriam personalitatem: sed si nihil adderet positium nullum impedimentum esset præstitum: neque ibi esset aliquid quod corrumperetur. Sed in responsione ad secundum dicit, quod naturæ assumptæ non deest propria personalitas propter defectum alicuius quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat: sed si diceret aliquid positium cum spectaret ad perfectionem, quia persona dicit quid perfectissimum in genere substantiæ, illud oporteret deesse. Scotus hic dicit, quod addit duplicem negationem, vide eū, & supra in. 1. Breui loquio. d. 23.

¶ Frater Andreas Vega dicebat, quod addit aliquem positium & affirmatiuum modum se habendi, ex quo modo insurgit negatio illa duplicis communicabilitatis dicta ab Scoto vt quo, & vt quod. Referebat in hoc Durand. hac. d. quæst. 1. ad quartum principale cuius hæc sunt verba. Indiuiduum solum dicit illud, quod singulare, seu vnum numero in omni genere: suppositum autem super hoc addit determinatum modum essendi, videlicet, quod sit completum in natura, & per se existens, & alteri non innitens. Concedebat pater Vega hæc per ordinem. Primum, quod persona seu suppositum addit aliquem positium modum se habendi. Secundum, quod hic modus est quædam per se subsistentia, ita quod non innititur neque communicatur alteri. Tertium, quod persona est nomen positium, & non priuatiuum contra Gabrielē hac. d. q. 1. lit. D.

in eaque obijit, quia visa est sibi probabilior. Gabriel, d. 1. q. 2. Stādo in communi opinione dicit quod verbum posset assumere accidens suppositaliter, sed non propter hoc diceretur verbum accidens, neque inhærens, neque informans, quia accidens nō dat has prædicationes supposito seu subiecto. Non enim dicitur paries accidens aut informans; imo neque diceretur album, quia albedo non denominat subiectum nisi inhæreat, sed tunc verbo non inhæreret. Do exemplum in eucharistia quia corpus Christi non dicitur album ab albedine panis. Almainus eadem. q. 2. dicit quod stricte loquendo, falsum esset dicere quod accidens suppositaliter vniret verbo, aut quod verbum suppositaret albedinem, quia albedo in se non esset suppositum: large vero, quia assumens est suppositum posset dici vniri suppositaliter. Per hoc patet de natura irrationali quod non assumeretur stricte in vnitatem personæ benè tamen large, quia assumens esset persona. Sed reuera de accidenti mihi est dubium, cum non possit inhære, neque sit à semetipso suppositabile, cuiusmodi esset illa assumptio: videtur quippe implicatio contradictionis.

Propos. 7.

In casu quod verbum assumeret plures naturas humanas dubium est an esset vnus vel plures homines. Tho. 3. p. q. 3. art. 7. ad. 2. dicit quod esset vnus homo ab vnitatem suppositi, quia secundū eum nunquam nomen impositum ab aliqua forma dicitur pluraliter nisi propter pluralitatem suppositorū. Annotat ibi Caiet. quod pluralitas suppositorum non infert pluralitatem substantiui, ideo licet sint tres personæ non tamen sunt tres dii. Ricar. hac. d. arti. 1. q. 5. quod nec esset vnus homo propter pluralitatem naturæ humanæ, neq; plures propter vnitatem suppositi. De mente Scoti variè sentiunt Scotistæ: frater Andreas Vega opinabatur esse cum Thomā, neque impugnare Thomæ conclusionem sed rationē. Afferebat eundem Scotum dicentem. d. 6. q. 1. ad. 1. quod in Christo sunt duæ voluntates, non tamen duo volentes, quia concretum non numerat sine numeratione suppositi. Leuchetus refert alias duas sententias, vnam dicentium quod secundū Scotum neq; esset vnus homo neque plures. ¶ Quod si contradicas, vnum & multa immediate diuidunt ens. Respondent quod diuidunt non in recto sed in obliquo, & sic verū est dicere, quod est vnum habens plures naturas humanas, ita quod natura hu-

mana

Argum.

Solutio.

mana est in obliquo: Alia est quod esset plures homines, scilicet tot quot naturas haberet. Hanc esse mentem Scoti tenet Leuchetus, & ego ita credo quia expresse dicit in reportatis hac. d. q. 4. Concederem quod si filius assumeret plures naturas humanas simul, quod esset vnus humanatus, sed tamen plures homines: & dicit quod terminus numeralis additus adiectiuo facit numerari substantiuum ibi intellectum, vt duo scientes, id est, duo supposita: quando additur termino substantiuo non facit numerari nisi ipsum terminum substantiuum, vt plures homines, non numerat personas, sed ly hominem. Pro hac sententia potest sic argui. Si verbum assumeret naturam angelicam cum humana simul diceretur angelus & homo, sicut modo dicitur Deus & homo, ergo assumendo & personando plures naturas humanas quarum quælibet in se fuisset vnus homo diceretur plures homines. Potest confirmari per hoc, quod apud veteres doctores homo etiam supponebat pro natura humana & dicebant verbum assumpsit hominem. Vide literam Magistri sequenti. d. capitu. vltimo. & distinct. 5. capitulo. vltimo & Alex. Hall. 3. p. quæst. 4. M. 7. dicentem tamen, quod proprie loquendo supponit pro persona: tamen improprie pro natura. Quæstio est de nomine. Thom. 3. p. quæst. 4. articulo. 3. idem dicit quod Alexan. Videlicet quod improprie dicatur assumpsit hominem, ideo sit exponenda.

Quamuis pater & spiritus Sanctus potuissent incarnari, quia nō est plus in vna persona quam in alia, decuit vero magis quod filius incarnaretur. Hanc docet Magister in litera, & Alexan. 3. p. q. 2. M. 5. Bona. hac. d. art. 2. q. 3. Ricar. arti. item. 2. q. 3. vt, scilicet idem esset filius in diuinitate & humanitate, & per filium naturalem fiamus filij adoptiui: & quia persona assumens humanitatem debuit esse mediatrix inter Deum & hominem, congrue hoc fecit filius qui est media, & secunda persona Trinitatis. Peccauit etiam homo appetendo diuinam similitudinem, & æqualitatem, quæ filio appropriatur, ergo filio competebat vindicta, & indulgentia. Vide Bernardum sermone primo aduentus afferentem illud Ionę. 1. Propter me orta est tempestas mittite me in mare. Ultra quia per vnus obedientiam eramus constituendi iusti, sicut per vnus inobedientiam fui-

b

mus

Propos. 8.

se non ex parte assumptæ naturæ, neq; ex parte personarum, sed ex modo vnionis, quæ est ad personam quia, scilicet ita vnitur vni personæ quod non alij, ita dependeat ab ista, quod non ab illa. Contraria est opinio Thomæ vbi supra & ibi Caieta. Sequuntur Nominales. Gabriel. hac. d. q. 1. arti. 3. dubio. 3. citato Oham in. 3. quæst. 1. & in quodlib. 4. quæst. 12. Almainus hac. d. quæst. 1. Petrus de Aliaco in hoc. 3. quæst. 1. sub litera. M. imo & Ioannes Bassolis Scoti discipulus hac. d. q. 4. Ratio. huius opinionis stat in hoc quod personari pluribus personis diuinis nihil aliud est quam communicare huic humanitati plures personalitates alienas infinitas appropriando illas illi per quod non ponitur vnã personam assumi in vnitatem personalem alterius. personæ, puta si modo pater assumeret humanitatem filij, nõ ideo assumeret personalitatem filij. Et addit quod persona diuina assumens terminat dependentiam naturæ assumptæ, sicut si personaretur propria personalitate intensiue, non tamen extensiue. V.g. Album vt quatuor est simile alteri albo vt quatuor intensiue, quia tota similitudo vnus terminatur ad totam similitudinẽ alterius, non tamen extensiue quia potest esse simile alteri albo vt quatuor ita personata personalitate aliena. Personalitate propria ita personatur quod intensiue, & extensiue non potest terminari ad aliam.

DISTINCTIO II.

De modo & ordine quo fili⁹ Dei assumpsit naturã humanã,

Propos. 1.



Filius Dei assumpsit totam naturã humanam, scilicet, corpus & animam, ita docet Magister in litera. Alexan. 3. p. quæst. 4. M. 4. Probatur primò per Damascenum dicentẽ lib. 3. cap. 6. Omnia assumpsit corpus & animam rationalem & intellectuam, & eorũ proprietates. Nã quod in assumptibile est, incurabile est. Secundò probatur cõtra multos, & varios hæreticos. Primo de corpore Matth. 1. liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Rom. 1. Factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Galat. 4. Misit

Misit Deus filium suum factum ex muliere. Tertio quia in scriptura sæpe Christus dicitur habuisse verum sanguinem: sed verus sanguis non est deficiente vero corpore, & vera carne, ergo Christus non habuit corpus phantasticum, vt dixerunt Manichæus & Priscillianus. Neq; illud traxit è coelo vt asseruit Valentinus. Neque formauit ex elementis, vt dixit Appelles. Alioquin neque fuisset filius Dauid, neq; factus ex muliere, neq; habuisset verum sanguinem dicente Paulo. Ephes. 2. facti estis prope in sanguine Christi, & Ioann. 1. epistola. cap. 1. sanguis Iesu Christi filij Dei emundat vos, & 2. cap. 4. omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse ex Deo non est, & hic est Antichristus. Ebion & Cherinthus negauerunt Christum esse Deum.

¶ Si dicas ex Paulo. 1. Corinth. 15. secundus homo, idest, Christus, de celo coelestis. Respondet Bona. hac. d. art. 2. q. 1. quia misus est à patre de coelo. Caro enim eius formata est secundum diuinam operationem. Hęc Bona. ita quod dicitur coelestis ex modo generationis corporalis. Vel dic secũdo, quod dicitur homo coelestis propter communicationem idiomatum, sicut dicitur Deus mortuus. Has ambas expositiones vide in gloss. ordi.

¶ Quod etiam idem Paulus dixit Philipp. 2. de Christo, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: non est dictum, quia non sit homo secundum veritatem, sed exprimitur veritas humanæ naturæ, secundum quam qui sunt eiusdem naturæ dicuntur similes. Eccle. 13. Omne animal diligit sibi simile, id est, eiusdem speciei, Genes. 1. Faciamus homini adiutorium simile sibi. Et ibidem cap. 5. Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, vocauitq; nomen eius Seth, quem constat habuisse verum corpus, & veram animam, licet dicatur factus ad similitudinem patris Adæ. Probatur modo nostra conclusio, de anima rationali. Matth. 26. dixit Christus, Tristis est anima mea vsq; ad mortem, ergo habuit veram animam rationalem. Nec valet dictum hæretici Apollinaris, quod assumpsit animam sensitiuam, non rationalem, quia tristitia proprie pertinet ad rationalia, cum sit de his, quæ nolentibus accidunt vt infra. d. 15. Nolle autem & velle cum sint voluntatis supponunt animam rationalem, quia sensitiua non proprie dicitur,

dicitur, triftari sed dolere. Secundo Lucæ. 2. Iesus proficiebat etate & sapientia: sed sine anima rationali non poterat proficere sapientia. Non ergo verbum supplebat vicem animæ rationalis, vt dixit hæreticus Eunomius referente Bona. hac. d. nu. 30. ¶ Cum Ioan. 1. dicitur. Verbum caro factum est, locutio est per synecdochen capiendo partem pro toto & sumpta est pars magis nota sicut Isaię. 40. videbit omnis caro, idest omnis homo, pariter quod os domini locutū est. Conclusio expressa est in Symbolo Athanasij. Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Propositi. 2.

Verbum diuinum simul tempore assumpsit totam naturam humanam, imo ipsa natura humana simul tempore fuit formata & verbo vnita, adeò quod non fuit corpus formatum per varias transmutationes, & postea infusa anima, vt fit in nobis. Hanc docet Magister in litera. Alex. 3. p. q. 8. M. 2. & q. 9. M. 4. Et est Damasceni lib. 3. cap. 2. dicentis. Simul caro, & Dei Verbi animata caro, rationalis & intellectiua. Ad huius intellectum sciendum in qualibet hominis generatione considerari tria. Primum est translatio materiæ ad locum conuenientem generationi. Secundum organizatio perfecta corporis per alterationem ipsius materiæ. Primum fit per verum motum localem in secundo etiam est motus quo locus minor occupatur. Tertium est, animatio corporis. In generatione Christi fuit quartum, scilicet, vnio ipsius ad verbum. De tribus certum est inter omnes, quòd facta sunt in instanti temporis, quanuis non simul natura. De primo Scotus dubitat. q. 3. huius, quia si ponatur delatio materiæ fuisse in tempore, dicit magis posse saluari Mariam fuisse cooperatam ad illos motus. In reportatis. d. 4. q. 3. & est etiã dubius, magis vero declinat in hoc, quod facta sit delatio materiæ in instanti. Ioannes de Bassolis hac. d. quæst. 4. absolute tenet, quod fuerit in instanti. Diuus Thom. 3. p. quæst. 33. art. 1. tenet, quòd in tempore, quia est contra ipsam rationem motus localis corporis cuiusque, cuius partes subintrant locum, quòd fit in instanti, & ideo non potuit esse in instanti. Alij negant in delatione sanguinum beatæ Virginis fuisse motum localem, sed mutationem subito factam à Spiritu sancto. De materia ex qua fuit corpus Christi formatum dicit Almainus hac dist. quæstio. 1. illud corpus non fuit forma-

formatum è superfluo vt è spermate, sicut cætera corpora, sed ex purissimis sanguinibus virginis. Scotus vbi supra in reporta. dicit, quòd sanguis, ex quo corpus Christi fuit formatum erat in venis beatæ virginis. Dat occasionem huic sententiæ Damasc. lib. 3. cap. 2. dicens. Filius Dei construxit sibi ipsi ex castis & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali & intellectiua, primitias nostræ consperstonis non cum semine, sed conditorio opere per Spiritum sanctum. Vbi videtur negare non solum virile, sed maternum etiam semen. Alexand. 2. p. quæst. 92. Memb. 7. dicit hanc auctoritatem Damasc. non intelligi de sanguine, qui est vnus de quatuor humoribus, sed quòd ibi sumitur sanguis pro carne. Vnde quandoque dicitur factus de carne, quandoque de sanguinibus, & quia illa portio carnis de qua factus est Christus secundum corpus vim habebat seminis, propterea conuenienter sanguis nominatur, qui est in propinquiore conformitate ad semen quam caro. Hęc Alexand. Ricard. d. 2. art. 2. q. 1. refert, quòd tenētes ministrasse sanguinem & non semen dicunt illum sanguinem fuisse subtilem & purum, quanuis aliæ matres ministrant sanguinem menstruum grossum, & impurum: ipse vero Ricardus tenet quòd materia corporis Christi fuit medium inter sanguinem, in quo perfecte manet forma sanguinis, & illud in quo est perfecte forma seminis. Nobilius tamen & purius in virgine, quam vnquam fuerit in alia muliere. Bona. d. 4. num. 33. refert quosdam dicentes beatam Virginem ministrasse semen, quòd verbum, ait, non est frequenter in ore versandum propter munditiam, & quia certitudinem nō habet ex se, neq; verbis sanctorum videtur multum consonare. Ad hoc melius intelligendum scito, quòd inter Arist. & medicos nō conuenit. Nam medici fatentur matres ministrare semen: Arist. negat, vide infra. d. 4. p. 5. ideo doctores scholastici negantes interfuisse semen sequi videntur Aristot. inter quos est Tho. 3. p. q. 31. art. 5. qui & ipsum citat Arist. Tenentes cū Galeno, & sequacibus, quòd mulieres ministrant semen, quia vt ipse Galenus ait, imo & ipsæ mulieres confitētur, semen emittunt tam in somno, quam in vigilia: vnde & interius habere testiculos dicuntur sicut viri exterius (quòd in anatomia muliebris corporis verū dicitur apparere) quibus semē expellūt in loca sua vt viri semini cōcurrat,

rat, & menstrua excoquat, & formet non habebunt pro inconuenienti dicere, quod Maria semen ministravit discindendo, sine tamen libidine vitiosa, & sine amissione virginitatis cooperante Spiritu sancto, & virtute altissimi obumbrante. Caieta. vbi supra Thomas, dicit hoc non obstare fidei. Possunt pro se afferre, quod loqui de his affert turpitudinem propter peccatum, quia in statu innocentiae fuisset honorabile connubium tori immaculati & Deo grati: & quod de beata virgine intelligatur illud Cāt. 7. Quā pulchra es & quam decora carissima in delicijs, quia vltimum in illa decisione non fuit. Ad id de sanguinibus possent dicere, vel quod propter honestatem dictum sit de sanguine menstruo licet puriori: vel quia semen est superfluum tertiae digestionis vt habes infra. d. 3. p. 1. & secundum Arist. 1. de generat. animalium cap. 19. est excrementum alimenti, eiusque vltimi & sanguinei, quia ultra modum emissum cruentum prodit. Cum sit ergo sanguineum licet postea ad loca generationis attractum ex ipsis locis albescat dixerunt doctores sanguinem ministratum, vocantes materiam nomine quod prius habet sicut virga Aaron Exod. 7. versa in colubrum adhuc vocatur virga, & dicitur deo rasse virgas magorum, quae tamen tunc erant serpentes. Quicquid igitur sit, in vltimo instanti quo virgo consensit dicens. Ecce ancilla domini, verbum in vtero caro factum est, sicut in vltima probatione verborum sacramentalium est in hostia.

Argum.

¶ Si contra hanc arguas ex dicto August. supra id, quod dixerunt Iudaei de templo Ioan. 2. quadraginta sex annis aedificatum est: quod hic numerus dominici corporis perfectioni conuenit, quia vt dicunt phisici tot diebus humani corporis forma perficitur, ergo non in vno instanti formatum fuit.

Solutio.

¶ Respondet Magister in litera sequentis dist. quod quia in ipso momento conceptionis & vnionis distinctio membrorum à Deo fuit tenuis & parua vt humano visui vix posset subijci, diebus autem quadraginta sex, perfecta facta est & notabilis, ideo ea dixerit August. Alex. 3. p. q. 9. M. 4. & Ricard. in eadem. d. 3. exponendo literam dicunt ex Augustino, quod isto modo in nobis formatur conceptio, quod primis sex diebus est ad lactis similitudinem. Nouem sequentibus conuertitur in sanguinem. Duodecim solidatur. Alijs decem & octo ad perfecta venit lineamena. Qui sunt

sunt dies. 45. Toto alio tempore vsq; ad partum creuit & augetur, fuere igitur. 45. dies in quolibet hominis conceptu, quibus alter dies additur vt videri ocalis possit: tot dies formationi corporis Christi tribuuntur, vt videri sufficienter posset sicut alia hominum corpora. ¶ Ex quibus sequitur corpus Christi domini fuisse in sua formatione minimum omnium corporum humanorum. *Corol.*

Non obstante hac secunda concedendum est, quod verbum vnuit sibi corpus per animam, & animam per spiritum. Ita docet Magister in litera, & Alex. 3. p. q. 4. M. 5. est ad hanc auctoritas Damasce. lib. 3. cap. 6. dicentis. vnitum est carni, mētis medio, Verbum Dei mediantis inter Dei puritatem, & carnis crassitiē. Est & August. cuius verba surpat Magister in litera, sumitur ibi spiritus pro superiori parte animae: Anima, pro inferiori secundum quam viuificat corpus, vt dicunt Alex. citatus & Bonauēt. hac. d. nu. 39. qui Bona. dicit, quod per hanc duo nihil aliud datur intelligi, quā illud corpus congruum esse ad vnionē, quod habet per animā viuificari, & per spiritū ad perpetuitatē & incorruptionē ordinari. Qui spiritus est eternus & separabilis à carne. Anima ergo prout operat per intellectū & volūtatē est spiritus. De medio quomodo fuerit in ista vnione docet Scotus. hac. d. q. 2. & in reportatis. q. 1. dicens, quod est duplex medium, quod, & quo. Sicut in actione est quod agit, id est, ipsum totum agens, quo agit est forma. Medium quod, est illud quod primo assumitur in se, & per assumptionem eius assumitur aliud, verbi gratia, quātitas est medium quod, inter substantiam & qualitatem, quia qualitas recipitur in substantia mediante quātitate, & ipsa quātitas recipit qualitatem. Mediū quo est ratio formalis, id est, quid dicitur recipiendi. Intellectus est mediū quo, id est, ratio formalis, qua totū intelligit. Visus est medium quo, id est, ratio formalis hominis videntis, quanuis respectu formae receptae sit materialis. Dicit ergo Scotus, quod in ista assumptione non fuit Medium quod, sed ipsa natura humana fuit primo assumpta, id est, immediate, fuit tamen mediū quo, scilicet, anima corporis, spiritus animae, id est, ratio formalis huius naturae. Sicut ipsa anima est ratio recipiendi risibilitatem, non tamen recipit risibilitatem in se, sed totum homo. Per hanc distinctionem exponit Scotus auctoritates. Longa in hac parte fit altercatio Metaphysicālis, an totum dicat aliam entitatem

entitatem distinctam à suis partibus? Scotus hic tenet partem affirmatiuam. Alij tenent negatiuam. Est & alia questio. An totum sit primo assumptum, vel partes? Hoc est si assumptio primo terminatur ad totum, vel ad partes. Scotus tenet, quod ad totum, & quia totum est assumptum partes sunt assumptæ, scilicet, anima, & corpus: ideo in morte non fuit necessaria noua assumptio, sed ex prima assumptione remansit corpus, & anima vnita Verbo. Alij dicunt, quod quia primum in intentione est vltimum in executione, primum in intentione fuit totum, & sic primo partes fuerunt assumptæ, quia domus cum fit ab artifice habet sua media que pertransit, scilicet, fundamentum, parietes, tectum, ita dicunt, quod licet fiat à Deo tota simul habet illa media. Sic in proposito quauis fuerit assumptio totius, tamẽ primo terminabatur ad partes. Ad hoc affertur mors Christi, quæ fuit quasi resolutio, & tota natura desijt ab assumptione remanente vnione ad partes, sed primum in resolutione fuit vltimum in executione, igitur licet nõ tempore tamen intellectu prior est assumptio partium via executionis, seu operationis. Assumptio totius est prior intentione & simpliciter. Ita tenet Tho. 3. p. q. 6. art. 5. ad. 1. & ibi Caieta. nititur soluere argumenta Scoti contra Thomam.

Proposi. 4.

In ista vnione gratia habitualis non fuit mediũ vt natura humana assumeretur. Hęc probatur à Scoto hac. d. q. 2. & à Thoma 3. p. q. 2. art. 10. & q. 6. ar. 7. Ioan. 1. Vidimus gloriã eius quasi vni geniti à patre plenum gratiæ & veritatis, ergo tãta gratia collata fuit illi naturæ, quia vnita fuit filio Dei, & non è conuerso, ideo vnita, quia habuit tãtam gratiam. Ratione. Gratia habitualis animæ Christi non est in illa ex vi sacramenti, neq; ex vi meriti, neq; ex immediata donatione Dei sine aliquo respectu, ergo propter istam vnionem, quia non decebat dari summam gratiam humanitati non vnitæ. Confir. quia alias nulla gratia accessisset animæ Christi per istam vnionem, neq; aliquod donum, si prius habebat summam gratiam & summa dona. Hęc videtur cõtra Alex. 3. p. q. 7. M. 2. art. 1. & q. 11. M. 1. & contra S. Bona. hac. d. nu. 44. & quanuis de Alexandro videatur maius dubium quomodo intelligat gratiam esse medium, quando quidem fatetur naturam, quæ non est gratificabilis, imo & gratificata non esse vnibilem, propter quod videtur tenere gratiam esse necessariam. Tamen

de

de

de S. Bona. non videtur, quod sic intellexerit gratiam esse mediũ congruitatis, quod voluerit gratiam prius inesse realiter & actualiter, sed quod illam naturam non assumpsisset nisi eam gratificare disposuisset, & quod congruebat, quod assumeret naturam, gratificabilem: vel quod prius natura fuit collatio gratiæ, quam vnio. In hoc attendenda sunt verba quæ dixerat num. 39. petendo si assumpsit corpus mediante anima mediũ congruitatis, dixit enim sic. Non erat congruũ, quod Dei Verbum, quod est vita, acciperet corpus nisi viuificatum, nec congruebat eum qui est spiritus immortalis vniri corpori nisi viuificato spiritu immortali, vnde illud corpus esset idoneum ad incorruptionem. A simili cogita ipsum dicere. Non congruebat, quod filius Dei qui est dilectissimus assumeret naturam nisi gratificatam & dilectã. Nam quod gratia sit causa vnionis aperte ipse Bonaventura negat. Argumenta facta possunt solui stando in hac interpretatione. Ioannis authoritas non dicit, quod prius fuit vnita humanitas quam gratificata etiam prioritate naturæ, sed quod habuit plenitudinem gratiæ, qualem decebat habere filium Dei humanatum. Neq; opus est ad collationem gratiæ, quod natura prius sit suppositum in se, vel in alio, quia sicut conseruatur gratia in anima separata sine hoc, quod sit suppositũ, ita posset infundi, & multo magis intelligi, quod prius natura infundatur gratia humanitati quã in verbo suppositaretur. Cum habere gratiam non sit operari, sed recipere, & habere se passiuè. Postquã fuit suppositata fruebatur, & operabatur, vt actio esset suppositi. Bonum est exemplum eiusdem Bona. nu. 39. De nobili muliere, quæ mediã te nobilitate habet congruentiam vt sit sponsa regis, cum illi rex vnitur, magis vnitur vt coniugi, quam vt nobili, vel pulchræ, ita gratia facit congruentem ad vnionem non tamen est causa vnionis. Ad hanc vide Ricard. hac. d. ar. 2. q. 3. pro vtraq; opinione soluentem rationes.

Gratia vnionis capitur multipliciter, vt patet per doctores. Alex. 3. p. q. 12. M. 1. Bona. hac. d. num. 48. Thom. 3. q. 6. ar. 6. & q. 7. ar. 11. & 13. & q. 2. ar. 10. Dico ergo summam, quod gratia vnionis sumitur intransitiue, id est, ipsa vnio, quia genitiuus ibi non regitur à nominatiuo ex vi transitionis. Cum vnio includat esse personale Verbi, & humanitatem, & donum

Proposi. 5

c 2

gratis

gratis datum vocetur gratia, esse personale Verbi vocatur gratia quia fuit nobis donatum gratiose in ista vnione. Vocatur gratia ista vnionis quandoq; creata & finita respectu humanitatis, quã doq; increata & infinita propter personã Verbi. Potest vocari gratia vnionis ipsa gratia habitualis collata anime Christi in hac vnione, & tunc reget genitiuus à nomine ex vi trãitionis. Alex. citatus vult non solum gratiam vnionis esse gratiam habituale creatam & finitam, sed Spiritum sanctum, qui est Christo datus non ad mensurã Ioã. 3. qui est gratia infinita & increata. Gabriel. d. 1. q. 1. litera. M. ponit secundũ vnã opinionẽ, qd gratia vnionis siue vnio, sit entitas absoluta à Deo creata in ipsa natura humana. In. d. 2. litera. D. dicit sub disunctione, vnio siue sit relatio, siue qualitas absoluta. Iã. d. 1. p. 4. dixi ex Scoto, qd dicit vnio relationẽ.

Proposi. 6.

Dubium est quã vnio sit præstantior hypostatica an beatifica, Scotus hac. d. q. 1. ad. 1. principale dicit, quod considerando prout modo est de facto hypostatica, hoc est, cum omnibus suis priuilegijs hypostatica est excellẽtiõ, quippe, quã includit aliã. Si autem consideretur vna sine alia vt in illa quẽstione tenet Scotus, quod posset esse vnio sine fruitione contra Henricum, quia cum neutra dependeat ab altera potest prior, puta hypostatica esse sine beatifica, & è conuerso: tunc citra dubium melius, hoc est, vtilius, & delectabilius est animæ per beatificam. Absolute comparando vtramq; dicit Scotus, quod nõ sunt comparabiles, quia hypostatica est ad actum primum. Beatifica ad actum secundum, & sunt alterius rationis. Sed potest dici, quod angelus & homo sunt alterius rationis, & in quãtitate perfectionis entia diuersę rationis bene sunt comparabilia. Thom. 3. p. q. 4. art. 1. ad 2. tenet, quod vnio hypostatica est maior & perfectior, quia dat esse personale & diuinum, & sunt optimæ denominationes in concreto, vt quod homo sit Deus. Et sicut notitia est melius accidens in se, quã calor, tamen igni melius est per calorẽ quã per notitiam si in igne poneretur, sic licet homini sit melius per beatificã, hypostatica in se est melior. Gabriel. d. 1. q. 2. litera. G. tenet contrariũ, & philosophatur ex parte terminorũ, quia hypostatica est secundũ rationẽ notionalẽ, terminatur quippe ad personã. Beatifica est secundũ rationẽ essentialẽ, terminatur enim ad essentialiam. Autoritates sanctorum præponentes hypostaticam, tunc

tunc erunt interpretanda, quia loquunt de ipsa cum suis priuilegijs & pro vt includit aliam.

De vinculo vnionis probabile videtur quod dẽpta vnionetriũ *Pro posi. 7.* personarum in diuina essentia, vnio hypostatica verbi ad humanitatem sit maxima. Ad hanc est Bernardus lib. 5. de Considera. ad Eugenium dicens. Inter omnia quæ recte vnum dicuntur arcem tenet vnitas Trinitatis, secundo loco illa præcellit, quã è conuerso tres substantiæ vna in Christo persona sunt, posuitque ante hoc ipse Bernar. nouem modos vnitatum. Ad hanc propositionem facit Alex. 3. p. q. 7. M. 2. arti. 3. ad. 1. argumen. distinguit enim quod magis vnum & minus vnum dicitur quantitatiue, & qualitatiue quantitatiue est magis vnum, quod pluribus modis est vnum: vel quod in pluribus est vnũ: potest intelligi quantitatiue, idest, extensiuẽ. Dat exemplũ in homine, qui magis est vnũ, quia in pluribus, scilicet natura, & supposito. Qualitatiue est magis vnum quod magis est indiuisum: potest intelligi qualitatiue idest, intensiuẽ. Dat exemplum in Christo quia magis est indiuisa vnitas diuinitatis ad humanitatem in persona, quã vnio anime & corporis & inseparabilior, quã aliqua alia vnitas: & hoc est magis vnum dictum simpliciter. Hæc Alex. Tho. 3. p. q. 2. art. 9. videtur etiam pro hac conclusione & ibi Caieta. Durandus. d. 5. q. 3. tenet quod vnio materiæ, & formæ sit maior quantum ad rationem intrinsecam vnionis, quia illa vnio est maxima cuius extrema magis atque intimius efficiunt vnum: sed materia & forma efficiunt vnum per essentiam neque potest materia separari à forma salua consistentia & natura sua, quod est signum magne intimitatis. Hoc non est in extremis incarnationis, quia neque constituunt vnã naturam, neque vnum est inseparabile ab altero. Concedit tamen quod est maior dignitate, propter nobilitatem extremorum. ¶ Sed respondetur argu. Durandi quod magnitudo, siue maioritas, & minoritas vnionis sumitur ex proportionẽ, seu habitudine quam habent inter se vnibilia: quæ habitudine vt probe dixit Scotus in hoc. 3. d. 1. q. 1. ad. 2. principale, in hac vnione, attenditur qualis actiui ad passiuum: vel actus ad potentiam, potest enim natura humana dependere & personari à persona diuina, ita vt diuina persona personando naturam humanam tam est persona humana proprie, quam proprie esset si

Solutio

personaretur à semetipsa illa natura. Cum ergo persona diuina sit simplicissima ad quam est vnio: & sit etiam persona humana, maior est vnitas, quam si ipsa humanitas in se personaretur, & magis est vnum Christus Dominus, quàm sit materia & forma, quæ non sunt simplicissimæ. Idcirco nihil ad propositum quod extrema incarnationis sint separabilia, cum id in quo duæ naturæ vniuntur, scilicet, verbo sit simplicissimū & se maxime vniēs. Maior est enim proportio in potentia obedientiali humanitatis ad verbum, quàm sit in materia respectu formæ; & maior proportio verbi ad actuandam creaturam faciendo quod in ea placuerit, quam sit in forma respectu materiæ.

DISTINCTIO III.

*Qualis fuit caro Christi in Virgine: & in antiquis patribus.
Atque de sanctitate beatæ Virginis.*

Proposi. 1.



Caro Christi non fuit in antiquis patribus, neque in beata virgine secundum aliquam signatam & determinatam materiam. Hæc est contra Magistrum in. 2. d. 30. dicentem, quod Adam transmisit aliquid modicum de sua substantia in corpora filiorum, ex quo per adiectionem rei extrinsecæ formatur corpus prolis, & de illo augmentato aliquid separatur ut formentur corpora posterorum, & ita progreditur ordo procreationis. Volebat enim Magister, quod nihil extrinsecum transeat in naturam corporis humani. Sed in hoc ipse non tenetur. Vide ibi doctores & Scotum in. 4. d. 44. q. 1. & Thom. 1. p. q. 119. art. 1. & 2. Sanctus Bona. hac. d. nu. 60. refert quosdam dicentes quod in Adam remansit aliqua portio seminis in corrupta, quia reparabiliter peccauerat, quàm Adam transmisit ad Noe & sic deinceps ab alio in alium vsque; ad Christum ex qua corpus Christi fuit formatum. Hæc positio est erronea, quia sic Christus non fuisset ex semine Dauid, sed ex semine Adæ: Neque comparatur ad alios patres nisi sicut ad deferentes, ut aqua ad canalē, neque assumpsisset carnem de natura lapsa, sed de instituta. Probat modo, hæc prima propositio quia data opinio Magistri, vel illa portio transmissa ab Adam finiretur per illas transmissiones quia finitū per ablationem finiti tandem finietur: vel non posset fieri

fieri generatio nisi per miraculum si erat multiplicanda ut panes euangelici. Confir. quia possibile est, generationes durare in infinitū: sed si illa portio esset finita, naturaliter cessaret propagatio humana. Secundo sic arguitur Chrs fuit in patribus sicut alij filij, sed filij non generantur ex aliqua determinata materia aut ex aliqua substantia animata anima parentū, ergo neque Christus. Probatur minor, quia filij generantur ex semine parentū, quod est superfluum alimentum tertie digestionis, quod tamen non descendit de substantia animalis. Fit prima digestio in stomacho. Secunda in hepate ubi generantur humores qui deriuantur ad membra, & ibi digeritur cibus tertie digestionis, & per nutritiuam conuertitur pars in substantiam alij pro conseruatione indiuidui, alij reponitur ad conseruationem speciei, & vocatur superflua, non ut feces: sed superflua indiuiduo, quia non est necessaria eius restaurationi, aut augmento: quanuis sit necessaria speciei. Propter hoc pueri, & alij homines pingues qui multo egent nutrimento, & tertiam digestionem fortem habent pauci sunt seminis, ineptique ad generationem. Vide Ricar. in. 2. d. 30. q. vltima.

Caro Christi non fuit in Adam, & in alijs patribus secundum rationem seminale: fuit tamen in illis tanquam in principio effectiuo seu secundum corpus tantam substantiam. Hæc docet Magister in littera & Sco. li. 2. d. 8. littera. A. Nam esse secundum rationem seminale est esse secundum vim generationem tam patris quam matris. Quid sit ratio seminalis habes in. 2. d. 8. p. 7. sed Christus est à matre virgine, sine patre: esse autem secundum corporalem substantiam, quia potuit ab illis descendere secundum carnem: unde dicitur Christus descendere ab Adā, Abrahā, & Dauid. Ita docet Magister, quod Leui, qui fuit in lumbis Abrahæ secundum rationem seminale fuit decimatus quando Abraham dedit decimas Melchisedech, non sic Christus. Vbi aduerte quod Paulus Heb. 7. probans sacerdotium secundum ordinem Melchisedech sacerdotio Leuitico esse maius, hoc est sacerdotium Christi affert quod Abraham in cuius lumbis erat Leui dedit decimas Melchisedech figurans in illa decimatione suā & posterorum imperfectionem per Christum figuratum in Melchisedech fore tollendam, quia licet decimatio fuerit moralis actus, dabatur enim in sustentationem ministrorum; fuit etiam figuralis signans in eo cui offerebatur perfectionem, in offerente qui sibi nouem partes retinebat imperfectionem: & quod sua imperfectio esset curanda per illam

Proposi. 2.

Denarius numerus est perfectus

qui erat perfectissimus. Vide hac. d. Bona. & Alex. 3. p. q. 9. M. 3. art. 4. Tho. 1. p. q. 31. art. 8.

Propo. 3.

Caro Christi in parentibus conceditur à Magistro secundum testimonia sanctorum obnoxia peccato. Quod est intelligendum, quia cum non præfuerit in parentibus secundum determinatam materiam, sed tanquam in principio, & tota caro parentum fuerit obnoxia peccato, sumpsit Christus carnem ex massa peccatrice peccatum enim in ipso non fuit, quia eius caro est primitiva nostræ massæ ut habes in litera ex Damasceno lib. 3. cap. 2. pro eo quod fuit similis carni primi hominis in statu innocentie libera à peccato, & Paulus. Rom. 8. dixit Christum missum in similitudinem carnis peccati. Magister exponit hanc similitudinem in poena non in culpa. Hæc propositio Magistri videtur Caiet. ubi supra. Tho. art. 7. simpliciter concedenda: Alijs, videtur distinguenda & explicanda.

DE SANCTIFICATIONE BEATÆ

Marie virginis.

Propo. 4.

Beata virgo fuit sanctificata in matris utero. Hæc est certa de qua nullus catholicus dubitat. Celebrat enim ecclesia virginis natiuitatem quam non celebraret si nata fuisset in peccato. Bernardus, in epistola. 174. ad canonicos Lugdunenses, Fuit proculdubio mater domini ante sancta quam nata. Nec fallitur omnino, sancta ecclesia sanctum reputans ipsum natiuitatis eius diem. Est & Damascenus citatus à Gabriele hac. d. q. 1. litera. E. dicens quod à nullo illustrium vincitur: sed quidam ut Hieremias. 1. ca. cui dictum fuit: Antequam exires de vulua sanctificauit te: & Ioannes Baptista de quo Lucæ. 1. spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, fuere sanctificati in utero, ergo & beata Virgo. Sed autoritas Damasceni nescio an sit illa lib. 4. cap. 1. 5. dicens, ut in hoc nulla illustrium, & gloriosarum posterior habeatur, quoniam hæc non est ad propositum, loquebatur enim ibi de beata Anna, quæ sterilis facta suo partu superauit Annam matrem Samuelis ut pariendo Deiparam nulla illustrium & gloriosarum posterior habeatur ipsa videlicet Anna. Tamen idem Damascenus libro. 3. capitulo. 12. vocat eam honoratam super om-

nia neminem

nem creaturam: sed si non fuisset sancta antequam nata honoratior ea forent Hieremias, & Baptista. Ad intelligendum quid sit sanctificatio, vide Alex. 3. p. q. 9. M. 1. arti. 1. dicentem quod sanctificatio nihil aliud est quam motus ad sanctitatem, sicut de albatio motus ad albedinē. Dicitur quatuor modis. Primo per dedicationē ad Dei cultum & cōpetit rationalibus & irrationalibus sic Nazaræi vocabantur sancti num. 6. Aaron & filij eius sanctificantur Leuit. 8. Tabernaculum & altare cum vasis suis sanctificantur Exod. 40. Hoc modo Christiani dicuntur sancti quia dedicati diuino cultui in baptismo. Secundo modo per emundationem à peccato. Rom. 6. liberati à peccato habetis fructum in sanctificatione. Thess. 1. ca. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Non vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationē. Tertio modo per abstractionem ab actu carnali Exod. 19. præcipitur Moses sanctificare populū hodie & cras, & quod lauet vestimenta sua, quæ sanctificatio erat abstinentia à mulieribus, sicut 1. Reg. 21. petenti Abimelech à Dauid si essent pueri mundi, respondit fuere vasa puerorum sancta. Quarto per cōfirmationē in bonum quia sanctum id est, quod firmum psal. 14. Quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis requiescet in monte sancto tuo? per montem sanctum significans confirmationem. Per hæc potes intelligere de qua sanctitate loquamur in sequentibus.

De tempore quo beata Virgo fuit in utero sanctificata communiter ante Scotum tenebatur quod post animationē: ita quod prius incurrerat peccatum originale. Ita tenuit Alex. 3. p. q. 9. M. 2. & Tho. 3. p. q. 27. art. 2. & ibi Caiet. Atque in tractatu de ista materia ad Leonem decimum. Loquitur vero Caiet. ea impudentia quæ neque Cardinalem, neque Monachum, imo neque Theologum decebat. Theologos namque maxime venustat modestia. Est in hanc Bernar. in epist. 174. ad canonicos Lugdunenses. Et Bona. hac. d. art. 1. q. 1. & 2. licet cum magna formidine. Ratio in hæc est quia ante animationē non potuit sanctificari per gratiā cuius subiectum est creatura rationalis, post animationem iam habuisset originale. Et dato opposito quod non incurrisset originale ipsa non eguisset redēptore. Neque fuisset per Christum redēpta. Post Scotum communiter omnes doctores tenent oppositum præcipue vniuersitas Parisiensis, quæ propter huius opinionis defensionem

Propo. 5.

d

Scoto

Scoto cognomen dedit doctoris Subtilis. Et postquam opinio Scoti cepit publice defensari, & predicari omnes cuiusque status conditionis, & sexus docti pariter & indocti ipsam mordicus tenent, amplexantur & defendunt dempto vno ordine predicatorum. Scripsit pro Scoto egregium tractatum, & copiosum frater Ambrosius Catharinus ex eodem ordine predicatorum. Tribus propositionibus re hanc absoluam ut breuiloquij ratio exigit.

Propos. 6. Potuit Deus præsruare Mariam matrem suam ne incurreret originale. Pro huius intellectu oportet recurrere ad secundum. d. 30. 31. & 32. quia potuit remittere Virgini debitum habendi iustitiam: potuit creare animam virginis in iustitia originali: vel in gratia, & ita ipsam sanctificare non ante animationem, neque post sed in ipsomet instanti animationis, sicut de angelis: & de Adam ipse Thomas tenet quod fuerit creati in gratia. Confir. 1. quia non implicat contradictionem. Secundo quia & nos possumus donare libertate seruos antequam seruitutem incurrant. V. g. promittendo, & donando mulieri captivæ libertatem pro foetu quem habuerit: quando ergo primo ille foetus fuerit in matris utero erit liber, neque vnquam seruituti de facto obnoxius.

Propos. 7. Maxime decuit dominum Iesum præsruare matrem suam ab originali probatur ecclesi. 3. Gloria hominis ex honore patrum, & dedecus filij pater sine honore, ergo præsruare matrem fecit ad honorem Christi. Habet iniquissimum in legibus civilibus quod pater vel mater egeat quorum filius fit diues in facultatibus. l. si quis à liberis. ff. de liberis agnoscendis. Ad hoc si respondeas quod verum est postquam sunt patres, & habent filios, sed non ante: Contra est, quia ea ratione quod futura esset mater Dei conceditur dotata plurimis privilegijs, & quod fuerit immunis à peccato actuali etiã veniali quod veniale non est tantum dedecus, ut originale quia non priuat gratiam, sicut originale, neque facit filios iræ.

Propos. 8. Quod beata virgo sit præsruata ab originali est longe probabilius quam oppositum. Dixi notanter probabilius ex quo de hoc nihil definiuit ecclesia. Imo Sixtus Papa. 4. in extrauagan. Graue nimis, excõicat quemcunq; dicentem alterutram opinionem esse hæreticã, vel peccare alterutram tenentem. Cuius extrauagantis poenas Conciliũ Tridẽt. sess. 5. innouauit. Modo probatur cõclusio ex hoc quod vniuersa ecclesia celebrauit & celebrat

hanc

hanc festiuitatẽ sub nomine Conceptionis octaua die Decẽbris dempto vno ordine predicatorum, qui ipsam sub nomine sanctificationis celebrat. Imo in regno Franciæ ut Catharinus dicit fol. 9. sui libri etiam ipsi predicatores celebrant sub nomine Cõceptionis. Parisijs nullus recipit gradum doctoratus in Theologia nisi hæc opinionem iurauerit se defensurum. Non est pium credere vniuersam ecclesiã falli in sua opinione & ritu, & solũ ordinẽ predicatorum, eũq; non totũ certa sentire. Sunt plurimæ ecclesiæ erectæ etiam Cathedrales sub nomine immaculatæ Conceptionis: imo & ordo quidam sanctimonialiũ orabat ecclesia in collecta. Deus qui per immaculatam virginis Conceptionẽ; & sicut eam ab omni labe præsruasti. Quauis hodie officium recitetur in die Conceptionis, quod in die Natiuitatis ordo tamen sanctimonialium, & qui festũ illud habent pro patrono proprium officium recitabant nisi alias fuissent prohibiti. Secundo ista festiuitas cepit celebrari per diuinã reuelationẽ, quod & S. Bona. supradictatus his verbis refert. Non audeo omnino reprehendere eos, qui ex speciali deuotione celebrant Conceptionẽ virginis, quia ut quidã dicunt hæc solennitas celebrari nõ cepit humana inuentione sed diuinã reuelatione. In quadã collecta ecclesia Toletana ita dicebat. Cuius sanctam Conceptionẽ te iubente celebramus in terris. Tertio ex dicto Gamalielis Act. 5. de doctrina Christi. Si ex hominibus esset dissolueretur, si autẽ ex Deo quod dissoluere non possent: ita in proposito. Si doctrina de immaculata Conceptione foret ex hominibus dissoluta iã fuisset ex quo fluxere quingenti, aut eo plus, anni quod cepit celebrari, videmus autẽ e cõuerso illã crescere quotidie, & quod quãto plus ei cõtradicitur tãto plus deuotio in eã crescat. Quarto est in hæc illud Genes. 3. quãdo Deus maledicẽs serpenti dixit de muliere. Ipsa cõteret caput tuũ. Hęc victoria ut dicunt Catholici doctores & precipue Bernar. hom. 2. super Missus est reseruata fuit Marię. Caput diaboli cõtra homines est peccatũ originale. Vnde August. lib. 5. cõtra Iulianũ Pelagianum cap. 9. ad finẽ extollit dictum heretici qui exponendo illud Petri apostoli de Christo. 1. epist. cap. 2. dixerat. Notandũ quod iudicauerit apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullũ fuisse peccatum, quia dixit, nullum eum fecisse peccatũ, ut doceret, quia qui non fecit habere non potuit: ait que sic ipse Augustinus

d 2

Omni-

Omnino verissimum est, profecto enim peccatum etiam maior fecisset si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu quia nullus est præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu: ergo caput diaboli est originale. Et re vera si Maria vel per instans habuisset originale gloriari posset diabolo matrē Christi sibi subiectā fuisse & inimicā Dei quæ neq; per instans Christū decebat. Itē ex Augustini sententia hæc cōsequentia tenet. Maria habuit originale, ergo & actuale, similiter à destructione cōsequentis ad destructionē antecedentis. Maria non habuit actuale ergo neq; originale. Antecedens huius probabitur propositione sequenti, ergo & cōsequens est verū. Dicit etiā Ulpianus iurisconsultus in l. princeps. ff. de legibus quod licet Augusta non sit à legibus libera sicut ipse princeps, tamē imperator eadē illi tribuit priuilegia, quæ ipse habet. Sunt priuilegia leges priuato rū, hoc est, priuatæ leges ut dicit Isidorus, habetur. d. 3. c. priuilegia, & in cap. Abbate, de verbo. signifi. Datum ergo fuit virgini priuilegiū præter cōmunē legē cōtra propagatos ab Adā. Sicut dixit Artaxerxes Hester. cap. 15. Noli metuere, non morieris, non enim pro te sed pro omnibus hæc lex cōstituta est. ita pro virgine factū dicamus: August. etiam lib. 3. de libero arbi. cap. 5. dicit. Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit scias fecisse Deū tā quā bonū omniū conditorē. Neq; enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificē fugerit. Et protinus. Credat ergo Deū fecisse, quæ vera ratione ab eo faciendū fuisse cognouit etiā si hoc in rebus factis non videt, ergo in præsentī sufficiens ratio debet esse quæ Deus potuit, & decuit quæ faceret. Arguitur & ex Euāgelio Lucæ. 1. Benedicta tu inter mulieres, quæ propositio videtur absolui à tēpore: & sic semper fuit benedicta neq; sub maledicto peccati originalis. Alias enim quæ fuit hæc prærogatiua singularis supra omnes mulieres, nisi quæ habuit cōceptū sui immaculatū. Sed huic autoritati facilis est respōsio, quod duplex erat maledictio, & grave iugū super filias Eue. Nam quæ pariūt incurrunt Dei maledictū Genes. 3. In dolore paries: steriles habebantur maledictæ in populo Israelis cui fecunditas data erat in benedictionem pro legis obseruantia. Exod. 23. & Deut. 7. sterilitas ergo habebatur pro pœna non obseruatę legis. Ab his duobus maledi-

maledictis virgo fuit libera, quæ neq; fuit sterilis, neq; cum dolore peperit. Neque amplius ibi volebat angelus, vide Bern. sermō. 3. super Missus. Ex his patere potest Christum dominum specia- *Ad argumē*
ta. lissimo modo suam matrem redemisse, præseruando. Quoniam liberare, eruere, redimere, dicuntur in scriptura pro eo, quod est malum futurum prohibere. Genes. 32. orabat Iacob. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo. Primi Machab. 5. dixit Iudas Simoni fratri suo. Elige tibi viros & vade, libera fratres tuos in Galilea, qui tamen nondum erant capti. Orat etiam Ecclesia in litanijs liberari à mala morte, & alijs malis antequam veniant. De redemptione est maior difficultas. psal. 143. Qui redemisti David seruum tuum de gladio maligno: ibi est punctus. Nempe vel Goliath, vel Saulis, à quibus non fuit tactus, neq; læsus. Sanctus etiam Bernardus ser. 22. super cantica dicit angelos redemptos, quia non ceciderunt, & quod Christus fuit vtriq; scilicet, angelo & homini redemptio soluens hominem & seruās angelum. Videturq; Bernardus sumpsisse ex Hieronymo qui super illa verba. Omnia subiecit sub pedibus eius Ephes. 1. petens cur sint omnia subiecta, idest Angeli, throni & Dominationes quæ nunquam fuerunt contrariæ Deo ait. Potest itaq; responderi, quod absque peccato nullus sit, & sydera ipsa non sint munda coram Deo, omnisq; creatura pauet creatoris aduentum. Vnde & crux Saluatoris non solum ea quæ in terra sed etiam ea quæ in coelis erant purgasse perhibetur. Idemq; Hieronymus ibidem cap. 2. super illa verba. Ipse est pax nostra qui fecit vtraq; vnum, dicit, quod crux domini non solum terræ sed & coelo profuerit, non solum hominibus sed etiam angelis, & omnis creatura domini sui cruore purgata sit. Ad idem facit Ambros. super cap. 12 ad Ephesios in illis verbis. Restaurans omnia in Christo quæ in coelis sunt & in terris, quia videtur sentire angelos fuisse saluos per fidem Christi. Facit & super Coloss. in illis verbis, in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis. Faciunt & quæ habes. l. 2. d. 5. p. 5. Possemusq; dicere ad redemptionem angelorum, quod etiā redemptio sumitur magis large pro eo, quod est de non nostro facere nostrum emendo, & iuuari per Theodoretum super illa verba Pauli Coloss. 4. Redimentes tempus, ait enim sic. Non est vestrum præsens sæculum, eo ergo vtimini ut oportet, & ipsum
d 3 vestrum

vestrū facite per bonas actiones id euentes. Sed angeli facti sunt Dei per gratiam ex Christi meritis, ergo Christus de natura ad gratiā ipsos redemit. De antecedenti non est parua difficultas negat enim ipsum Bona. vt habes infra. d. 13. p. 5. ad finem. Alij vero concedūt pro quibus sunt citatus Bernardus & Hieronymus. Facit autoritas Pauli. Hebr. 5. consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis eterne; sed angeli ei obtemperant, quibus præceptum est vt eum adorent Heb. 1. Coloss. 1. omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in cœlis siue quæ in terris sunt. Multi qui concedunt gratiam angelorum fluxisse à Christo tanquam à capite, negant ipsos redemptos, quia & Gregorius lib. 28. Moral. cap. 14. negat ipsos fuisse redemptos per mysterium incarnationis. Quia proprie redemptio est captiuorum vt libertati restituantur. Sic ait Origenes sup. Rom. 3. super illis verbis, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Idem dicit August. in lib. quo refellit articulos sibi impositos, refellendo secundū habetur in. 7. tomo editionis Frobenianæ iam ad finem. Sed quia gratia illis collata per Christum non fuit in ordine ad peccatum, quod ianuam paradisi occlusisset, non expectauerunt Christum ad suam glorificationem. Qui negant gratiam angelorum fluxisse à Christo, quia gratia eius est medici negare etiam debēt gratiam Adæ ante peccatum fuisse per Christum. Feuardentius notam hereseos inurit sententiæ Centuriatorum dicentium, quod aduentus, passio & mors Christi nihil angelis profuit. Quæ propositio Centuriatorum cum sit vniuersalis negatiua iuste notā illi inurit, quia licet sint opiniones in quibus profuerit, attamen in aliquibus & aliquo modo profuisse concors doctorum consensus est. Paulum dicentem Rom. 5. in vno homine omnes peccasse, intellige quantum est de se: Sicut Genes. 22. dicitur Abraham non peperisse filio, scilicet, quātum in se fuit, quem tamen non occidit. Ex eodem cōtextu dicit Paulus, ex vno homine delictum, quo dicit ex Christo iustitiam in omnes, sed Christi iustitia communicatur omnibus ex sufficientia, non tamen ex efficacia, quia peccata nostra tanquam causa extrinseca obstant. Virgo quantum est, ex se incurreret originale, nisi aliunde fuisset præseruata. Tum etiā hæc dictio, omnes, in diuina scriptura, non semper stat ad rigorem dialecticum, ita

mirabilis

ε β

quod

quod nemo excludatur. Nam Hier. 8. Nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo. Omnes conuersi sunt ad cursum suum. A minimo vsq; ad maximū omnes auaritiam sequuntur à propheta vsq; ad sacerdotem omnes faciunt mendacium. Ephes. 2. omnes quæ sua sunt quæruunt. Quæ non sunt in tanto rigore capienda, erant enim multi pij, & liberales Dei serui facientes elemosynas, & poenitentiam. In cōmuni loquela totus populus dicitur cōfluere, quo maxima pars confluit. Neq; priuilegia paucorum obstant, quo minus lex maneat in suavi. Circa doctorum autoritates nō est multum immorandum. Primo, quia doctores etiam antiqui & sancti non sunt infallibilis autoritatis. Ordo est iuxta August. lib. de moribus eccle. cap. 2. vt rationem præcedat autoritas. Infirma enim ratio videri potest, quæ cū reddita fuerit autoritatem postea per quam firmetur assumit. Cum ergo eorum autoritas non sit infallibilis stat posse teneri contra illos. Tum quia dixit Arist. lib. 1. Ethico. cap. 7. quod per tempora facta sunt artium incrementa. Nam certe videmus experientia, quod artes à paruis exortē principijs tractu temporis in perfectas crescunt. Danieli. 12. dixit angelus. Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia. Hieronymus super illud Ezech. 18. filius non portabit iniquitatē patris, quæ aduersari videbatur illi Exod. 20. q̄ Deus visitat iniquitatē patris in filios in tertiam, & quartā generationē: tandem non plene fidens proprię expositioni dixit, q̄ si quis meliorem sensum protulerit, illius sententiæ acquiescat. Sunt doctores iuniores super antiquos velut nanus in collo gigantis videns quæ gigas, & alia plura. Vnde Arist. 2. Metaphy. cap. 1. dicit. Non solum illis agenda sunt gratiæ quorum opinionibus quis acquiescet, sed illis qui superficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam isti, habitum namq; nostrum exercuerunt. A quibusdam enim aliquas accepimus opiniones, quidam vero vt hi fierent causa fuerūt. Paulus. 1. Corinth. 14. dicit, q̄ si alij sedenti reuelatū fuerit, prior propheta in ecclesia taceat. Ipsa ecclesia in Dei cognitione semper, vt aurora cōsurgens profecit. Tertio sunt aliqui sancti qui si hodie viuerent, & viderent Ecclesiā solēnantē hoc festum sequerentur ecclesiæ consuetudinem. Horum est sanctus Bona. qui dixit, quod non audebat laudare celebrantes festū Conceptionis, quia

quia sancti patres, qui docuerunt alias solennitates celebrare nō docuerunt nos solennizare de isto festo, ergo quando tota ecclesia solennizat & indulgentiæ sunt concessæ solennizantibus, ipse etiam solennizaret. Bernardus citata epistola. 174. manifeste dicit canonicis, quod pro celebranda Conceptione consulerent debuisse Sedem Apostolicam: & subdit, quod suam sententiam iudicio sanius sapientis submittit, Romanæ præsertim ecclesiæ auctoritati. De diuo Thoma, quidquid dicant sui, idem etiam videtur. Nam. 2. 2. q. 93. ar. 1. ad. 3. dicit, quod diuersæ consuetudines ecclesiæ in cultu diuino in nullo veritati repugnant, & ideo sunt seruandæ, & eas præterire illicitum est. Atq; propter particulares ecclesiarū quarundam consuetudines (vt dicit Caiet. 3. p. q. 74. ar. 3.) venèrabiliter sustinent Theologi plures sacerdotes cōsecrare eandem hostiam, vt quando nouelli cū episcopo ordinante dicunt verba consecrationis. Idem Thomas, quod lib. 9. ar. 16. dicit, quod pie credendum est, quod in canonizatione sanctorū iudiciū Ecclesiæ non potest errare, quia honor quē sanctis exhibemus est quædā professio fidei, qua credimus gloriā sanctorū. Sed solennitas conceptionis ad honorē, & gloriā Virginis pertinet, ergo crederet Thomas Ecclesiā non falli, & solos suos aliquos discipulos vera sentire, retractaretq; doctrinam quam posuit in partibus, esto ita sit, quod festiuitas ecclesiæ non semper probet esse de fide quod celebrat, satis est, quod præferat pietatem.

Propos. 9.

Beata Virgo nullum habuit peccatum actuale: neq; mortale neq; veniale. Ita docuit Bernardus citata epistola. 274. dicens, Ego puto, quod copiosior sanctificationis benedictio in ipsam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret, quod nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum. Est pro hac August. lib. de Natura & gratia cap. 36. dicens. De sancta Virgine cum de peccatis agitur propter honorem Christi nullam prorsus habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatū fuerit ad vincendum ex omni parte peccatū, quod concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Est in hanc concil. Trident. sessio. 6. canon. 23. Si quis dixerit hominem posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet

tenet ecclesia anathema sit. Calvinus contra hunc canonē dixit B. Virginē peccasse. Vide Vegam lib. 14. cap. 18. Extat epistola Sophronij Patriarchæ Hierosolymorū missa ad Sergiū Archiepiscopū Constantin. in actione. 11. Sextæ synodi Constantinopolitanæ in qua dicit B. Virginē liberā ab omni cōtagione & corporis, & animæ, & intellectus, quā auctoritatē cōpilator cōciliorū in margine pro immaculata eius conceptione annotauit. Facitq; pro hac, q; anno dñi. 1572. in festo S. Martini dicitur Romæ coactus fuisse quidā prædicator retractare quod in quodā sermone dixerat, q; gladius qui pertransierat animā Virginis fuerat gladius dubitationis, hoc est, infidelitatis immisæ à diabolo. Qui error habuit ortū ex verbis Augustini male intellectis. Dixit enim August. in quæstionibus noui, & veteris testa. Sic. Hoc utiq; signauit Simeon Luc. 2. quia etiam Maria per quam gestum est mysteriū incarnationis Saluatoris in morte dñi dubitaret, non tamē in dubitatione permaneret. Hāc auctoritatē exponit Alex. 3. p. q. 9. M. 2. art. 3. dupliciter, vel de dubitatione pietatis naturalis, non de hæsitatione infidelitatis: vel de dubitatione admirationis, quæ prouenit è restupenda. Dū enim Virgo filiū quē esse Deū credebatur pati videbat, mirabatur quomodo hoc esse poterat. Hāc secūda expositionē sequuntur Bon. hac. d. nu. 38. dubitatq; an liber ille sit Aug. Tho. 3. p. q. 27. art. 4. ad. 2. Discutere ergo quis qualia pateretur, nō erat dubitare infideliter neq; peccare. Si qui sancti videantur Virgini tribuere peccatū vt Chrysost. dicendum est, q; excefferunt. S. Bona. hac. d. ar. 2. q. 1. in argumento ad oppositū, & Ricar. ar. 1. q. 3. tenent, quod Ioannes Baptista nō peccauit venialiter moti ex illo quod canit ecclesia de ipso. Ne leui saltem maculare vitam fame posses.

Beata Virgo ab ipsa sua cōceptione fuit à fomite peccati immunis. Ad huius intellectū recurre ad. 2. d. 30. p. 9. cognito quid sit fomes, sciēdū hoc esse cōmune apud doctores, q; B. Virgini sit ablati fomes, sed quādo & quomodo variæ sunt sententiæ. Alex. 3. p. q. 9. M. 3. ar. 1. tenet q; in prima sanctificatione Virginis, scilicet, in matris vtero fuit fomes extinctus inquantū corrūpit personā. In secūda sanctificatione, scilicet, quādo superuenit Spiritus sanctus vt esset idonea mater Dei Luc. 2. fuit extinctus inquantū corrūpit naturā. Consideratur enim caro dupliciter. Vno modo

Propos. 10.

c quantum

quantū ad animā propriā. Alio modo in ordine ad aliā carnē, in quantū est principiū, vt generetur similis in natura. Aliusmodus dicendi est, q̄ in prima sanctificatione fuit ablati quātū ad pronitatē ad malū, sed remansit quantū ad difficultatē ad bonū. Has ambas referunt Bon. hac. d. nu. 3. 1. & Tho. 3. p. q. 27. ar. 3. Tertius modus dicendi est, q̄ in prima sanctificatione fuit ligatus in. 2. extinctus. Hanc tenent Bona. & Thomas citati. Atq; Caie. vult hanc opinionē esse secūdā quā refert Magister in litera. Ait enim Magister, quod Spiritus sanctus eā à fomite liberavit, vel ipsum penitus euacuando, vt quibusdā placet: vel sic debilitādo & extenuādo, vt ei postmodū peccandi occasio nullatenus extiterit. Mihi placet interpretatio Bonauen. in hoc loco. ar. 2. q. 2. in argum. ad oppositū, quod Magister ibi loquitur de secūda sanctificatione, & in hac secūda est duplex modus, vel q̄ penitus sit extinctus, vel debilitatus, & sic Magister, nō loquitur de prima sanctificatione, quod in illa fuerit extinctus, sed q̄ fatetur fuisse in ea fomitem vsq; ad Spiritus sancti aduentū. Si dicas, quid ergo Magister sensit de fomite in prima sanctificatione? Respōdebo, q̄ nihil de eo meminit. Sunt autē Bona. & Thomas aliquantulum diuisi in sua opinione. Thomas videtur sentire, quod fuit ablati post conceptionem filij Dei. Bona. q̄ ante, vt esset idonea mater Dei. Alius est modus dicendi quē in hac nostra sustinemus, qui pluribus modernis placet, scilicet, q̄ in prima sanctificatione fuerit omnino sublatus. Refertur à Thoma vbi supra, & probatur. Quorsum enim remaneret fomes qui nunquā debebat exire in actū? Quare ligandus & nō potius extirpandus? Nā si fomes est qualitas in carne. vt dixit Ochā: vel in anima, vt dixit Holcot, & reputat probabile Almain. hac. d. q. 2. quorsum debuit illa quātitas retineri ne exiret in actū, vt sic dicatur ligata, & nō potius omnino euelli? Cū de beata Virgine cantemus. Tota pulchra es & macula non est in te Cant. 4. & psal. 86. Diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. i. ingressum Virginis in mundū plusquā vitam aliorū sanctorū, quia tūc habuit maiore gratiā, quā illi per vitam. Item psal. 90. flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, id est, Christi, sed Maria est tabernaculum Christi, & fomes flagellū quare dicamus ei appropinquasse. Neq; hæc autoritates scripturæ aut similes sunt ab re in præsentia materia, quia procedunt

ex

applicatione ad propria B. Virginis, quia defunt autoritates expressi. Vide Caiet. citata. q. 27. art. 4. In via Thomæ, quod fomes est inclinatio appetitus sensitiui destituti à iustitia originali, qui idcirco vocatur habitus, vel habitualis concupiscentia, nō q̄ sit habitus, sed quia est priuatio habitus, & priuatio spectat ad genus sui oppositi, vt non homo ad substantiam, non album ad quale, potest auferri per collationem iustitiæ. Ligari potest tripliciter, vt dicit Thomas vbi supra, vel per vsum liberi arbitrii, sicut ligant viri sancti comprimendo motus appetitus per rationem. Secundo modo per donum gratiæ intrinsecū, sicut canis ligatur catena. Tertio per diuinā prouidentiam prohibentē sensualitatem ab inordinato motu. Dicit ergo Tho. citata. q. 27. ar. 4. ad. 1. quod fomes fuit ligatus post primam sanctificationē virginis per vtrūque, scilicet, per gratiam, & diuinā prouidentiam, quia sola gratia non sufficiebat vt patet in Paulo, habente gratiā & se de fomite conquerente. Rom. 7. Videtur ergo, quod si de collata gratia, & de diuina prouidentia aliquis à Deo fieret certus, quod tali diceretur fomes sublatus omnino, vt fuit certificata Virgo per angelum de sua gratia, & de diuina prouidentia dicente angelo. Ave gratia plena, & Spiritus sanctus superueniet in te. Sed nos certum sumus de vtroq; & quod fuit sanctificata, & per diuinā prouidentiam repressa sensualitas: quare ergo non dicamus, quod fuit illi fomes sublatus omnino à prima sanctificatione. ¶ Contra hanc potest argui. Primo, quia remanserunt in ea cætera poenæ peccati, vt mors ergo fomes. ¶ Secundo, quia per hoc videtur æquari Christo. ¶ Tertio, quia si naturaliter concepisset, proles contraheret originale peccatum, signum ergo, quod habebat fomitem, quia libido est quæ originale transmittit in posteros, vt ex Augustino aliqui allegant. ¶ Quarto, quia concil. Trident. Sessio 5. de peccato originali fatetur in renatis manere fomitem, qui tamen non est proprie peccatum & vere: contrariaq; sentientes anathematizat, ergo in beata Virgine remansit fomes.

¶ Dico ergo quod alię poenæ fuerūt vtilis Virgini, sed nō fomes maxime qui nō erat vnquā exiturus in actū. ¶ Ad secundū dico q̄ nō equatur Chro, quia Chrs de lege & de facto fuit liber ab originali, & à fomite, q̄ nō fuit fili⁹ naturalis Adę, virgo ex priuilegio. ¶ Ad tertium dico, primo q̄ dē lege ita est, q̄ libido transmittit

e 2

origi-

Argum. 1.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

Ad. 1.

Ad. 2.

Ad. 3.

originale, tamen in casu sicut præter legem caruisset fomite, ita præter legem transmisisset originale, vel secundo, quod libido se teneret ex parte viri & sufficeret vt conceptus esset libidinosus. Vel tertio, quòd libido non est propria & præcisa causa originalis. Nam si Deus crearet masculum & foeminam coirent cum libidine, quia est naturalis, & proles careret originali, quia non esset naturalis filia Adæ. Similiter esto deesset omnis libido, quia filius natus esset fili⁹ naturalis Adæ haberet originale. Per dicta potest intelligi opinio Alexandri, quod potuit auferri fomes in quantum corrupit personam, ita quod nullum esset peccatum, nulla libido in generante, & tamen manere in quantum corrupit naturam, quia ex quo de iure propagationis debuit esse libido in generante, & genitus est filius naturalis Adæ, veniet ex fomite, quod incurrat originale, sic potest tolli quantum ad personam, & manere quantum ad naturam. Thomas hoc negat, & dicit quod ablato quantum ad personam non potest manere quantum ad corruptionem naturæ. Claudicat opinio Alexandri ex hoc, quod in beata Virgine concipiente filium non naturalis Adæ nihil opus erat auferre fomitem vt ille filius careret originali, quoniam ablato fomite quantum ad personam omnino erat ablatum quantum ad naturam, quando quidem, neque; erat habitura alios filios, neque; quem habuit fuit filius naturalis Adæ. Dicit tamen posset auferri quantum ad corruptionem naturæ, si Deus daret, quod etiam si filios naturales Adæ genuisset carerent originali.

Ad. 4. ¶ Concilium ipsum secum fert expositionem, dum finito decreto appendit, & adiungit non esse suæ intentionis in illo decreto de originali beatam, & immaculatam virginem comprehendere.

Propos. 11. Quibusdam non incongrue videtur, quòd virgini fuit ablatum fomes per collationem doni intrinseci, puta per iustitiam originalem. Ita tenuit quidam Magister Orticius, quem sequebatur in hac parte doctissimus frater Andreas Vega. Primo quia in Virgine fuerunt effectus originalis iustitiæ, puta perfecta tranquillitas corporis ad animam, & virium inferiorum ad rationem. Nam impedire tristitiam, dolores atque; mortem conueniebat iustitiæ de per accidens. Secundo fomes fuit extinctus secundum doctores communiter, ergo per aliquod donum. Probatum consequentia, quia si per gratiam, & diuinam prouidentiam, potius deberet dici

ci ligatus quàm extinctus. Confir. saltè cõtra opinantes iustitiam esse eundem habitum, qui est gratia, sed habuisse illam dignitatem faciendi tranquillitatem. in. 2. d. 30. p. 6. sed gratia Virginis fuit copiosissima, & constat fuisse in Virgine tranquillitatem, ergo per gratiam includentem iustitiam, quia frustra fieret per plura, quod poterat fieri per pauciora. Extat celeberrima autoritas Bernardi citata epistola. 174. ad omnia Virginis priuilegia, dicentis. Quod vel paucis mortaliu constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantam Virgini fuisse negatum, sed Adam, & Eua illam habuerunt ergo & Virgo. Nam licet iustitia pertinuerit ad statum innocentiæ de lege, data est Virgini ex priuilegio. Hæc est contra Thom. citata. q. 27. arti. 3. & tenentes cum Thoma debent dicere, quod de per se pertinebat iustitiæ prohibere dolores, tristitiam, &c.

Probabile videtur quod beatam Virgini acceleratus fuit usus rationis à matris utero. Contrarium tenet Thomas citata. q. & art. quia hoc est, vt ipse dicit, speciale priuilegium Christi, sed probatur conclusio ex modo citato Bernardo, at Ioannes Baptista habuit usum rationis in utero, ergo & Virgo. De hac minori est duplex modus dicendi: refertur à Bona. in. 4. d. 6. num. 38. Primus quod non habuit usum rationis sed exultauit motus non à se, sed per diuinam voluntatem ad declarandam sanctitatem Virginis, & Dñi Iesu, sicut asina Balaam locuta est sine intellectu. Huic vt dicit Bona. consonat August. ibi citatus à Magistro. Hunc tenet Thomas. 3. p. q. 27. arti. 6. sicut pueri sanctificati per baptismum non protinus habent usum arbitrij, ita Ioannes quauis in utero sanctificatus. Alius modus dicendi est quod habuit usum arbitrij & bipartitur quod, scilicet habuit pro illo tunc & non amplius. Hos duos modos reputat ipse Bona. probabiles, & videtur esse in eo quod non semper habuit usum. Eundem hunc secundum tenet Caiet. citata. q. art. 3. quia exultatio & gaudium sunt passionnes animæ præcedente apprehensione intellectus. Si dicti sunt montes exultasse vt arietes psal. 113. fuit per metaphoram. In hoc non est facta iniuria Ioanni, sicut neque; fit iniuria rapti ad horam si non semper sit in raptu, imo facta est magna gratia quod pro illo tunc haberet usum rationis exemplum in Christi Domini transfiguratione, cuius claritas fuit gloriosa, vt dicit Alexan. 3. p. quaest. 21. M. 4. quauis non tam perfecta vt erit in corpore

sed secundum quod natus est ex Adam. Hunc dat August. epistola. 95. dicens. Illud quod dictum est. Qui natus est ex deo non peccat, secundum ipsam caritatem dictum est, quæ sola non peccat. Sequitur Lyranus. Tertius est quod non permanet in peccato usque ad finem, capiendo per semen Dei æternam prædestinationem. Hunc dat Bernardus sermone primo de septuagesima. Secundum hos duos ultimos intellectus possumus interpretari secundam auctoritatem. Ad quã potest dici tertio, quod quia nemo repente fit summè malus, sicut neque summè bonus, qui discedunt ab ecclesia prius alijs peccatis erant infecti. Ad hoc est Cyprianus de simplicitate prælatorum contra hæreticos dicens. Gratulandum est cum tales ab ecclesia separantur. Triticum non rapit ventus, inanes paleæ tempestate iactantur. Hos execratur, & percutit Ioannes. A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Sic videmus in monasterijs ante apostasiam monachos alijs peccatis præabundare Paulus Rom. 1. ante traditionem, in reprobum sensum multis repletos posuit, peccatis. ¶ Ex his patet error Ioviniani dicentis hominem semel iustificatum peccare non posse. Contra quem est Magister cum beato Hieronymo in. 2. d. 28. cap. ultimo & d. 36. cap. illud autem. Vide & infra. d. 31. p. 1. Ex parte secuti sunt Beguardi, & Beguinæ dicentes quod in vita præsentipotest quis ad tantã venire perfectionem quod esset impeccabilis. Contra quos est Clementina, Ad nostrum de hæreticis. Et Concilium Trident. sessio. 6. Canone. 23. Siquis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, anathema sit.

Carol.

Propo. 15.

Dubiũ est si beatæ Virgini cõstitit sua cõfirmatio. Et videtur satis probabile quod à cõceptione filij Dei cõstitit per illã auctoritatẽ Bernardi citatã in. p. 11. Quod vel paucis, &c. apostolis videtur cõstitisse ex dicto Christi Ioã. 14. Aliũ paraclitũ dabit vobis ut maneat vobiscũ in æternũ. Et infra, paraclitus docebit vos oĩa, & suggeret vobis oĩa quæcũq; dixero vobis ergo videt quod tantã ex promissione Chri, quã ex doctrina spiritus illã promissionẽ explicatius docetis, novere suã cõfirmationẽ, idcirco dixerit Paulus Rom. 8. Certũ sum quod nulla creatura poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Chro Iesu. Imo & per spiritũ sanctũ sciuerũt alias scripturas, quæ de ipsis prophetabãt ut est illa psal. 44. Cõstitues eos principes super omnẽ terram. Et psal. 74. Ego cõfirmaui colum-

columnas eius. i. Apostolos Ecclesiæ columnas. Hieremiæ constitit ex quo missus fuit propheta. i. cap. Cum ei dicitur. Ne formides, ego dedi te in columnam ferream, bellabunt & non preualebunt quia tecum sum. Idem pie credi potest de Baptista ex quo missus est prædicare & baptizare: Sicut intellexit Isaiã de se locutũ. Ego vox clamantis. Ioan. 1. Quæ auctoritas dupliciter exponitur, vide in li. 1. d. 41. p. 9. Dixit etiam de se ipsa virgo. Beatam me dicent omnes generationes. Lucæ. 1. Non tamẽ opinor necessarium esse reuelari confirmato suã confirmationem. Neq; idem est reuelari finalem salutem cum confirmatione. Possent enim adinuicẽ separari, ut, scilicet reueletur confirmatio non labendi in peccatum; & tamẽ quis non sit certus se esse in gratia; ut de paulo dixi, quod fuit certus de sua confirmatione qui dicebat. Nihil mihi conscius sum, sed tamen non in hoc iustificatus sum. i. Corin. 4. De lege seu ut in plurimum crederem cum reuelatione confirmationis reuelari finalem salutem, & gratiam: ita de Paulo crediderim qui & aiebat. 2. Timoth. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. & 1. Theff. 4. Rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo; & sic semper cum domino erimus. Potest fieri efficax argumentum gratiæ, ex confirmatione, cum peccatum quod pœnitentia non diluit suo pondere in aliud trahat. ut in. 2. d. 28. p. 6. Sed confirmatus non trahitur in peccatum, ergo non erat in alio peccato. Item tam speciale donũ ut est confirmatio & reuelatio confirmationis, non videtur tribuendum nisi amicis, & gratis Deo. Ad modo citatum Paulum dic, quod tantum vult docere quod ex non remordente conscientia non probatur certitudo gratiæ ponendo se pro exemplo in persona aliorum. Nihil tamen volebat explicare de reuelatione suæ finalis salutis in illis verbis.

Si beata virgo mortua fuisset ante filij sui mortem non intraret in gloriam: sed expectaret in limbo, ita Alex. 3. p. q. 9. M. 3. arti. 2. §. 3. Scotus hac. d. q. 1. litera. N. quia apertio ianuæ requirebat Christi passionem exhibitam, non sic cætera priuilegio concessa virgini.

Propo. 16.

DISTIN-

DISTINCTIO IIII.

De conceptione Christi per comparationem ad Spiritum sanctum: qui est donum per quem & gratia insinuat. Ratione cuius doctores hac. d. petunt si fuere aliqua merita hominum respectu incarnationis? Exploratq; Mag. quare dicatur factus è semine David.

Proposi. 1.



Christus dicitur conceptus de Spiritu sancto. Matth. 1. Quod in ea natū est de Spiritu sancto est. Habetur etiā in Symbolo. Nō tamē Christus est Filius Spiritus sancti: neq; Spiritus sanctus est Pater Christi. Ma. in litera probatur ex August. in Enchiridio. Proculdubio non sic de Spiritu sancto vt de Patre, sic autem de Maria vt de matre natus est. Et. 2. de Trinita. cap. 10. Christus neque sui neq; Spiritus sancti Filius. credi aut intelligi potest. Vide in litera plures autoritates Augustini. Vide de hac & Alex. 3. p. q. 8. M. 3. Ratione probatur. Maternitas, Paternitas, Filiatio dicuntur propter generationem viuentium animalium cum similitudine in natura. Communicāt enim parentes filijs per generationem similem naturam. Gene. 5. Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem suam. Ecclesiastici. 30. Mortuus est Pater eius, & quasi nō est mortuus, simile enim reliquit sibi. post se. Sed Christus secundum naturam diuinam non est de Spiritu sancto: neq; secundum humanam est similis Spiritui sancto, neq; Trinitati, ergo neq; est Filius Spiritus sancti; neq; Trinitatis. Afferit Mag. exempla. Quia neq; capilli capitis, neq; lūbrici dicuntur filij hominū propter dissimilitudinē in natura. Dicitur aliquando filius per metaphoram quia scilicet est aliqua similitudo imperfecta. Sic dicimur filij Dei per creationem quia facti ad eius imaginem & similitudinem, quamuis non simus similes in natura diuina. Dicimur filij per gratiam, per quam Deo assimilamur. Ideo alio modo dicitur Deus Pater noster: alio modo Pater Christi. vide in 1. d. 26. p. 5. Sco. d. 8. huius litera. C. dicit quod proprie filiatio est in natura intellectuali aut saltem in sensitiua: vide eundem lib. 1. d. 5. q. 2. litera N.

Licet

Licet tota Trinitas operata sit incarnationem attribuitur magis *Proposi. 1.* personæ Spiritus sancti propter aliqua. Quia operatio appropriatur illi personæ cuius appropriatum magis refulget in illa operatione. Bonitas, gratia, dilectio; quæ sunt appropriatæ Spiritui sancto magis in hoc mysterio refulgent. Bonitas vt dicit Damasc. li. 3. cap. 1. demonstratur quoniam non despexit proprii plasmatis, facturæque propriæ infirmitatem; Sed miseratus ipsam cadētem ei manum porrexit. Gratia, quia dixit August. habetur in litera, quod homo nullis meritis præcedentibus in ipso primo exordio naturæ suæ quo esse cæpit verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem esset Filius Dei qui filius hominis. Dilectio, quia sic Deus dilexit mundū vt filium suum vnigenitum daret Ioan. 3. Attribuitur vero magis conceptio Spiritui sancto, quā natiuitas vt dicit Bona. in quæstione literali, quia natiuitas plus appropinquat ad actum generationis; conceptio ad fabricationem corporis. In conceptione fuit sanctificatio ipsius Christi hominis iuxta id Ioan. 10. Quem pater sanctificauit, & hoc per collationem summæ gratiæ de qua infra. d. 14. ante quam collationem consideratur eius humanitas, non vt peccatrix, neq; vt sancta; sed intelligitur non sancta, per abstractionem & abstrahentium non est mendacium. Sicut non intelligens hominem vt animal non protinus intelligit ipsum non animal: sic in proposito; & talis abstractio sufficit vt dicatur sanctificatus; quia cum sanctificatio sit motus ad sanctitatem, quādoq; est à non sancto contrarie, id est, ab habente peccatum quod contrariatur sanctitati, quādoq; à nō sancto negatiue; & ita fuit in Christo, vt dicit Alex. 3. p. q. 9. M. 1. art. 2. Et in beata virgine vt dicit Scot. d. 3. q. 1. litera. G. fuit etiam in conceptione sanctificatio virginis quam è sancta fecit magis sanctā extincta omni libidine dicente Angelo. Lucæ. 1. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: sub umbra refrigerantur homines ne exæstuet flante spiritu. i. vento; ita superueniente spiritu extincta fuit omnis libido in conceptu Filij Dei.

Paulus. Rom. 1. dixit quod Christus factus est Deo patri è semine David secundum carnem: factum dixit & non natum, ne eius natiuitas nostræ similis videretur, quæ conficitur feminum commixtione. Dixit è semine; quia corpus Christi formatū fuit ex illa carne quæ cōstat ex semine, scilicet ex carne beatæ virginis

f a Mag.

Magister in litera vide Gloss. ordi. quæ est beati Augustini, vel ex femine, id est, ex genere.

Proposi. 4. Maria verè est mater Dei. Hæc est de fide contra Nestorium fatentem illam matrem Christi, sed non matrem Dei, quia ipse negabat Christum Deum. Licet hæc hæresis sub nomine Nestorij dilatata sit, & vocata hæresis Nestoriana, fuit tamen antiquior Nestorio, quia Ambro. lib. de Sacra. dominicæ incarnationis ca. 6. huius hæresis meminit: fuisse autem Ambr. antiquiorè Nestorio ex eo patet quod floruit Ambr. sub Theodosio maiori auo Theodosij iunioris, sub quo iunior fuit Nestorius Archiepiscopus Cōstantinopolitanus. Modo probatur conclusio. Maria fuit mater Christi, Christus est Deus, ergo est mater Dei. Maior patet. ex. 1. Matt. Cum esset desponsata mater Iesu. Ioan. 19. Stabant iuxta crucem Iesu mater eius. Luc. 2. dixit illi Maria. Fili quid fecisti nobis sic? Minor patet cōtra hæreticos Ebionè, Cherintū, Fotinū, Theodotionè contra quorū hæresin Ioan. scripsit Euan. in. 1. ca. dixit de Verbo humanato. Vidimus gloriã eius quasi vnigeniti à Patre. Et in epi. 1. ca. 1. Societas nostra sit cum Patre & Filio eius Iesu Christo. Et cap. 4. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, in eo manet, & ipse in Deo. Vide Damas. lib. 3. ca. 12. qui asserens eam matrem Dei, negat tamen ipsam Christotocon, id est, Christiparam, seu Christi genitricem. Sed hoc in sensu hæretici, quasi Christus non esset Deus. Vbi doceamur abstinere à verbis etiam hæreticorum. Definïta fuit vero nostra assertio in Cōcilio Ephesino cap. 1.

Proposi. 5. Beata virgo ad generationè filij cōcurrerat actiuè sicut aliæ matres, de quibus est quæstio si concurrunt tantum passiuè, an etiã actiuè. Quæstio plus est physica quã Theologica. Tho. 3. p. q. 32. ar. 4. dicit quod tantum se habuit passiuè ministrando materiã quia tota virtus actiua se tenet ex parte viri, passiuua ex parte fœminæ. Ideo in plantis in quibus vtraq; vis commiscetur non est distinctio maris & fœminæ. Ad idem est 1. 2. q. 81. ar. 5. in argumento ad oppositum. Pro hac est Arist. lib. 1. de generatione animalium cap. 19. in fine, dicens à fœmina conferri ad generationem materiã, quæ in mēstruorum generatione est. Vultque ibi, & ca. 20. semen non emitti à fœmina, menstrua vult esse semen quanquam nō purū li. 2. cap. 3. Ex quo iuxta Aristot vis actiua est in patre, passiuua in matre. Dat ex eplū li. 1. ca. 20. versus finē de fabro, & ligno, quia

quia in fabro nulla est pars materiæ lignorum, in ligno nulla pars artis fabrilis, sed forma & species à fabro existit materiæ per motum. Hæc Arist. Bonauentura hac. d. num. 31. Et Scotus sequentes Galenum tenent mulierem actiuè concurrere cum viro ad generationem: ita quod vir est causa actiua prima & principalis, mater causa actiua secunda & minus principalis. Probatur quia filius quandoq; plus assimilatur matri quã patri, ergo in matre est vis aliqua, quia agens intendit assimilare sibi effectum. Secundo quia pater diligit filium naturaliter quasi aliquid sui iuxta Arist. 8. Ethico. cap. 12. mater verò vt idem ibi dicit etiam magis diligit, & plusquã pater ergo est aliquid eius & quasi opus matris. Quomodo autem virgo potuit concurrere ad motus generationis vide Scotū. d. 2. huius quæst. 3. & latius hac. d. primo quia habuit actiuam causalitatem quã aliæ matres. Alioquin non plus daretur matri, quã datur terræ in generatione mineræ. Secundo quia illa causalitas nō est præuicta a Spiritu sancto, quia licet posset tollere causalitatē, est tamen agens liberum neq; agit secundū vltimum suæ potentia, imò ita res quas condidit administrat vt eas agere proprio motu sinat vt ait Augustinus. Tertio quia aliqua media sunt necessaria vni virtuti, quæ non sunt necessaria alij, sed Spiritus sanctus & Maria sunt vna causa actiua generationis, & perfectior causa quã pater & mater, ergo non sunt necessaria illa media quæ Deus voluntariè præfixerat actioni parentum. Confirmatur quia post transitum mediorum agens agit propria virtute quã habet, & producit terminū non ratione mediorum, quæ iam non sunt. Sed virtus Spiritus sancti fecit quod illa media nō essent necessaria, operãdo in inlãti ergo Maria in termino ita se habuit actiue, sicut se habuisset si illa media naturaliter præcessissent. Confirmatur generare est agere: sed Maria genuit filium ergo egit.

Ex hac inferuntur duo. Primum quod beata virgo non plus est mater quã aliæ matres, quia in ratione matris non plus prestitit ad generationem. Neque erat quid præstaret, nisi quod se tenebat ex parte viri, sed illud præstare non poterat. Alioquin foret simul etiam & pater, hoc est contra aliquos. Bene quidem perfectiori modo facta fuit mater.

Secundò quod ante definitionem Ecclesiæ non est nigro car; bone notandum quod quidam scripsit aliquos dixisse tacito eorū

nomine, quos & ex parte mea interrogatus nominare nesciuit. Videlicet quod beata virgo coegit ad vnionem hyposticā. Quia ceteræ matres agunt & actione sua attingunt suppositum, ergo Virgo egit vt suppositum præexistens personaret hanc naturam. Et dato opposito actio Mariæ, fuisse terminata quando in aliquo priori dicendum erat. Deus non est homo, & faueretur Nestorius. Et sicut in naturalibus eleuatur phantasma actione intellectus agentis vt agat in intellectum possibilem, atq; sicut ignis inferni materialis eleuatur vt agat in spiritus: Et sicut aliqui nobiles autores concedunt creaturam posse eleuari vt cooperetur ad creationem & creet vt in lib. 4. distinct. 5. p. vlti. Atque aliqui Salmanticenses concedunt Sacramenta concurrere ad gratiam vt causas naturales & physicas, ita potuit virgo eleuari superueniente Spiritu sancto vt cooperaretur virtuti altissimi obumbranti ipsam, vt vnio hypostatica educeretur de potentia obedientiali naturæ humanæ. Memini me iuuenē Salmanticæ discipulum præfatis argumentis adductum desiderasse huic opinioni patronum, ne fierem nouitatis inuentor. Magistri mei argumenta non admittebant: Sed iuari possunt ex Bernardo hom. 4. super missusest dicente: Fortasse propter hoc dictum est obumbrabit tibi, quia res in Sacramento erat, & quod sola per se trinitas in sola & cum sola virgine voluit operari. Vbi nota, ly cum sola, vt concausa.

Propos. 6. Beata Maria semper fuit virgo. Videlicet in conceptu, in partu, & post partū. Hæc est de fide contra aliquos hæreticos. Ebion & Cherintus alijque dicentes Christum natum ex Ioseph aperte impugnabāt Mariæ virginitatē. Eluidius beato Hieronymo cognus expresse negauit eius virginitatem post partum, quia dicebat, eam post natum Christum cognitam a Ioseph, & alios filios habuisse: cōtra eum scripsit Hieronymus, & postea in Hispania Sanctus Illefonfus Archiepiscopus Toletanus. vide concil. lateranens. 1. cap. 3. vbi hanc definit pro de fide. Ad quam licet non sint clara testimonia scripturæ, tamen probatur Isaïæ 7. Ecce virgo concipiet & pariet filiū ergo in partu & in conceptu fuit virgo. Istā auctoritatem pro perpetua Mariæ virginitate omnes sacri doctores interpretantur: linguarum studiosi contra Hebræos ex loco arguunt, quod in Hebræo sit, Haalma, significans virginem absconditam. Vide illos super hunc locum.

Nec

Argument. Nec obstat quod in euangelio dicatur mulier. Ioan. 2. & 19. quia in Sacra scriptura etiam vocatur mulier quæ non est cognita viro. Antequam Eua cognoceretur ab Adam, quia in paradiso non coierunt, dixit Adam genes. 3. mulier quam dedisti mihi. Et ante peccatum. Dixit Serpens ad mulierē. Neq; verba Matth. 2. cap. Antequam conuenirent inuenta est Maria habēs in vtero de Spiritu sancto, aliquid iuuant Eluidium, conuincunt tamen Ebionem & alios, quia non ex Ioseph sed è Spiritu sancto concepit, quia ly antequam in diuina scriptura dicit quod antecederet factum non est, non tamen exprimit quod propterea factum sit postea, sicut dicendo. Antequam domum exirem non manducaui, neque propterea sequitur a negatiua ad affirmatiuam, ergo postea manducaui. Neque obstat id quod dixit Matthæus 1. Ioseph non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum, quia ly donec & similia non significant terminum post quē talis actus seu operatio non sit, imò significant continuationem actus importati per verbum, vt tibi. Psalm. 109. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum, non excludit postea sessionem Christi ad patris dexteram: Simile est Isaïæ 45. Vsq; in senectam ego portabo eos. Vocatur Christus filius primogenitus, non quod postea alij nati sint, sed quia nullus ante ipsum natus fuerit. Quapropter & vnigenitus vocatur primogenitus. Alioquin præcipiente lege primogenitos redimi. Exod. 43. non teneretur redimere vnigenitum, sed expectare aliorum natiuitatem. Dicitur Christus in Euangelio habere fratres, quia Hebræi vocabant omnes consanguineos fratres. Vocabatur Ioseph pater Christi quia nutritius, & quia talis esse putabatur, imo potius credendus est Ioseph permausisse in virginitate.

Propos. 7. Patres veteris testamenti non meruerunt de condigno incarnationem: imò neque ipsa beata virgo. Ita docet Bona. hac. distinct. num. 22. probatur ad Titum 3. Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos. Ephes. 2. propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos Deus cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Christo, ergo non propter merita, quia merita vt sint merita præquirunt vitam spiritualem & quod non sumus mortui. Item Apocalyp. 13. Christus vocatur agnus occisus ab origine mundi, quia ab origine mundi omnis gratia conferebatur in virtute passionis

passionis eius igitur ipsa incarnatio non fuit facta propter hominum merita, quando quidem ipsa hominum merita præsupponebāt incarnationem, fundamentum enim omnis meriti non potest cadere sub merito. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est Ioan. 1. Idcirco dixit Augustinus 13. de Trinit. cap. 19. In rebus per tempus ortis hæc fuit summa gratia quod homo in vnitatem personæ coniunctus est Deo. Hoc exponit Scotus distin. 2. quæst. 1. ad primum principale. i. summa gratuita condescensio voluntatis diuinæ. In 4. d. 2. quæst. 1. ad 3. dicit quod in vniuersis operibus Dei non fuit aliquod opus meræ gratiæ nisi sola incarnatio, quia ad illam nulla merita præcesserunt diuinum ordinem de ipsa incarnatione. Ratione probatur quia dato opposito Christus multum debuisset patribus, propter quorum merita eius anima creata fuisset, & verbo vnita: Neq; ipse Christus illorum fuisset redemptor quod est plusquam falsum.

Proposi. 8. Incarnationis circumstantias, puta accelerationem, hoc est, tempus ipsius: quod è suo genere Christus nasceretur bene meruerunt patres, sed de congruo. Hæc potest poni alijs verbis. Sancti patres de congruo meruerunt incarnationem: sub his verbis ponit eam Thomas. 3. par. quæst. 2. articu. 11. quod est valde notandum contra aliquos Thomistas, qui negant meritum de congruo cum illud ibi expresse concedat Thomas. Sub prioribus verbis ponunt eam Bona. citatus & Scotus modo citatus. Atque Ricardus hac distin. articulo tertio, quæstione prima & in sententia nulla est controuersia nisi forte in verbis. Quoniam qui meretur acceleratione beneficij re vera dicitur mereri ipsum beneficium. Sed probatur sancti patres erant amici & grati Deo & sæpe pro aduentu Messia clamauerunt Isaia. 64. Vtinam dirumperes cælos, & descenderes. 45. Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum, ergo aliquid meruerunt, sed non ipsam incarnationem de condigno, igitur vel ipsam de congruo, vel accelerationem, quia certè non plus est mereri de congruo incarnationem, quam mereri accelerationem: vel saltem non est tantus excessus vt vnum cadat sub merito aliud non. Quod meruerint Christum è suo genere descendere sic probatur genes. 12. per me ipsum iuravi dicit Dominus Abraham, quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gètes, quia obedisti voci meæ: quod semen

semen Apostolus Galat. 3. dicit esse Christum. Non dixit seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo qui est Christus. Vbi ly quia est causalis: ergo obedientia Abraham fuit causa quod Christus ex eius semine nasceretur. Et non fuit aliter causa nisi meritoria & non de condigno ergo de congruo. Et pro solutione aliquorum argumentorum notabis quod in diuerso genere causæ idem est effectus & causa, sicut dixit Arist. 2. Physi. tex. com. 30. siue cap. 3. Sunt quæ sibi sunt mutuo causæ: vt exercitium bonæ habitudinis, & hæc exercitij. At non eodem modo, sed hæc vt finis, illud vt principium motus. Ita in proposito. Incarnatio præuisa & à Deo præuolita causa fuit, & fundamentum gratiæ collatæ patribus: sed merita patrum causa fuere incarnationis in esse reali. Posset dari exemplum. Actus diuinæ volitionis in prædestinatione non cadit sub merito: Consecutio seu effectus prædestinationis bene cadit sub merito. Meritum ergo est causa consequendæ beatitudinis, quod tamen est effectus prædestinationis.

Beata Virgo Maria meruit esse mater Dei. Probatur ex cantu Ecclesiæ. Regina cæli lætare alleluya: quia quem meruisti portare, &c. Hoc meritum ipsa met virgo attribuebat humilitati. Luc. 1. quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Helisabet fidei. ibidem. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Hoc meritum expressit Angelus dicens. Inuenisti gratiam apud Deum.

Dubium est si hoc meritum fuit ex congruo vel de condigno. *Propo. 10.* Sanctus Bona. negat quod meruit ex condigno, sed quod ante annuntiationem meruit ex congruo, post annuntiationem de digno. Meritum de digno iam in 2. lib. distin. 27. negauimus. Ricardus art. 3. quæst. 1. dicit quod meruit ex congruo. Sequitur Caietan. in 3. par. quæst. 2. art. 11. in calce. Ratio huius opinionis sumitur ex ratione meriti de condigno quod debet esse secundum legem, nulla tamen lex apparet de acceptandis meritis aliquius scemina ad maternitatem. Potest sic confirmari. Beata virgo ante annuntiationem Angeli non erat sufficienter digna vt esset mater Dei, quia non habuit sufficientem gratiam ad maternitatem quousq; Spiritus sanctus superuenit. Sed ille aduentus Spiritus sancti disponens illam virtutem, verbi susceptiuam, tribuendo & generatiuam fuit ex gratia ergo non ex meritis & dignitate ipsius, & per consequens non meruit ex condigno, quia

nulla extiterit merita ad hoc sufficientia.

Alia est opinio quod meruit esse mater Dei ex condigno. Hanc reputat probabilem Gabriel hac dist. art. 3. dub. 3. Ratio quia maternitas non excedit humanum meritum, sicut excedit ipsa incarnatio, & maius est esse beatum, quam corporalem matrem Christi, ut dixisse videtur Dominus Matth. 12. Quicumque fecerit voluntatem patris ipse meus frater, soror & mater est. Posset confirmari per illud Genes. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem & semen tuum & semen illius, ipsa coteret caput tuum. Et Hierem. 31. Nouum faciet Dominus super terram scemina circūdedit virum, igitur videtur facta lex. Sed reuera cum non appareat lex de acceptandis meritis ad maternitatem potius est dicendum quod meruit ex congruo. Ad fundamentum Gabrielis dic, quod non valet argumentum de maiori ad minus, sicut non valet: percussiens clericum est excommunicatus: occidens hominem maius peccatum facit, ergo est magis excommunicatus: quia ubi est necessaria lex non valet tale argumentum. Facit cap. quod translationem, extra de officio legati. Vbi habes quod ea quæ sunt reseruata Summo Pontifici in signum singularis priuilegij, non committuntur per generalem commissionem. In quibus enim est exorbitantia non fit extensio per maioritatem rationis. Ratio Gabrielis conuinceret de quacumque muliere, sic Sarra aut Rebecca meruerūt de condigno beatitudinē, ergo, & esse matres Dei. Argumentum bene probat quod si fieret lex posset mereri de condigno, quia cum facta lege mereatur aliqua ut Virgo beatitudinē, quæ est maius bonum, facta lege de maternitate posset illam mereri. Lex non probatur per citatas auctoritates Genesios, & Hieremiæ, quia solum prædicunt futura: lex sonat in generali. sicut 1. Regu. 17. Qui percusserit Philistæum ditabit rex eluuijs magnis & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel. Neque per annuntiationem angeli factum fuit aliquod pactum, seu conuentio, quod propterea quia hoc faceret aut illud, futura esset mater Dei.

Propo. 11 Beata Virgo toto tempore vitæ suæ profecit in merito, merendo augmentum gratiæ, & gloriæ. Hanc tenet Frater Andreas Vega lib. 10. super Decret. cap. 2. Et est pro hac sententia Augustini quam vide in litera distinct. 36. dicentis. Charitas plenissima, quæ non possit augeri quamdiu homo viuit in nemine est.

est. Videturque contra Almain. dist. 3. quæst. 2. dicentem quod in conceptione filij tantam recepit perfectionem quantam poterat recipere, aliàs mentitus fuisset Angelus dicendo. Ave gratia plena. Scotus in. 4. dist. 4. quæst. 6. ad 1. ponit sub dubio si in cōceptione filij habuit illam plenitudinem gratiæ ad quam Deus disposuit ipsam peruenire. Ratione probatur conclusio quia aliàs auferrentur à virgine magnæ occasiones merendi nutriendo filium, & ei compatiendo. Neque apparet ratio, aut priuilegium quare cum esset merè viatrix fuerit in termino merendi. Imo crederem quod sicut neque peccauit, ita neque habuit vnamquam actum indifferentem. Ad verba Angeli dicito, quod ante eius aduentum erat plena gratia correspondente statui præcedenti conceptionem: in conceptione gratia correspondente maternitati: Per vitam gratia & meritis correspondentibus futuræ gloriæ. Alioquin cum verba Angeli dicta sint ante conceptionem, conuincerent quod in conceptione nullam gratiam recepit.

DISTINCTIO V.

De terminis assumptionis.



Persona diuina assumpsit naturam humanā. Ita Magister in litera, & iam supra probata est esse de fide. Persona diuina non assumpsit personam humanam, Magister in litera. Et est de fide contra Nestorium ponentem in Christo duas personas, quia si assumpsisset personam humanam forent in Christo sicut duæ naturæ, ita & duæ personæ. Pro hac assertione Catholica est conc. Constantinopolitanum quintum cap. 5. dicens: Si quis conatur introducere in mysterio Christi duas substantias vel personas, sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt anathema sit. Ratione sic. Assumi à verbo est dependere ab ipso verbo personaliter: sed esse personam in se dicit independentiam, ergo implicat contradictionē personā assumi. Secundo sic. Suppositū ideo dicitur quia supponitur his quæ pertinent ad indiuiduū naturæ; cuius est suppositū recipiēs eorū prædicationē, ut homo est

Proposit. 1.

proposi. 2.

suppositum humanum, quia in prædicatione supponitur rationali & risibili: Sed si verbum assumpsisset personam humanam, ea quæ sunt hominis verificarentur de alio quàm de verbo, quod est plusquàm falsum. vide Alex. 3. par. quæst. 4. M. 6. Bonau. & Ricard. hac Di. Thom. 3. par. quæst. 2. art. 3.

Proposi. 3. Natura diuina nõ est vnita personæ humanæ, hoc est, quod natura diuina non assumpsit personam humanam. Magister in litera. Et pbatur quia est implicatio cõtradiçtionis ex eo quod natura diuina est supposita tribus diuinis suppositis, à quibus nullo modo potest absolui, sicut potest natura humana absolui à suo supposito, etiã post suppositionem: neq; natura diuina est suppositabilis ab alieno supposito, quia esset potentialis, & imperfecta, ergo ipsa non est vnibilis supposito humano.

Proposi. 4. Ex eo quod persona diuina assumpsit naturam humanam istæ sunt concedendæ. Natura diuina assumpsit naturam humanam, Natura diuina vniuit sibi naturam humanam. Natura diuina est incarnata. Magister in litera. §. Nos autem. Ratio huius est quia facta vnione immediatè ad personam, cum ipsa diuina persona sit essentia diuina, mediate seu secundario fit vnio ad naturam diuinam. Non tamen concedit Magister quod natura diuina debeat dici caro facta, licet videri posset esse idem, caro facta & incarnata. Ratio est quia non inuenitur talis modus loquendi in Sacra scriptura, & videtur hic modus locutionis facere nimiam expressionem. Neque etiam concedit Magister quod natura diuina facta sit homo: vel sit homo, quia licet vnuerit sibi formam hominis, sed non in vnitatem, & singularitatem sui. Alexand. 3. par. quæstione. 4. M. 3. etiam negat hanc. Assumpsit humanam essentiam, quia licet sit idem realiter cum natura, tamen essentia significat rem secundum esse, & natura non fuit in esse ante assumptionem. Natura quia respicit rem in fieri conceditur, quia res quæ non erat, sed fiebat assumebatur, & quia differunt ratione conceditur vna, & non altera.

Proposi. 5. Dubium est quid sit ratio in verbo terminandi istam vnionem: de quo inuenio quatuor opiniones. Prima est Scoti qui tenet quodlib. 4. lit. M. & lit. Y. quod in diuinis est duplex subsistere essentiali & personale. Tenet igitur Scotus quod relatio est terminus vnionis, quia verbum per illud terminat per quod subsistit scilicet per

per subsistentiam personalem. Pro Scoto & quod sit subsistere personale est Sophronius Episcopus Hierosolymorũ in epistola missa ad sextam Synodum generalem sess. 11. inueniens Trinitatẽ in vnitatem credimus. Trinitatẽ quidem pro tribus subsistentijs, vnitatem propter singularitatem Deitatis. Caiet. 3. p. q. 3. ar. 2. tenet cũ Scoto de duplici subsistere. Bona. hac. d. nume. 16. dicit. Esse terminum vnionis, respicit ipsam personam proprie & per se, & conuenit naturæ diuinæ ratione personæ. Ad idẽ est Tho. 3. p. q. 3. ar. 2. Possumus ad idem afferre Alex. 3. p. q. 4. M. 1. quod esse terminum conuenit naturæ diuinæ, ratione personæ.

Secunda opinio est Durandi in hoc. 3. d. 1. q. 2. quod in diuinis est vnicum subsistere, scilicet essenziale: Et quia persona per id terminat per quod subsistit, dicit quod terminat per essentiam. Propter quod de facto dicit, quod natura humana est vnita primò essentiæ, & quia hæc vnio non sufficit vt dicatur vnio personalis, facta est alia vnio ad ea, quæ sunt propria personæ, videlicet, ad relationem. In hac opinione Durandi facilius defensatur propositio asserta à Ma. præcedenti. p. videlicet Diuinitas, seu natura diuina est incarnata. Quam alij hac ratione negant. Incarnatio significat ex parte carnis naturam humanam, ex parte termini ad quem fit vnio, siue assumptio ipsum terminum primarium: Sed diuinitas non est primus siue primarius terminus, ergo non est incarnata. Qui defendet Magistrum respondebit, quod ex parte termini significatur non solum terminus primarius, sed etiam secundarius.

Tertia opinio est media, quam tenebat Salmanticæ Frater Franciscus de Victoria, quod verbũ terminat ratione essentiæ, nõ quod essentia sit terminus immediatus vnionis, sed quod sit ratio propter quam verbum terminet, sicut pater ab essentia habet quod generet filium tamen ipsa essentia non generat.

Quarta opinio est Ocham in. 3. q. 1. ar. 2. quod persona secundũ se totam terminat vnionem, ita quod nec essentia neq; proprietates personalis, sed totum constitutum. Consentit Gabriel in hoc. 3. d. 1. q. 1. ar. 1. notabili. 5. Sed quia prima opinio est probabilior & stãdo in illa facilius soluuntur argumẽta cõtraria. Sic arguõ pro illa. Quicquid primo conuenit essentiæ & nõ repugnat alicui personæ conuenit omnibus tribus, sed non repugnat alicui personæ terminare prædictam vnionem, & per se conuenit primo essentiæ,

ergo qualibet persona est vnita & incarnata, quod est plusquam falsum. Hoc argumentum facit Ocham vbi supra. Ratio propter quam dixit in maiori, & non repugnat alicui personæ fuit propter relationem, quia filiatio repugnat patri. Cōfir. Aliquid est in verbo, quod fit ratio terminandi istam vnionem, quod non est essentia, ergo est relatio & per illam terminat. Cōfirm. 2. Ista vnio est ad personam, ergo per illud terminat Verbum, per quod habet subsistere personale. Ceterum de alio termino ad quem assumptionis, quid dici potest terminus productus siue acquisitus per vnionem, magna solet fieri quæstio. Theologicè loquendo ac realiter, ipse est Deum esse hominem: Verbum subsistere in natura humana & esse Christum. Metaphysicè quærent de alio termino formali, & citant Alexan. 3. p. q. 7. M. 2. arti. 1. quod fit talis terminus. Primo productus gratia vnionis id est entitas, siue qualitas absoluta. Et Scotum quod fit relatio disquarantia extrinsecus adueniens, videlicet ipsa vnio passiva ex parte creature, in hoc. 3. d. 1. q. 1. Sed siue consideretur relatio vnionis præcedere aliqua prioritate subsistere verbi in natura humana, siue consideretur, ex ipso subsistere in hac natura, insurgere relationem dependentiæ ipsius naturæ ad verbum, hæc vnio est substantialis & non accidentalis quod fatetur & ipse Scotus, ex Damasceno. d. 7. q. 1. litera D.

Proposi. 6.

Si potest fieri vnio immediate ad essentiam dubium est. Alexand. 3. p. quæst. 2. M. 2. videtur tenere quod non, quia dicit. Dico quod abstractis personis non intelligo diuinam naturam posse vniri, & si aliquis posset hoc intelligere, ego non intelligo. In idem est Bonauen. hac. distin. numero. 17. Scotus mihi videtur esse dubius, quoniam licet in prima. d. huius quæst. 2. teneat quod possit fieri vnio immediate ad essentiam, tamen hac. distin. 5. videtur dicere cum formidine, & sub conditione quia dicit quod si in terminante vnionem sufficit singularis per se existentia quod poterit essentia terminare. Si autem sit de ratione assumptis substantia incommunicabilis non poterit. Ad idem est in reportatis d. 1. q. 3. quærens si tres personæ possunt eandem humanitatem assumere. Dicit. Si ratio terminandi potest esse in pluribus simul possent, si non, non. Hoc dixit propter essentiam, si potest esse ratio terminandi. Sed in eisdem reportatis hac. d. videtur expresse tenere quod essentia

essentia non possit terminare. Ioannes de Bassolis distin. 1. quæst. 4. notabili, ex prædictis concludo, etiam est dubius. Durandus asseueranter tenet, quod possit fieri talis vnio, quia cum in suis principijs factæ sint duæ vniones, prima immediate ad essentiam, & sint duæ vniones realiter distinctæ, potest vna esse sine alia, quia vnio ad essentiam non dependet ab alia. Nam si dependeret per prius fuisset vnio ad personam, quod negat opinor. Almainus disti. 1. quæst. 1. dubio vltimo, expresse tenet quod possit fieri vnio ad essentiam immediate, non tamen suppositaretur natura humana in essentia diuina. De Thoma mihi est dubium quid senserit, in. 3. p. quæst. 3. artic. 3. videtur tamen tenere partem affirmatiuam. Et Caietanus sic interpretatur.

Facta vnione immediate ad essentiam dubium mihi est. *Proposi. 7.* an istæ essent veræ. Essentia diuina est homo, Deus est homo. Cum homo sit nomen suppositi. Et mihi est dubium si propter immediatam vnionem ad essentiam qualibet persona diuina debeat dici homo. Almainus vbi supra citatus tenet, quod sic. Ad quod est Ocham in hoc. 3. quæst. 1. artic. 2. impugnans, quod essentia fuerit immediatus terminus vnionis: deducit pro inconuenienti, quod quæ nunc conueniunt filio conuenierent & patri. Durandus concedens vnionem ad essentiam in. 1. dist. quæst. 4. concedit, quod ista est vera, Deus est homo. Si arguatur, Deus est Pater, Filius, & Spiritus, ergo Pater est homo, Filius est homo, Spiritus sanctus est homo, negat: sed quod addendum fit in quantum Deus. Sed reuera abutitur Durandus terminis dialécticis, quia reduplicatiua exponitur per quatuor exponentes copulatiue quarum vna est præiacens, scilicet Pater est homo. Igitur vt ista sit vera, Pater in quantum Deus non est homo, debet etiam ista esse vera Pater est homo, quia quod primo conuenit essentia conuenit tribus personis.

D I S T I N -

DISTINCTIO VI.

In qua Magister ponit tres opiniones circa hanc vniōē.

Proposi. 1.

Rima opinio citata à Magistro ponit hæc quatuor. Primum, quod in ipsa verbi incarnatione homo quidam est constitutus ex anima rationali, & humana carne. Secundum, quod ille homo cepit esse Deus, & Deus cepit esse homo ille. Tertium, quod ille homo est assumptus à verbo, & vnitus verbo, & est verbum. Quartum, quod hæc est vera, Deus factus est homo, & ista homo factus est Deus. Hanc opinionem Diuus Thomas. 3. p. q. 2. ar. 6. dicit esse hæreticam, & ponere in Christo duo supposita, & propterea coincidere cum Nestorio ponente duas personas. Sanctus Bona. in quæst. literali dicit quod suppositis præmissis necessario debet dicere ista opinio, quod Christus sit duo, & quod ab isto denominatur opinio hæc. Sed in. 1. q. clare dicit, quod ista opinio non est hæretica, tamen dicit aliquid adeò improbabile quod paucos, aut nullos habet defensores. Alex. 3. p. q. 6. M. 1. §. 2. videtur etiam esse in eo, quod sine hæresi possit defendari. Cum eis erat Frater Andreas Vega, quod nihil hæreticum diceret saltem in sensu. Scotus hac. d. q. 3. dicit, quod hæc opinio nõ tenetur cõmuniter, quia assumens nõ est illud quod assumitur, Verbum autem est ille homo. Et revera hæc opinio non ponit expresse duo supposita in Christo: sed, quod in incarnatione homo quidam est constitutus ex anima & carne, & hoc non est hæreticum, quia est ipsemet Christus ex anima rationali, & humana carne subsistens. Neque propterea, quod dicit illum hominem fuisse assumptum ponit, quod præextiterit ille homo suppositans propriam naturam. Sed in verbis videbatur concedere, quod homo ille, qui ex natura humana & supposito verbi constituebatur, posset dici assumptus. De alijs cõcessis ab hac opinione infra sequenti distinctione.

Proposi. 2.

Secunda posita à Magistro, ponitur esse sententia Catholice fidei, & non opinio. Stat vero ipsa in his. Primo, quod homo ille non constituebatur ex anima rationali & carne tantum, sed diuinitas & humanitas (quæ humanitas constat ex anima rationali & carne) concurrebant, & sic vna persona constabat his tribus substã

tijs, quæ

tijs, quæ persona est Iesus Christus. Secundo quod illa persona ante incarnationem erat simplex, post incarnationem est cõposita ex diuinitate & humanitate. Non quod sit alia persona quam prius: vel quod sint duæ personæ: sed quod in incarnatione facta est hominis persona. Tertio quod illa persona nõ debet dici simpliciter facta persona, sed cum addito potest concedi: persona verbi in incarnatione facta est persona hominis. Quarto sequitur ad istam opinionem vt dicit Bona. in quæst. literali, quod est vnũ & non plura. Circa primum aduerte, quod Scotus vbi supra citatus dicit, quod communiter non tenetur personam Christi esse cõpositam proprie loquendo de cõpositione, scilicet ex actu & potentia, sicut ex materia & forma: vel ex duobus potẽtialibus, qualia sunt ista quæ apud Philosophũ dicuntur elementa, & integritia naturam totalem: Autoritates Damasceni sonantes illam personam cõpositam exponit, quod ita verè est ibi ista natura tam diuina quam humana ac si componerent personam. Denotant ergo sancti vniõnem duarum naturarum sed nolunt dicere esse cõpositionem more nostrarum cõpositionum, quia per cõpositionem ex multis fit vnum vt deduces ex Aristo. 7. met. cap. 17. Ricardus hac. d. ar. 2. q. 3. dicit, quod nec ante incarnationem, neque post incarnationem persona Christi est cõposita, tamen post incarnationem est in ea aliqua similitudo alicuius proprietatis totius cõpositi. Omnibus tamen pensatis, ait, quod persona Christi non debet dici cõposita. Thom. 3. p. q. 2. ar. 4. concedit, quod persona verbi post incarnationem est cõposita. Et quidem in re omnes conueniunt. Primum non est quæstio si persona verbi per communicationem idiomatum debeat dici cõposita, quia sic verum est. Nam per communicationem idiomatum, Deus est homo, & homo est cõpositus ex anima rationali & carne, ergo Deus est cõpositus ex anima rationali & carne. Et per consequens persona verbi quæ etiam est verè persona humana, vt habes in litera huius secundæ positionis, est cõposita prout est persona humana, quia persona humana componitur ex materia & forma. Bene quidem est in hoc aduertendus modus loquendi, & exprimendi sensum Catholicum, quia sanctus Bona. hac. d. numero. 19. faciens præfatum argumentum negare hoc videtur. Neque est quæstio an persona verbi sit cõposita in natura, quia hæreticum esset dicere, quod ex diuina & humana natu

h ra

ra resultauit tertium. Sed est quæstio, an persona verbi prout subsistit in humanitate sit composita ex diuina persona & humanitate. Qui loqui voluerit sicut hac. d. & sequenti Magister sæpe loquitur, vocando personam Christi compositam, cauere debent, ne dicant naturam diuinam, & naturam humanam esse partes Christi. Non enim est ponenda compositio ex partibus, quia de ratione partis, vt dicit Gabriel hac dist. quæst. 2. dubio primo, sunt duo. Primum, quod realiter distinguatur ab eo cuius est pars, nihil enim est pars sui ipsius: Ideo anima in qualibet parte corporis non est pars animæ sed ipsamet anima. Secundum, quod ipsa pars cum alio componat seu integret totum, ideo scientia in anima non est pars animæ, quia siue adsit siue absit, anima semper est eadem. Diuina ergo natura non est pars Christi, aut Verbi propter defectum primi; quia est eadem realiter verbo. Propter secundum natura humana non est pars verbi, quia siue ipsa sit, aut non sit assumpta verbum semper est idem. Secundo vt caute loquantur in ista materia, debent addere dicendo, persona Christi est composita compositione ineffabili, aut alterius rationis ab omnibus compositionibus. Vide Caietanum vbi supra, Thomam quæst. 2. articu. 4. ponentem plures modos compositionis, quorum ille qui est ex natura & supposito, si auferatur ab eo, quod est imperfectionis ex parte suppositi, est qui ponitur in persona Christi. Idcirco, quamuis magis proprie, vt ait Bonauen. nu. 16. dicatur Hypostasis esse in duabus naturis, quam ex duabus naturis, nihilominus recte dicitur in duabus subsistere, & ex duabus subsistere, vt patet in litera Magistri huius positionis secundæ. Et d. 7. cap. 2. In sexta Synodo generali actione. 4. epistola Agathonis papæ missa ad imperatorem & ad Concilium, sic dicit. Saluatoris nostri Iesu Christi duas naturas prædicamus diuinam scilicet & humanam, ex quibus & in quibus, etiam post admirabilem atque inseparabilem vnionem, subsistit. Et in ordinatione Episcoporum vt habetur in pontificali Romano dicitur. Credis vnicum, & vnum filium Dei in duabus, & ex duabus naturis? & respondetur. Credo.

Proposi. 3. Tertia positio quæ habetur in litera, tempore Magistri non constabat esse hæretica: postea damnata fuit ab Alexandro papa tertio

tertio: habetur extra de Hæret. ca. Cum Christus. Hæc positio seu hæresis dicebat hæc. Primò, quod non solum persona verbi non esset composita ex duabus naturis, verum negabat ex anima & carne aliquem hominem vel aliquam substantiam esse compositam vel factam. Secundò, quod verbum assumpsit animam & carnem velut indumentum, quo vestiretur, vt mortalium oculis appareret. Tertio, quod illa duo, scilicet anima & corpus, vel aliqua res ex illis composita non est vna persona cum verbo, vel est verbum. Quarto, quod homo prædicatur de verbo non essentialiter sed secundum habitum, hoc est accidentaliter. Contra hanc sic dicit Alexan. Mandamus quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cætero audeat dicere Christum non esse aliquid secundum quod homo: quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo ex anima rationali & humana carne subsistens, igitur ex anima & carne facta fuit natura humana. Dicere vero, quod sit verbum vnitum humanitati sicut indumento coincidit cum Nestorio dicente, quod verbum erat vnitum homini Christo secundum in habitationem sicut in templo suo. Sanctus Bonauent. in quæstione literali dicit, quod non est credendus Magister fuisse huius opinionis, nec dicere hoc asserendo, sed aliorum opinionem referendo. Et quidem quamuis damnatus esset Nestorius, tamen hæc assertio tempore Magistri putabatur esse alia à Nestorio, ideo excusabantur qui illam tenebant: Scotus hac dist. quæst. 3. dicit, quod autoritates quæ sonant naturam humanam assumptam vt habitum, sicut illa Philippen. 2. Et habitu inuentus vt homo, esse exponendas propter quandam similitudinem huius naturæ ad habitum. Sicut enim habens habitum non mutatur, sed magis habitus mutatur: & ille sub habitu occultatur ita persona diuina non mutabatur in ista vnione, sed natura humana quæ quasi occultauit personam verbi, Ezech. 32. solem nube tegam. Per hoc patet quid intelligant prædicatores & quomodo sint interpretandi quando sæpe dicunt Christum induisse nostrum corpus, nostram mortalitatem, nostram humanitatem.

DISTINCTIO VII.

*Septima explicat ambiguas locutiones seu propositiones
præcedentis distinctionis secundum singulas tres po-
sitiones.*

Proposi. 1.



Stæ, Deus est homo, Homo est Deus sunt veræ atque
de fide contra Ebinionem. Et quamuis non habeantur
expressè in sacra scriptura deducuntur manifestè. Nā
ista est in Sacra scriptura Ioann. 1. Deus erat verbum:
Verbum caro factum est, ergo Deus caro factus est, & sic, Deus
est homo. Secundo ista docetur per totum Euangelium, Chri-
stus est homo, Iesus est homo. Nam Ioann. 9. dixit cæcus. Ille ho-
mo qui dicitur Iesus. Et Petrus. Mat. 16. Tu es Christus Filius Dei
viui. Ista etiam est in scriptura, Iesus est Deus, Christus est Deus.
Ad Titum. 2. Expectantes beatam spem & aduentum gloriæ mag-
ni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Et alias sæpe, ergo Deus
est homo, & homo est Deus. De ratione huius veritatis sunt di-
uersæ sententiæ, Manichæus qui negavit assumpsisse veram car-
nem consequenter diceret: quod est homo non verus, sed simili-
tudinarius seu phantasticus. Contra quem vide supra. d. 2. p. 1. Ter-
tia positio supra citata dicit, quod homo prædicatur de Deo se-
cundum habitum. His & similibus omisis inter Catholicos est
varietas. Sanctus Bonaventura hac. d. q. 1 dicit, quod in hac, Deus est ho-
mo est singularis modus prædicandi. Non est enim prædicatio
essentialis, neque causalis, neque per inhærentiam, sed per vnio-
nem, quæ vnio cum sit singularis habet singularem modum
prædicandi, neque reducitur ad alios modos prædicandi consue-
tos. Scotus hac. d. quæst. 1. dicit, quod quantum est ex parte
prædicati est prædicatio speciei de indiuiduo quia homo est spe-
cies: sed quantum est ex parte modi se habendi, quia prædicatum
non est de ratione subiecti & aduenit subiecto existenti in actu
completò, ita vt posset abesse, id est, verè negari est prædicatio
accidentalis logicè loquedo: Non autè est de per accidens prout de
accidente

accidente loquitur Metaphysicus. Pro quo recordare quod logi-
cus loquitur de accidenti præcipue in propositionibus pro inten-
tione secunda facta ab anima circa contingentem inhærentiã præ-
dicati ad subiectum: Metaphysicus prout accidens est natura rea-
lis dependens ad subiectum. Natura humana non est accidens,
quia quod vere est nulli accidit 1. Physic. Tex. com. 27. propter
ea ista vnio non vocatur accidentalis. Neque conceditur esse es-
sentialis, sed substantialis, citat Scotus ibi Damascæ. Secundo di-
cit Scotus quod ista, Christus est homo neq; est omnino de per-
se, quia subiectum non habet omnino per se vnum conceptum.
Dicit enim Christus suppositum in duabus naturis. Neq; est om-
nino de per accidens, quia subiectum includit prædicatum, scili-
cet Christus hominem. Sanctus Thomas. 3. par. quæst. 16. art. 1.
dicit quod ista, Deus est homo est vera nõ solum propter veritatẽ
terminorum, sed propter veritatem prædicationis, quia ly Deus
in proposito supponit pro persona filij, de qua quia est suppositũ
naturæ humanæ, ita verè prædicatur homo sicut de Petro. Caet.
ibi dicit quod ly Deus potest supponere absolute secundum suã
naturalem suppositionem pro habente deitatem, sicut cum dici-
tur, Deus charitas est 1. Ioan. 2. Potest etiam supponere contractè
pro certo supposito diuino, quia secundũ suppositionẽ talia sunt
subiecta qualia permittuntur à prædicatis, vt ibi, Deum de Deo
in symbolo supponit p Patre & Filio. Sic ergo dicit quod primo
modo sumendo, ipsa propositio est vera per accidens; sicut ani-
mal est homo: quia accidit logicè loquendo animali esse hominẽ:
secundo modo dicit illam esse veram necessariam & perse. Pro-
pterea debet reduci ad materiam propositionis naturalis, in qua
prædicatum conuenit subiecto essentialiter aut saltem necessario,
quia secundum aliquos Thomistas non inconuenit propositio-
nem istam quæ antè incarnationem erat in materia remota super-
naturaliter transire de materia in materiam.

De his, Christus est homo, Iesus est homo, verbum est homo,
idem videtur dicendum, quàmuis vltima Verbum est homo
maiores habeat difficultatem, quia fuit falsa in triduo, & sic vi-
detur fuisse contingens: quod etiam posset argui de illa Deus est
homo, sed non est animus prosequi logicalia.

Ista Deus factus est homo est vera: probatur Ioan. 1. verbũ caro
factum est. Ratio huius est quia factio quando prædicat tertium
adiacens

adiacens denotat subiectum fieri secundum illud quod importat prædicatum: esse hominem verè de Deo prædicatur non ab æterno, sed ex tempore, & hoc per aliquam factionem, quia modo est homo & non fuit semper homo, ergo Deus factus est homo.

Propositi. 3. Ista, Homo factus est Deus communiter negatur. Demonstrato verbo ipsa est falsa, quia nunquam fuit iste homo quin esset Deus. De qua Bona. nu. 22. & Tho. 3. p. q. 16, art. 7. annotat quod tripliciter potest intelligi. Vno modo quod ly factus determinet subiectum, vel prædicatum, & ita est falsa, quia neque homo est factus, neq; Deus est factus. Sed in hoc sensu non est quæstio de ista propositione. Secundo modo vt ly factus determinet vt in modalibus compositionem, & tunc facit sensum. Deum esse hominè & hominè esse Deum factum est: Iste sensus est verus, sed propositio est impropria, quia ly factus non facit propositionem modalem. Tertio modo secundum quod ly factus ponit fieri circa hominem respectu Dei, & isto modo est neganda. Scotus hac. d. q. 2. ipsam concedit absolute, & quod simpliciter est vera, quoniam apud Scotum fieri nõ denotat mutationem illius de quo dicitur, neque requirit quod subiectum præcesserit respectu termini factionis, quia verum est dicere de anima nunc creata, quia nunc incipit animare corpus, neque tamen prius fuit quin animaret corpus, quia inceptio quando prædicat tertium adiacens nõ notat præcessionem subiecti ad prædicatum. Verum est tamen quod idè Scotus in reportatis magis videtur dubitare, dicit enim hac. di. q. 3. quod si factio non importat nisi habitudinè ad causam facientem & ad oppositum præcedens tunc potest concedi quod homo factus est Deus, tamen cõmuniter cõceditur quod illud quod fit secundum quid habet illa duo, & cum hoc præcedit natura terminum formalem, & secundum hoc ipsa est falsa. Hæc Scotus. Quoniam verò aliquæ autoritates sanctorum videntur sonare hominè factum fuisse Deum, vt est illa Augusti. lib. 1. de Trinit. cap. 13. citata à Scoto. Talis fuit illa vnio quæ Deum faceret hominem: & hominem Deum: bona est distinctio posita à Thoma vbi supra quod ly homo potest supponere simpliciter, & tunc accipitur pro illo, quod primo per se & formaliter significat, ita quod nõ pro aliquo inferiori, & sic est vera. Et possumus dicere q; in isto sensu concedatur à sanctis: quando supponit personaliter ipsa est falsa, quia

quia nunquam fuit iste homo quin esset Deus. Scotus autem quia recurrebat ad hoc quod ista, homo factus est Deus esset conuertens illius, Deus factus est homo, non videtur accepisse hominem prout supponit simpliciter, quoniã in conuersione seruari debet eadem suppositio. Est homo dictus de Christo terminus absolutus & non connotatiuus. Vniuoce enim prædicatur de Christo & de nobis, ita docet Alexan. 3. par. quæst. 4. M. 7. ad 1. argumentum: Et Scotus hac dist. quæst. 1. litera. C. & idem Scotus. distin. 22. ante literam. A. citato Damasceno.

In Christo est vnum esse subsistentiæ, idest, vnum esse personale & duplex esse essentiæ. Esse autem essentiæ & essentia idem sunt, differunt tantum in modo concipiendi, quia esse concipitur in concreto, essentia in abstracto, sicut sapientia & sapere. Estq; in Christo essentia diuinitatis & essentia humanitatis. De esse actualis existentiæ controuersia est. Thom. 3. par. quæst. 17. art. 2. tenet quod est vnum esse actualis existentiæ. Et videtur fuisse opinio Bonau. distin. 6. num. 10. Dum soluit argumentum hoc: differentia essentialis dat esse, contrahit enim differentia genus ad speciem ergo diuersæ differentie essentielles dant diuersa esse: Sed in Christo est differentia essentialis naturæ humanæ, scilicet rationale, differens essentialiter à natura diuina, ergo habet Christus diuersa esse. Responder, quod diuersæ differentie essentielles dant diuersa esse, est verum quando suppositum non præcedit quantum ad esse actuale aliquam differentiam illarum, sicut est in proposito, vbi Verbum est verè suppositum humanum, & vere persona humana, præcedens tamen essentialem differentiam hominis igitur Bonau. in eo est quod quia esse naturæ humanæ aduenit verbo, non dat ei esse simpliciter, sed dat esse secundum quid, ad modum accidentis. Habet natura humana suum significatum per modum formæ qua aliquid est, vt verbi gratia, albedine est album, sic humanitate est homo: Suppositum verò, vt quod est: igitur si in Verbo natura humana non habet proprium suppositum, ipsa non erit quod existit, neque quod aliud existit, & per consequens non habebit existentiam propriam. Confirmatur quia eo quod sortis est persona existit actu, sed si ex propria personalitate venit existentiã, vbi nõ fuerit propria personalitas neq; etiam erit propria actualis existentia. Vnum dico q; nisi Thomã loco citato sui sic interpretaretur, q; ponat esse vnicum

Propositi. 4.

vnicum actualis existentia: in citato arti. potius loqui videbatur de vnico esse personali. Sequitur autem in hac opinione quod esse personale est prius saltem consideratione, quam esse existentia. Scotus distin. 6. quaest. 1. tenet quod est duplex esse actualis existentia, quia apud Scotum aliud est humanam naturam actu existere, aliud subsistere. Et sicut verbum diuinum simpliciter est homo; ita simpliciter existit existentia humana. Non enim vt dictum est distin. 6. par. 2. humana natura est pars Christi, quia pars est imperfectum ens respectu totius: Sed Christus sicut est perfectus Deus ita est perfectus homo, vt habes in Symbolo Athanasij, ergo humana natura in Christo habet esse actualis existentia distinctum, ab actuali existentia diuina. Sequitur Scotum schola Nominaliu. Quæstio autem est plus Metaphysica quam theologica. Sed pro Scoto cuius opinio videtur facilior, & probabilior facio hanc apparentiam Theologicam quia dato opposito quod esse personale, siue subsistentia includeret esse existentia, Angeli & daemones potuissent naturaliter cognoscere incarnatione quia videbant humanitatem, que non habebat existentiam propriam: Sed creatura que non habet existentiam propriam necessario existit in alia natura: Et poterant naturaliter videre quod non existebat in natura Angelica, neq; in alia inferiori, quoniam natura inferior non potest sustentare superiorem, ergo poterant cognoscere naturaliter quod sustentabatur à natura diuina. Ad hanc rationem vide in 2. distin. 8. par. 9.

Proposi. 5. Circa prædestinationem Christi quædam propositiones negantur quædam conceduntur. Hæc negatur ab Alexan. 3. par. quaest. 3. M. 1. & à Bonau. hac. d. num. 25. à Ricard. hac. d. art. 2. quaest. 1. filius Dei est prædestinatus quia prædestinatus præcognoscitur à Deo habiturus finalem gratiam in præsentia, & gloriam in futuro: Sed filius Dei ab æterno est gloriosus, ergo non fuit præcognitus neque præordinatus ad gloriam. Ad dendo secundum quod homo, si capitur ly secundum reduplicatiue ipsa etiam est falsa, habet enim exponentes falsas: siue vt alij malunt reiiciendo quatuor exponentes exponere per causam, quæ causa si vera est vera sit reduplicatiua, si falsa, falsa sit ipsa reduplicatiua. Causa prædestinationis in proposito erit humanitas siue esse hominem, que causa est falsa. Quia esse hominem non est præcisa causa prædestinationis. alias enim omnes homines forent prædestinati. Specificatiue

ficatiue ipsa est vera, quia denotat & specificat conditione hominum esse quod prædestinentur, & attribuitur personæ filij Dei non secundum se, sed secundum quod subsistit in natura humana. Propter quæ rationem & ista conceditur, Christus est prædestinatus. Vide Ricard. vbi supra, & Tho. 3. p. q. 24. art. 1. Et probatur ex August. Tract. 105. super Ioan. Quisquis filium Dei prædestinatum negat, hunc eundem filium hominis negat. Ratione. Christus est homo, & non reprobatus, ergo prædestinatus. Aduertendū discrimen inter Scotum hac d. & Tho. vbi supra art. 1. ad. 2. quia Scotus cõcedit humanitatem Christi fuisse prædestinatam, Thomas negat, sed quod prædestinatio est suppositi & non naturæ. Fortè possent cõcordari dicendo quod prædestinatio primo & per se est suppositi, nihilominus tamen est naturæ: Sicut dicimus, Anima Petri est prædestinata, videt Deum, cum iuxta sententiam communem actiones sint suppositorum. A simili, prædestinatio est suppositi quia est ordinabile ad beatitudinem, nihilominus potest conuenire animæ & humanitati, maxime in Christo vbi humanitas non est in proprio supposito. Prædestinantur suppositum & natura non diuersa prædestinatione, sed eadem. Est in alio discrimen inter Thomam & Scotum, quia Scotus tenet quod prædestinatio Christi habet pro termino beatitudinem, & non vnionem hypostaticam: & ita prius sit istam naturam ordinari ad beatitudinem, deinde ad vnionem. Quod sic persuadetur. Christi prædestinatio est eiusdem rationis cum nostra prædestinatione: sed prædestinatio nostra est præparatio gloriæ & gratiæ, ergo & prædestinatio Christi, & per consequens prius est ordinari ad gloriam tanquam ad finem. Confirmatur quia ad prædestinationem spectant bona gratiæ & non bona naturæ, alioquin creaturæ irrationales dicentur prædestinatæ ad bona naturalia quæ habent, sed vnio hypostatica per quam Deus est homo videtur spectare ad esse hominem, quod est bonum naturæ. Thomas vbi supra & ibi Caietan. dicunt quod vnio hypostatica est terminus prædestinationis. Potest sic persuaderi. Vnio hypostatica est præstantior quam beatifica, vide supra d. 2. p. 6. Sed respectu beatificæ est prædestinatio, ergo & respectu hypostaticæ. Confirmatur, quia prius intelligitur vnio personalis quam beatifica in Christo, quia personalis fuit causa vnionis beatificæ. Item quia vt est autor Augustin. 9. de Trinit. cap. 13. In rebus pertepus ortis hæc fuit summa gratia,

Cor. vt homo fit Deus. In hac opinione, sequitur quod possumus concedere hanc. Filius Dei prædestinatus est vt esset homo. Si contradicas, ergo simpliciter est prædestinatus, negatur quia fit argumentum à secundum quid, ad simpliciter. Alexand. 3. p. q. 3. M. 4. tenet quod quia in Christo est triplex gratia vnionis, singularis personæ, & capitis, ita prædestinatio est respectu huius gratiæ triplicis.

Proposi. 6. Ista, Christus prædestinatus est esse filius Dei à D. Tho. conceditur q. 24. art. 1. Esse propria de virtute sermonis propter verbū Pauli, Rom. 1. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute. Caiet. ibi ad 2. & 3. dicit quod Thomas suscepit difficilem prouinciam verificandi illam de persona Christi. Scotus hac. d. q. 3. in solutione 3. argumenti dicit quod realius loquendo neq; secundū quod homo neque secundum quod Deus prædestinatus est esse filius Dei, quia prædestinari esse filius Dei includit duo, quorum alterum scilicet prædestinari requirit in termino aliquid temporale: alterum puta esse filium Dei, requirit idem esse æternum. Et licet in Christo concurrat aliquid temporale, & æternum, non tamen ei conueniunt ambo ista propter eandem naturam quia prædestinari ex propositione, præ, dicit antecessorem ad illud de quo est, ideo in termino requirit aliquid temporale. Quoniam verò Thomas dicit ambas has esse veras. Christus est prædestinatus filius Dei, & Christus est factus filius Dei, Caietan. ibi dicit quod magis impropria est, Christus factus est filius Dei, quam homo factus est Deus, quia homo potest habere simplicem suppositionem, Christus autem semper supponit pro persona.

De sensu Pauli diuersi diuersa senserunt. Rom. 1. Punctuando, Qui prædestinatus est filius Dei, non habet difficultatem. Alij recurrunt ad Græcam lectionem *ὁρίσθη* qui iudicatus, definitus, declaratus, faciuntq; discrimen inter verba *ὁρίσθη*, id est destinare: & *προορίσθη*, id est prædestinare. Fuit ergo Christus destinatus in mundum, & manifestatus esse filius Dei in virtute operum, & miraculorum, & maxime in resurrectionem: quod sequētia Pauli verba amplius manifestant, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Vulgata æditio legit prædestinatus, & non destinatus, quam editionē rejicere non possumus propter Concil. Trident. Ambrosius Græci sermonis non ignarus legit ibidem vt legit editio vulgata. Vide & propositione præcedēte auctoritatem Augustini. Vnde nullum est periculū in verbis Pauli coincidens cum Ario, dicente Christum esse creaturam.

Nam dicimus quod prædestinatus est filius Dei, id est, præordinatus quantum ad manifestationem. Nam res in scriptura dicitur fieri, quando innotescit. Neque diuina scriptura seruat semper rigorem Scholastici sermonis. Ita dictum est Matth. vlti. Data est mihi potestas in cælo & in terra, quantum ad manifestationem, tunc fuit manifestata. Vide Durandum in solutione ad 1. argumentum.

Ex prædestinatione Christi nititur probare Scotus hac distinctiōe. **Proposi. 7.** quæst. 3. quod etiam si Adam non peccasset filius Dei assumeret naturam humanam. Probat. Omnis ordinate volens prius vult illud, quod est propinquius fini. Hanc docet tam loco citato, quā in 1. distinct. 41. litera A. & in 2. distinct. 20. quæst. 2. & iterum in 3. distinct. 32. litera G. Sed inter prædestinatos Christus fuit propinquior Deo, ergo per prius voluit illi gloriam. Nec est verò simile Deum prius præordinasse Adam ad gloriam quam Christum & prius præuidisse ipsum Adam casurū, quam prædestinasset Christum. Ultra, quia tantum bonum non decuit esse occasionatum in entibus. Et fuit opinio Alexand. Hal. 3. par. quæst. 2. M. 13. quod sine peccato Adæ filius Dei fieret homo. Pro qua opinione scripsit tractatum Episcopus Ambrosius Catharinus de eximia prædestinatione Christi. Vbi inter multa dicit quod dato oppositio Christus esset magis obligatus nobis peccantibus, imò peccato nostro, quam nos ipsi Christo: Sc̄ cum seipsum summe amet cogitur aut velle peccatum, quia si non fuisset, neque ipse esset: aut cogitur propter Deum optare se nunquam natum, ne cogatur peccatum probare. Facit in hanc rationem Anselmus li. 1. Cur Deus homo, cap. 18. probās quod homo nō fuit creatus propter reparandam ruinam Angelorum, dat enim pro inconuenienti quod deberent homines electi tantum letari de Angelorum perditione, quantum gaudebunt de sua assumptione, à qua peruersa gratulatione defendi non possent. Neque, ait, est simile de conuersione gentium ex repullione Iudæorum, quia etiam si cuncti Iudæi credidissent, gentes nihilominus vocarentur. Et cum Thom. 1. par. quæst. 98. artic. 1. credat absurdum dicere quod in statu innocentiae non esset propagatio ne referatur peccato consecutio tanti boni, ergo neque gloria hominis Christi debuit esse occasionata. Auctoritates sonantes Christum propter peccatum venisse dicit Scotus quod exponantur, quod non venisset vt redem-

ptor neque vt passibilis. Poteruntque aliqua vbi ponitur, vt, exponi quod non se teneat causaliter, sed consecutiue. Vt in illis in quibus dicitur, factum est vt adimpleretur scriptura. Thom. 3. p. quæst. 1. art. 3. tenet contrarium, quoniam Sacra scriptura vbique attribuit incarnationis rationem peccato, & hoc erat futurum contingens è sola diuina voluntate proueniens, igitur ratio illi est attribuenda cui diuina scriptura attribuit, dixit enim Paulus. 1. Corinth. 1. Nemo nouit quæ sunt Dei, nisi spiritus Dei: nobis autem reuelauit Luc. 19. Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. Et Galat. 4. Misit Deus filium suum, vt eos qui sub lege erant redimeret. Sanctus Bonau. distinct. 1. huius 3. num. 41. dicit quod vtraque opinio habet apparentiam, sed prima magis innititur iudicio rationis; secunda magis consonat cum scriptura & autoritatibus sanctorum. Ricardus distinct. 1. art. 2. quæst. 4. pro vtraque facit rationes & soluit.

Proposi. 8. Prædestinatio Christi quamuis non sit causa actus diuinæ voluntatis, quo nos prædestinemur, est tamen causa exemplaris nostræ prædestinationis, quia ipse est filius Dei naturalis, prædestinati sunt filij Dei adoptiui. Rom. 8. Quos præsciuit hos prædestinavit fieri conformes imaginis filij sui. Ephes. 1. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. Item quantum ad modum consequendi bonum ad quod prædestinantur, qui est per gratiam. Ipse enim Christus fuit plenus gratia, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Ioan. 1. Et per merita Christi consequimur beatitudinem. Cadit autem sub prædestinatione modus & ordo, quo est consequenda beatitudo. Est ergo Christi prædestinatio, sicut exemplar extra mentem artificis ad quod conformemur nostras actiones & Deus conformet electos. Vide de hac Alexand. 3. p. quæst. 3. M. 5. Et Bonau. dist. 11. huius tertij, Thomam quæst. 24. partis 3.

Proposi. 9. Ista est neganda, Christus est homo dominicus. Magister in littera citato Augustino. Ratio est quia Christus dicit suppositum diuinum quod quidem est Deus & Dominus: ideo non debet de Christo prædicari denominatiue, Dominicus, quia videbitur quod non sit ipse Dominus.

DISTIN-

DISTINCTIO VIII.

De communicatione idiomatum respiciendum naturam:
Petit Magister. An natura diuina debeat concedi nata de virgine? Et an Christus debeat dici bis genitus.

Diuina natura non conceditur nata de virgine. Magist. *Proposi. 1.*
in littera. Alex. 3. p. q. 10. M. 1. Vbi dat pro regula, quod nulla dictio significans proprietatem personalem creatam, vel increatam conuenit diuinæ essentiæ, Sicut propter natiuitatem filij in diuinis, essentia diuina non dicitur nata de patre: neq; quia filius mittitur, essentia diuina dicitur mitti, quia mitti & nasci intelliguntur esse ab alio, ergo multo minus propter natiuitatem de matre. debet diuina essentia concedi genita. Illa enim quæ dicuntur in abstracto vnius naturæ non prædicantur de alia natura per idiomatum communicationem. Idcirco licet humana natura dicatur nata ex virgine, quia nasci competit hypostasi principaliter, & tanquam subiecto, minus verò principaliter & tanquam termino ipsi naturæ, quia terminus generationis, & cuiuslibet natiuitatis est forma ad cuius modum significatur natura, non fit communicatio idiomatum ad diuinam naturam vt ipsa dicatur nata ex virgine, aut in cruce passa. Vide Bona. hac d. num. 4. 11. & 12. Thom. 3. p. q. 16. articu. 5. & q. 35. arti. 1.

Non est idem naturam diuinam esse incarnatam & esse natam. *Proposi. 2.*
Prima conceditur vt habes à Magistro hîc, & supra. d. 5. p. 4. Secunda verò negatur. Ratio est quia incarnari est carnivniri, & potest conuenire naturæ ratione personæ. Nasci in diuinis conuenit solû personæ & non terminatur ad naturam, secus in humanis vbi competit naturæ & personæ vt dictum est.

¶ Sed contra. Incarnatio ordinatur ad generationem, sed est incarnata, ergo & nata. *Argumen.*

¶ Secundo. Essentia est incarnata, ergo & Trinitas est incarnata, *Argum. 2.*
& per consequens non solus Filius, sed Pater & Spiritus sanctus sunt caro facti, quod est plusquam falsum.

Solut.

¶ Ad pri Respondet Alex. citata. q. 10. M. 1. ad. 2. negando consequentiam quod incarnatio ordinatur ad generationem personae, & non naturae.

Ad 2.

Propter secundum argum. aliqui negant praefatam conclusionem. Sed sustinendo illam dicendum est, quod quia incarnatio prius est personae, secundo naturae utraque est vera. Filius est incarnatus, & essentia est incarnata. Ad arg. negatur consequentia quia non est incarnatio essentiae immediate, sed mediante hypostasi. Valeret argum. si foret immediate respectu essentiae. Vide supra. d. 5. p. vlti. & p. 4. in. 2. opinione.

Proposi. 3.

Christus Dominus bene conceditur bis genitus & bis natus: à patre in aeternitate, à matre in tempore, ideo sunt duae natiuitates Christi. Mag. in litera ex August. & Damasc. Ratio est, quia Christus dicit suppositum in duabus naturis & propter quamlibet illarum dicitur genitus & natus.

Argum.

Sed contra. Nunc aeternitatis, & nunc temporis non faciunt numerum, quia aeternitas est cum tempore, ergo neque faciunt bis. Confir. quia bis dicitur numerum & interruptionem, sicut non dicor bis comedis propter duas res quas comedi, sed quia comedi in alio tempore, & alio. Sed aeternitas non habet interruptionem. Confir. 2. quia ad uerbum bis, impotat actum fuisse terminatum, & ubi non est terminatio actus, non est dicere ipsum actum bis exerceri: sed generatio aeterna non habet terminum, quia filius semper generatur à patre.

Solut.

Alex. 3. p. q. 10. M. 2. videtur concedere argum. & quod solum dicitur bis genitus, aut bis natus, propter ordinem prioris ad posterius, quia aeternitas prior est tempore, notatur ordo generationis temporalis ad aeternam. Sanctus Bonau. hac. d. art. 2. q. 1. tenendo conclusionem respondet argum. distinguendo antecedens, quia si loquimur de numero proprie accepto est verum, si largè est falsum quia aeternitas & tempus sunt diuersae mensurae & productio quae mensuratur tempore est alia à productione mensurata aeternitate.

Ad confir.

Ad confir. dicit esse verum quod bis dicitur interruptionem actus primi & secundi, quando ambo actus mensurantur tempore: quia non numerantur sine vicissitudine, & interruptione.

Ad 2.

Ad secundam confir. respondet idem Bonau. quod est terminatio actus ex completionem, & ex desitione comprehendendo utrumque modum terminationis, concedenda est maior, & neganda minor, quia natiuitas & generatio aeterna est actus terminatus ex completionem, quia filius sicut semper nascitur, ita semper est genitus. Natiuitas

tas temporalis est terminata ex desitione, quia semel natus, non iam ultra nascitur. Quia ergo plus differunt aeternitas, & tempus quam duo tempora recte dicitur bis genitus, & bis natus. vide & Th. 3. p. q. 35. ar. 2.


¶ Si ex eo quod Christus est bis natus sint in ipso duae relationes reales controversa quae est. Scot. hac. d. tenet partem affirmatiuam: ita quod Christus vna filiatione reali refertur ad patrem, alia ad matrem. Probat, quia sunt duae natiuitates & duae generationes Christi, quae sunt causae filiationis, ergo sunt in ipso duae filiationes reales. Item Christus habet duas operationes, humanam, & diuinam, ut infra d. 17. ergo duas filiationes, quia relatio non magis respicit suppositum quam operatio, quia suppositi est operari. Met. Tertiò, quod coepit Christo praecise secundum rationem diuinam personalitatis non dicitur de eo in quantum homo: unde haec est falsa: Christus in quantum homo est persona, facit enim hunc sensum: quia Christus est homo est persona, ergo si ei coepeteret esse filium praecise secundum diuinam personalitatem, haec etiam esset falsa. Christus in quantum homo est filius, quae tamen non est. Et nota, quod Scot. fatetur hac. d. litera. B. & d. 1. q. 2. ante literam. A. in vno & eodem patre esse multas paternitates respectu diuersorum filiorum, quia paternitas fundatur super genuisse. Vide eundem Scot. in li. 1. d. 5. q. 2. lit. H. Et haec paternitas super hoc genuisse, & mortuo vno filio sicut perimitur filiatio, ita paternitas respectu ipsius. Ricar. tenet cum Scot. ar. 2. q. 2. soluendo secundum argum. dicit duo. Vnum quod forte in filio est duplex relatio, alia ad patrem, alia ad matrem. Aliud quod forte est tantum vna quia pater, & mater sunt vnum principium prolis: Deus pater & beata virgo non sunt vnum principium Christi. Durandus hac. d. q. 3. distinguit, quod filiatio, ut est relatio tantum, in Christo est duplex vna ad patrem, alia ad matrem: ut est proprietas personalis, est in Christo tantum vna filiatio. Alia opinio est opposita quam tenet Bona. hac. d. nu. 26. Tho. 3. p. q. 35. ar. 5. q. non sit nisi vna relatio filiationis realis qua refertur ad patrem, & qua refertur ad matrem sit relatio rationis, quia subiectum filiationis est hypostasis, vel persona, sed est vna persona, ergo vna filiatio. Secundo, quia duo accidentia solo numero differentia non possunt esse in eodem quin faciant vnum, & sic est vna filiatio eiusdem filij ad patrem, & matrem, & vnus pater vnica paternitate refertur ad plures filios. Tertiò, quia Deus realiter & verè dicitur dominus ex relatione reali in creatura, quamuis in ipso non sit realis, ergo à simili ex relatione reali in matre, verè & realiter dicitur Christus eius filius.

DISTIN-

DISTINCTIO IX.

De adoratione debita humanitati Christi.

Proposi. 1.



Heologi ponunt tres species adorationis. Prima vocatur latria, quæ ut dicit Magister in litera est seruitus siue cultus soli creatori debitus. Iuxta id Mat. 4. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Psal. 80. Israel si audieris me non erit in te Deus recens neq; adorabis Deum alienum, Apocal. 21. repressit Angelus Ioannem ne se adoraret Per quæ reuincuntur Ophitæ hæretici serpentem colentes, Caiani qui colebāt Caim, Sethiani, qui Seth filium Adæ, Melchisedechiani, qui Melchisedechum, Angelici qui Angelos adorabant. Contra quos Isidorus refertur à Gratiano. 24. q. 3. Quidam. Alia vocatur Dulia. id est seruitus, qua rationalis creatura adoratur demptis damnatis. Hæc Nathan adorauit Dauid. 3. reg. 1. Iacob Esau. Genes. 33. Tertia Hyperdulia, excedens secum ad neque accedens ad primam. Hæc debetur Mariæ virgini excedenti puras creaturas, ed non est equalis Deo. vide literam Magistri.

Argumenta.

Contra hanc arguitur, Vna & eadē charitate diligitur Deus & proximus, ergo vna & eadem adoratione adoratur Deus, & creatura, & per consequens nō distiguntur adoratio in latria & dulia. Antecedens patet, sed probatur consequentia, quia non apparet differentia penes hoc in adoratione & charitate. Cum utrobique homo sit imago & similitudo Dei.

Solut.

Ad hoc argumen. vide Alex. 3. p. q. 30. M. 1. ex cuius doctrina habes, quod adoratio non dicitur vniuocè, neq; æquiuoce de Latria & Dulia, sed analogicè prius de Latria, posterius de Dulia. Cū enim adoratio sit reuerentia exhibita ratione dignitatis excellentis, & in Deo sit summa excellentia, adoratio per prius dicitur de reuerentia debita Deo, secundariò de debita creaturæ ratione alicuius excellentiæ participatæ, & similis excellentiæ diuinæ: ut doctoribus propter sapientiam, prælatis propter potestatem, Sanctis propter bonitatem. Vnde vocantur in scriptura Dij. Exod. 22. Dij non detrahes, id est doctoribus, secundum Glos. interli. ibidem. 7. Ecce constitui te Deum Pharaonis, id est iudicem cum po-
testa-

testate super eum faciendi prodigia. Psal. 81. Ego dixi Dij estis. Quod exponens Christus Ioann. 10. ait. Illos esse ad quos sermo Dei factus est. Ad argu. concessio antecedenti, negatur consequentia, quia est discriminè eo, quod in charitate Deus est & finis, & obiectum formale seu immediatum: in adoratione, quamuis Deus sit finis, nō est tamen obiectum immediatum, sed honor, & ex honoris diuersitate diuersificantur species adorationis. Diuersitas hæc sumitur ex acceptione theologorū, nō ex rigore vocabuli, quia in Græco pro eodem sumuntur. verba, ex quibus sunt deriuata Dulia, & Latria.

Proposi. 2.

Adoratio est virtus moralis pertinens ad iustitiam. Loquor de adoratione habitu inclinante ad actum, qui actus potest esse interior, siue exterior sacrificando, genua flectendo. Actus quippe exteriores protestantur adorationem internam, & vocantur ipsi etiā adorationes. Probatur conclusio, quia virtus est bona qualitas mētis perficiens habentem, & opus eius reddens bonum, sed adoratio est talis, quoniam honor est quid debitum alicui propter excellentiā, dicente Paulo Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, Cui timorem, timorem, Cui honorem, honorē, ad huc inclinatur adoratio secundum debitum ordinem, & debitas circumstantias, quando cui, & quomodo, igitur est virtus. Et cum reddere debita pertineat ad iustitiam, ipsa adoratio pertinebit ad iustitiā, eritque virtus moralis cum non sit intellectualis, neque theologica, quia theologica habent Deum pro immediato obiecto. Medium in hac virtute non attenditur penes passiones, sed penes operationes, & penes facultatem reddentis, quia tantum cultum vellet quis reddere Deo ieiunando quod destrueret indiuidū, cum Paulus dicat. Rationabile sit obsequium vestrum. Roman. 12. Si diuinus cultus exhiberetur creaturæ esset superfluum. Licet autem iustitia propriè dicta non sit inter Deum, & hominem, patrem & filium, discipulum & magistrum, quia Deo, & parentibus non possumus reddere æquiualens. 8. ethic. capit. vlt. tamen est iustitia secundum quandam similitudinem, ita quod reddit æquale, & est probus, qui pro viribus, & facultate propria illos colit ut ait Arist. loco citato.

Si ratio propter quam debetur Deo Latria, sit ipsa Deitas, & bonitas diuina in se, vel ut comunicata adorati dubium est. Tho. 3. p. q. 25. ar. 2. videtur tenere quod ipsa Deitas in se. Ait enim ipsi
Deo

Deo patri debetur honor latriæ propter deitatem & honor dulciæ propter dominium, quia gubernat creaturam. Citat Glos. super illud Psal. Domine Deus in te speravi. Sed illa Glos. v. Bona dicit hac. d. q. vlt. ad. ar. accipit Dulciam secundum generalè significationem & analogiam, qua est communis ad latriam & dulciam. Scot. hac. d. q. vnica. Respondet & dico, videtur problematicus. Eadem distinctio potest fieri in adoratione Dulciæ & Hyperdulciæ, si est exhibenda propter bonitatem adorati, vel cum per ipsum communicatur adoranti aliquod bonum, vide eundem Scotum ibi litera. G.

Proposi. 4. Humanitas Christi non est ratio propter quam ipse Christus sit adorandus adoratione latriæ, sed adoratione hyperdulciæ. Patet quia humanitas est creata & finita, igitur non est ratio supremæ adorationis: quoniam verò est maxime dignitatis est ratio adorationis Hyperdulciæ.

Proposi. 5. Ipsemet Christus dominus adorandus est adoratione Latriæ. Et hæc est secunda opinio posita à Magistro, quia ipse Christus est vna adoratione adorandus. Afferit Magi. Damas. & Aug. Exemplum est de carbone ignito què timemus propter ligno copulatū ignem, quod afferit Damas. Sic propter diuinitatē adoratur Christus latria. Aliud exemplū August. de purpura regis, quæ adoratur eadē adoratione, qua rex, dum illa est indutus. Hæc est definita in capi. 9. quintæ Synodi Constantinopolitanæ. Si quis adorari in duabus naturis dicit Christū, ex quo duæ adorationes introducuntur semotim Dei verbo, & semotim homini, & nō vna adoratione Deum verbum incarnatū cum eius carne adorat, iuxta quod sanctæ Dei ecclesiæ ab initio traditum est, talis Anathema sit. Concilium item Ephesinum cap. 8. idem definiuit damnans eos qui non vna supplicatione venerantur Emmanuelem. Probat per scripturas. Hebræ. 1. Adorēt eum omnes angeli Dei. In euangelio ipsum adorauit Centurio atque leprosus. Matth. 8. Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis ibi. 20. quos non repulit ab adoratione sicut à petitione. Post resurrectionē. Matth. 28. sanctæ mulieres: & vndecim discipuli in Galilea ibidem. In veteri testamento Psal. 71. Adorabunt eum omnes reges, & 98. Adorate scabellum pedum eius. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. Psal. 21. vbi loquitur de Eucharistia adoranda & sumenda. Circa hæc aduerte quod quidam Petrus Richerus Carmelitanus, post vero apostata, qui Geneuam omnium hæreticorū Asylum profugit, docuit an-

no

nō Domini 1557. Christum non esse adorandum supremo cultu, ne creatura pro creatore adoretur. Ponebat ipse & sui gregales duas naturas in Christo distinctas. Affirmabat Christum in Deo patre nō in humana carne adorandū. Et quod Christus in Spiritu erat adorandus nō in humana carne ne terrenū elementū adoraretur. Addidit idē Richerus & prædicauit anno Domini 1558. esse hæreticos, qui dicunt Iesum Christum esse orandū & inuocandū. Contra què Psal. 124. Multum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Isa. 41. Radix Jesse, qui stat in signum populorum ipsum gētes deprecabuntur. Inuocatus est in nouo testamēto à matre pro vino. Ioan. 2. A discipulis in mari. Matt. 8. A Chananaea à sororibus Lazari, ab alijs necessitatē patientibus. Stephanus. Act. 7. ipsum orauit, & inuocauit. Paulus. 1. Corinti. 7. exoptat gratiam & pacem inuocantibus nomē Domini Iesu. Ioan. Apocal. 22. ipsum inuocat dicendo. Veni Domine Iesu.

Si contra hanc dicas, Christo ratione humanitatis debetur Hyperdulcia, quia ipsa natura est plena gratiarum, sed redemit nos, ergo debemus illi amplius, quia tantum bonum fuit comunicatum per redemptionē, quantum per creationem dicit Grego. in benedictione cetē. Nil nasci profuit nisi redimi profuisset.

Respondet Storius quod stādo in eo quod bonū communicatū nobis sit ratio adorationis, Christus Dominus effectiue redemit nos, quia est Deus. Hanc redemptionem similiter fecerunt Pater & Spiritus sanctus: secundum humanitatē effecit illam meritorie. Et hæc nō est ratio sufficiens ad latriā. Sed sicut ad idē ieiuniū potest quis teneri pluribus rationibus puta ex præcepto ecclesiæ, & ex voto, ita ad latriam & Hyperdulciam potest obligari pluribus rationibus.

Ex hac inferes Eucharistiam esse adorandam cum ibi sit Christus Dominus vide in. 4. d. 10. p. 1.

Sancti sunt honorandi, & orandi, vt pro nobis ante Deum intercedant. De ista non est controuersia inter Catholicos, fuit tamen oppositū hæresis cuiusdā Eustachij dānati in cōcilio Gāgrefi: & Vigilantij contra què scripsit beatus Hieronym. Secutus est Viclephus & Ioan. Hus, sequuntur hodie Lutherani. Sed probatur. Ioan. 12. Si quis mihi ministrauerit honorificabit eum pater meus, ergo si Deus illos honorat, & nos honorare debemus. Vnde Dauid Psal. 138. Mihi nimis honorati sunt amici tui Deus. Ecclesiast.

quibro

k 2 cap.

cap. 44. Laudemus viros gloriosos & parentes nostros, narratq; laudes multorū speciales. Genes. 20. Dixit Deus ad Abimelech, quod redderet Abrahę vxorē, vt pro ipso oraret vt viueret. Et. 18. Exaudiebat orationem Abrahę pro Sodomitis si essent inter eos decem iusti. Propter Abrahā liberauit Loth, propter Loth peperit vrbi Segor. Job vlti. Dixit Deus amicis Job. Seruus meus Job orabit pro vobis. Neque solum viuentes, sed etiam post mortem orant. 2. Mach. 15. Visus est Onias mortuus orare pro populo. Et ibidem Hieremias multum orabat pro populo, & sancta ciuitate. Exod. 32. Opponebat Moses Domino merita Abrahę, Isaac, & Iacob. Diuus Bernard. episto. 266. rogat abbatem sancti Dionysij, vt post mortem suam oret pro ipso Bernardo, quod cito veniat ad Dominum. Cypria. nepist. ad Cornelium in vltimis verbis petit, vt qui eorū primus decesserit pro fratribus & sororibus oret. Licet enim Christus Dominus, sit mediator Dei & hominum. 1. Timoth. 2. nihilominus ea, quę Christo tanquam Ecclesię capiti conueniunt principaliter, communicantur eius membris secundo Matt. 23. Nolite vocari Rabbi, vnus est Magister vester: & tamen Paulus. 1. Timoth. 2. vocat se doctorem gentium: & 1. Cor. 4. dicit. Per euangeliū ego vos genui: vbi se vocat Patrem. Cū Christus dixerit: nolite vocare patrem super terram. Et ibidem 3. cap. Fundamentum aliud nemo potest ponere preter id, quod positum est, Christus Iesus. Et tamē Ephes. 2. dicit, quod sunt superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.

Proposi. 7. Imagines & reliquię sanctorū sunt adorandę eadē adoratione quę debetur illis, quorū sunt. De hac inter catholicos nō est pugna, est tamē cū hereticis VValdē sibus, VViclephistis, Carolstadianis, quoniā eorū magister Carolstadius desciiuit in hac parte à Lutherō, cuius fuit sectator. Cōtra quos & pro catholica assertione extat Cōcil. Trid. sess. 25. ca. 2. & Num. 21. Erexit Moyses æneum serpentem in figuram Christi Domini, vt dicitur Ioan. 3. ergo licebit pingere imaginem Christi, & ipsam honorare. Item Salomon 3. Reg. 6. Fecit Cherubim, & palmas, & duodecim boues in mari æneo in figurā duodecim Apostolorū; ergo licebit pingere Apostolorū imagines. Sūt imagines simplicibus & illiteratis pro libris sicut patuit apud Indos, quādo primū ad illos venerunt Hispani, qui picturis utebantur loco librorum. Vnde Virgilius 1. Aeneidę ponit de *Aenea* quod vidit apud Carthaginem pictas illas ex ordine

ordine pugnās, & lacrymans valde commouebatur.

Si contradicas, quod laudatur Ezechias. 4. Reg. 18. quia cōfregit serpentem æneum. Respondetur, quod populus adolebat illi incēsum credens in eo esse aliquod numen: propterea vocauit nomen eius Nahastan, id est, æs eorū, vt scirent se nō perdidisse Deū. Hinc apud nos imagines non adorantur propter se, quia sic sunt ligna vel metalla, sed propter illud quod repræsētant. Vnde honor illis exhibitus refertur ad prototypum, id est, ad exemplar, puta ad illum cuius est imago. Neque ex eo quod aliqui simplices sumant occasionem errandi debent imagines tolli de ecclesia. Sed illi simplices sunt docendi.

Pro reliquijs est illud act. 19. quod ad Sudaria & semicinctia Pauli, recedebant languores, & spiritus nequam: ad contactum ossium Helisæi suscitatus est mortuus. 4. reg. 13. Moses asportauit ossa Ioseph de Aegypto cum honore. Exod. 13. Ex quo loco probatur esse pię translationes corporū sanctorum ad honoratiora loca. videatur Conc. Gangrense. refertur à Gratiano. dist. 30. canone. Siquis per superbiam. Primus qui instituit cultum imaginum fuit Enos. Gen. 4. qui incēpit inuocare nomen domini. Ita dicit Thomas VValdensis lib. de sacramentalibus tit. 19. cap. 150. ita quod verbis & imaginibus colebat Deum, citat Hieronymum in lib. Hæbraicarum quæstionum, & Petrum Comestorem. Hebręi, vt in citato loco dicit Glossa ordin. & Lyranus arbitrantur ibi incepisse Idololatriam, à filijs tamē Cain ipsi Enos contemporanę. Contra quos est, quod inuocare nomen Domini semper in scriptura sonat in bonum, vt Genes. 12. de Abraham quod ædificauit altare & inuocauit ibi nomen domini. Facit & Augustin. lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 18. & 21. commendans Enos in hac sua inuocatione, & quod figurauit illam societatem quę secundum Deum viuit. De qua & Apostolus. Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Act. 2. & Rom. 10. Additque de eo. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius & non respexit in vanitates & infanias falsas, ergo neque ab Enos: neque ab eius factō incepit idololatria.

Illud in his picturis cauendum est ne tali modo pingantur & effigientur vnde possit oriri occasio errandi, quod & sacrum Concilium Triden. probe vbi suprā annotauit. Quapropter Antoninus Florent. 3. par. summę. tit. 8. §. 11. reprehendit eos qui pingūt

Argum.
Solut.

k 3 Trinita-

Trinitatem vt vnā personam cum tribus capitibus, quia est mō-
strum etiam in rerum natura, sunt enim tres personæ in vna es-
sentia. Item eos qui pingunt in annunciatione mitti puerum in
uterū virginis. Fuit enim hæresis Valentini quod Christus, nō tra-
xit carnē à virgine, sed è celo attulit. Annotauit nihilominus ibidē
concil. & mandauit discretionem adiungi zelo ad tollendos abu-
sus dubios & difficiles. Vnde neque cum scandalo sunt tollendæ
imagines vsitatæ in Ecclesia, neque contra illas prædicandum,
verbi gratia in dicta trinitatis pictura iam nouit populus ibi tantū
doceri personarum trinitatem in vna essentia, expedit amplius
non sic depingi, non tamen cum scandalo pictas deleri, ne aliud
malum oriatur credente populo se hucusque fuisse deceptum
& illusum. Videndus est Gregorius lib. 9. epist. 9. vbi quamuis lau-
det Serenum Episcopum Massiliensem quia prohibuit imagines
adorari, tamen grauitè illum reprehendit, quoniam eas confre-
git, eo quod habitans inter gentes recto zelo incaute accensus fe-
rocibus animis scandalum generauit. Refertur de confer. d. 3. Per-
latum. Aduertendum etiam quod non solū imagines pinguntur
vt in veritate historica res continentur, verum vt probabiliter res
factæ creduntur, neque propterea continēt aliquid falsum, verbi
gratia tempore annuntiationis beata virgo pingitur orans & ge-
nibus flexis. Quando fugit in Aegyptum asinæ insidens: bonus
latro ad dextrum latus Christi, quia vocaturus est oues à dextris
Matth. 25. cum tamen hæc non habeantur expresse in Euangeli-
stis: sed sunt piæ rationes ad considerandum ita fuisse.

Proposi. 8.

Cruce & clauis Christi sunt adorandi propter repræsentationem
Christi crucifixi eadem adoratione qua ipse Christus. Idcirco Ec-
clesia crucem alloquitur, ô Crux aue spes vnica, eam allocutus est
beatus Andræas. Salue bona crux. Si tamen sit illa met in qua Chri-
stus pependit, non solum adoratur propter repræsentationem, sed
propter contactum ad mēbra ipsius Christi. Hæc est contra Ioan-
nem Viclephum vt est videre in Tho. V Valdensi, lib. de sacra-
mētalibus cap. 160. Vetuit Theodosius Imperator sculpi crucē in
terra, sed ne pessūdaretur, sicut cōcl. Elibertinū can. 36 vetuit ima-
gines pingi in parietibus ne in persecutione illuderentur à gēti-
bus, alias enim mobiles nō est credendum vetuisse decretū Theo-
dosij, habetur Codice. Nemini licere signum saluatoris.

Ex his patet licitum esse ac pium tēpore pestis, aut alia pia causa
circumferre

circūferre imagines, crucem, imò & sacrosanctā Eucharistiā per
ciuitates & loca: quia talis delatio cedit in sanctorum honorē. Fi-
lij Israel licuit deferre arcam fœderis in castra timueruntq; Phi-
listæi. 1. reg. 4. ad eius præsentiam corruerunt muri Herico dū ip-
sam ciuitatem circuiret Iosua. 6. De Eucharistia extat Decretum
Concilij Trident. Sessio 13. canone sexto, docens Eucharistiā ado-
randā, & festa illi celebranda, gestandāq; in processionibus: cōtra-
rium asserentes damnat vt hæreticos. Talis fuit Ecolāpadius negās
adorandam Eucharistiā, quia non erat ibi Christus.

Licitum est pingere imaginem Dei nō vt figuret id quod diui-
num est, quia esset impietas. Sed vt habemus notiā de Deo per
scripturā, vt de patre in forma senis, quia sic apparuit Danielis. 7.
De Christo tanquam agno apocalyp. 5. De Angelis cum sex alis.
Isaia. 6. in specie iuuenum, & stolis albis, quia sic apparuerunt in die
resurrectionis. In alis celeritas ad diuinā visionem, in iuuentute
perfectio significatur. Quatuor Euangelistæ in quatuor animali-
bus vide Caietan. 3. p. q. 25. art. 3. vbi & dicit quod non solum pin-
guntur vt ostendantur, sicut Cherubim olim in templo, sed vt ado-
rentur, vt frequens vsus Ecclesiæ testatur. Summa Angelica, ver-
bo imagines. §. 2. dicit quod Christus non est pingendus sub for-
ma agni, alegat cap. sextam Synodum. de consecratione distin. 3.
Siluestrina dicit quod ibi videtur prohiberi pictura agni in manu
præcursoris, sed quod consuetudo est in contrarium, & obseruan-
da quia non pingitur vt adoretur sed vt figura ducens in illū ar-
guitiuè, quæ non adoratur. Præsentē quippe veritate cessare de-
bent figuræ. Ad hanc facit quod dictum est de Enos. p. 7. Nam
colendo Deum imaginibus, figurabat quidem, vt de Deo tunc ha-
bebatur notiā. Sed de agnis figurantibus Christum notandus
est vsus Romanæ Ecclesiæ benedicit & consecrat Romanus pon-
tifex cereas formas agni contra procellas, tonitrua, incendia, & ma-
lignos spiritus. Ex qua pictura, cum ibi solus effigietur agnus ha-
bens coronā siue aureolam sanctorū, & in humeris vexillū crucis,
tantaque sit solennitate & reuerentia benedictus, sumi potest va-
lidū argum. quod sit adorandus & reuerendus ea adoratione qua ce-
teræ imagines Christum dominū repræsentantes. Tum etiā quia li-
citur est adorare personā patris in specie hominis canis, & Spiritū
sanctum in specie colūbe, quia sic apparuerunt, ergo & personam
Christi sub specie agni, quia in agno figuratus fuit in lege veteri.

Propo. 10.

De agnis.

Post

Post Euangelium Apocalyp. 3. visus est in forma agni, & coram eo ceciderunt quatuor animalia, & viginti quatuor seniores cantantes & benedicentes illum, vocantesque illum dominum. Sicut ergo illi adorauerunt agnum possumus & nos adorare. De quibus agnis est aliud dubium. An fracta cera & imagine agni cum iam non amplius maneat forma fit talis cera habenda in reuerentia? Posset aliqui videri quod non, sicut in alijs inanimatis vt altari, calice, alba. Dirigitur & benedictio ad agnos in cera effigiatos. Contra hoc obtinet vsus, & consuetudo. Imo in versibus quos dicunt misisse Urbanum Papam quintum cum tribus agnis ad Græcorum Imperatorem dicitur, quod pars minor tantum valet, integra quantum: Et tam contra procellas maris, quam contra exortum incendium pars illius ceræ iactatur à nauigantibus. Videtur ergo quod fracta agni forma nihilominus in cera permanet benedictio. Ex quo & aliud dubium soluitur. Nam fracta imagine agni solent aliqui in partibus ceræ effigiare alium agnum, & reuerenter secum deferre. Hoc antequam fiat nemini consuleré quod faceret. Præfert enim speciem falsarij cum habeat ipse Romanus pontifex certa sigilla ad effigiedos eos agnos. Post factum, non dubito eodem agnos reuerendos. Nam si pars ceræ benedicta manet, & reuerenda, quare non manebit post illam effigiem? Tum etiam, sicut oleum benedictum & aqua admixtum, oleum & aquam minoris quantitatis ad suam trahunt benedictionem, neque refert vt benedicta permaneant, quod frigore congelentur, & postea liquetur: à simili erit in cera illa benedicta, siue liquetur ad solem vt effigietur, aut alterius ceræ pars minor ei adiungatur erit nihilominus benedicta. Illos verò qui tales effigies imprimunt animo simplici, & deuoto, & ea ratione vt tali effigie cera illa discernatur ab alia non benedicta, non audeo damnare de peccato: sanius tamen crederem quod non facerent. Quando dubitaretur si talis cera esset benedicta ab ignorante fuisse agnum, posset fieri de illa quod fit de cineribus panni, aut lintei, super quod effusus fuit sanguis Domini è calice. De consecrat. distin. 2. cap. si per negligentiam.

Propo. 11

Quamuis adoratio non requirat locum determinatum, quia Deus est ubiq;, & Ioan. 4. dicitur. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate: Et Psal. 102. In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino, tamen propter causas piētissimas

firmas necessaria sunt templa, ita quod negare templa construenda, est hæresis VValdensium. Donatistæ & Ariani altaria comminuebant, quod & beato Antonio Abbati fuit reuelatum, quando vidit in visione mulos calcibus sacram aram conculcantes, quibus significabantur Ariani. Hoc nostro tempore Carolstadiani, Zuinigliani, Oecolampadiani, Calviniani, Hugnostici contra altaria & templa insurrexerunt, ipsa euertendo à fundamētis. Aduersus hos est, quia Christus Dominus templum honorauerit eijciendo ab illo vendentes & ementes Matth. 21. Moyse præcepit Deus Exod. 20. Altare de terra facietis mihi. Et 24. ædificauit Moyses altare domino ad radices montis. De occidente per insidias proximum dicitur ibi. 21. quod ab altari domini auellatur. Noe in lege naturæ ædificauit altare domino Gen. 8. Pro lege noua. Psal. 22. Paraisti in conspectu meo mensam, id est, altare Eucharistiæ. De quo Malachiæ. 1. Dicitis mensa domini polluta est, id est, altare, vt ex litera constat Ezechiel. 41. Hæc est mensa coram domino, id est, altare ligneum de quo loquebatur. 1. Corint. 10. Non potestis mensæ domini participes fieri, & demoniorum, & loquitur de altari Eucharistiæ. Heb. 13. Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiūt. Concil. Gangrense refertur. d. 30. Siquis docet. Siquis docet domum Dei esse contempibilem & conuentus qui in ea celebrantur anatha. sit. Rationes propter quas tépla sunt loca orationi & adorationi cōuenientia ponit Alex. Hallens. 4. p. q. 94. M. 2. & post eum Thom. 22. q. 84. art. 3. ad 2. Vna est propter mutuam membrorum incitationem ad orandum Colof. 3. Commonentes vos metipfos in Hymnis & canticis spiritualibus. Inde fit oratio exaudibilior, & facilioris impetrationis, quia ubi duo vel tres in nomine domini ibi est ipse Matth. 18. quod datur intelligi 3. reg. 8. vbi orabat Salomon quod Deus clamantes in téplo exaudiret & 9. cap. respondit Dominus. Audiui orationem & sanctificauit domum hanc. Alia propter Angelorum maiorem frequentiam ob dominici corporis reuerentiam. Quod figuratum est Genes. 28. vbi Iacob erexit lapidē in titulum dicens, lapis iste vocabitur domus Dei. Vbi vidit Angelos ascendentes, & descendentes per scalam. Propter quos volebat Paulus mulieres velato capite orare 1. Corint. 11. ad sunt enim nobis orantibus in auxiliū cōtra dæmones. Alia propter consecrationem & dedicationem Ecclesiæ, quæ causa est maioris deuotionis dicente domino. Matth. 21.

Domus mea domus orationis vocabitur. Hinc fit quod ad vnum locum & ad vnam imaginem sine culpa magis afficimur quam ad aliam, magisque ad illam peregrinamur. ita docet Augustinus epistola 137. non eod quod vnus locus aut vna imago sit maioris virtutis aut numinis quam alia, sed quia ibi relucet maiora Dei beneficia, vel propter sanctorum reliquias ibi conditas, vel propter alia mysteria nobis occulta: atque etiam propter confluentiam maiorem populi magis inter illos Deus assistit vt est in 1. ratione. In lege veteri primo Deus elegit tabernaculum Exod. 26. Deinde locum in Silo. Iosue 18. quæ erat in forte Ephraim. Postea repulit tabernaculum Silo. Psal. 77. Hieremie. 7. & elegit templum in Hierusalem. Propter mysteria ibidem futura Deus locum illum longe ante honorauit, vt patet in visione scalæ Iacob Genes. 28. ibi enim fundatum fuit tēplum. 2. Paralip. 3. Machab. 2. cap. 3. Heliodorus flagellatus quia voluit templi ærarium spoliare confessus fuit in loco illo verè esse Dei virtutem. Nunc iam Deus templum illud repulit, quia & repulit gentem Iudæorum. Non enim propter locum gentem sed propter gentem Deus locum eligit. 2. Mach. 5. Adoramus Christiani versus orientem, quia ex illis partibus venit Apostolorum prædicatio. Tum etiam quia Christus vocatus est oriens Zacha. 6. & quia subter eum oriatur, & ædificabitur tēplum domino, ædificamus templa versus orientem. Vt intelligamus Zachariam loqui de Christo. Vbi trāslatio nostra habet oriēs Chadaica, quæ apud Iudæos est authentica habet Messias. Canimus etiam quod ascendit super cælos cælorum ad orientem. Psal. 67. Ab oriente expectatur venturus. Matth. 24. Damasce. lib. 4. cap. 13. addit, quia Paradisus terrestris plantata erat ad orientem, nā Genes. 2. vbi dicitur plantauerat Paradisum à principio, alia litera habet ad orientem. Suspiramus ergo ad antiquam patriam exules. Christus etiam in cruce faciem habuit ad occidentem & sic ad ipsum suspiramus, & quasi ad illū faciem vertimus: Apostoli ipsum ascendentem ad orientem adorauerunt. Subditque Damascenus quod hæc adoratio ad orientem est Apostolorum traditio sine scripto tamen nobis tradita. Iudæi habebant ostium tabernaculi ad orientē Exod. 26. & adorabāt versus occidentē figurantes fidē & notitiam Messie dilatandam ad occidentem, quod & Christus figurauit in cruce aspiciens occidentem. vide Alex. citat. q. M. 3. & Thomam.

Dæmon

Dæmon apprens in persona Christi non potest adorari sine peccato: nam probandi sunt Spiritus an ex Deo sint. Est triplex adiutorium ad vitandum peccandi periculum, vt dicit Alexan. 3. p. quæst. 30. M. 3. art. 1. §. 3. Et Bonau. hac distin. num. 37. primum est præmonitio scripturæ, quia dicitur Matth. 24. Multi venient in nomine meo. 2. Corinth. 11. Angelus sathanæ transfiguratur se in Angelum lucis. Ideo tenentur discutere, & nō statim credere, quia qui cito credit leuis est corde Eccle. 19. Secundum est, oratio, quia si orat & petit Deus hominem illuminabit, quia in hoc casu intelligitur id Ioan. 15. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit nobis, petitur enim tunc in nomine Iesu, id est, ad salutē. Tertium suspedere credulitatem, & adorare sub conditione scilicet, te adoro si es Christus, si non, non: quia talis conditio nihil ponit in esse. Annota quod non sufficit conditio habitualis, quia omnis Christianus non vult adorare nisi Deum & sanctos, cum sit talis apparitio insolita. Quæ tamen habitualis conditio sufficit ad adorationem Eucharistiæ & imaginum, quia talis adoratio est in vsu Ecclesiæ: ideo non est opus dicere, Si est Eucharistia consecrata adoro illam: quia ex autoritate Ecclesiæ sacerdos in missa absolute vocat corpus, & sanguinem: dicitque eos ibi esse. Et quamuis grauius peccet sacerdos offerens hostiam non consecratā pro consecrata, quam celebrando in mortali. De celeb. Missa. cap. De homine adorans tamen non peccat.

Ex prædictis potes habere quod non omnis representans est adorandus latria: quia creatura rationalis est imago trinitatis, neque tamen adoranda latria, quia sic est imago, quod tamen non est signum alicuius diuini beneficii. Tum etiam quia habet suam propriam adorationem propter quam honor ei exhibitus non refertur ad protypum & exemplar, sed in ipsamet. Vnde neque beatus Franciscus propter sua stigmata, neque beata virgo propter contactum ad membra Christi sunt adorandi latria. Res inanimatæ vt sunt vestigia Trinitatis, quia non ducunt immediatē in Deū, non sunt adorandæ latria: vt sunt vero signa per institutionem ducuntur in Deum sic adorantur vt imagines, crux, clauis, &c. vide Alex. citat. q. 3. p. q. 30. ad finem.

DISTIN

DISTINCTIO X.

An Christus secundum quod homo sit persona? Et an sit filius Dei adoptiuus?

Proposi. 1.



Vmendo reduplicatiue, ly secundum, hæc est falsa. Christus secundum quod homo est persona, quia exposita per quatuor exponentes, quarta est falsa, scilicet causalis, non enim esse hominem est causa quod sit persona, sed ideo est persona, tam diuina, quam humana quia est Deus, & subsistit in natura humana. Dicendo Christus secundum quod homo est persona humana, est vera: quia licet esse personam competat Christo, quia est hypostasis diuina, tamen esse personam humanam competit, quia est homo: Dicit enim reduplicatio ex vi sui significati causam inhærentiæ prædicati ad subiectum. Magister in litera dicit quod ly secundum habet multiplicem rationem. Vide Alexã. 3. p. q. 6. M. 2. art. 4. vbi ad sextã rationem dicit, quod ly secundum vt est expressiua vnitatis personæ, facit propositionem verã: sed est vna sola persona Christus tam diuina, quã humana. Quod est dicere quod si ly secundum pecificatiue sumatur, ipsa est vera: quia specificat & denotat conditionem hominis, & eius naturam esse quod & persona. Aliter alij distinguunt ly secundum, scilicet si reduplicat ex supposito, aut ex natura.

Proposi. 2.

Deus dicitur adoptare filios & habere filios adoptiuos propter gratiam habitualemente quam infundit, & hoc per quandam similitudinem. Probat, Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus Abba pater. Est hoc vocabulum translatum à iuristis vt dicit Scotus hac distinct. includitque tria. Ex parte adoptantis gratuitam voluntatem qua recipit adoptatum: Secundò ex parte adoptati extraneitatem qua nullum ius habet in hæreditatem adoptantis. Tertio bonum siue hæreditatem ad quam adoptatur. In proposito est ex parte Dei gratuita voluntas, ex parte adoptati est extraneitas qua non habet ex se ius ad hæreditatem. Beatitudo est bonum siue hæreditas ad quam ordinatur, vnde Paulus. Rom. 8. dicit quod sumus filij Dei, si filij & hæredes, hæredes quidem Dei cohæredes autem

autem Christi. Est aliqua dissimilitudo. Primò, quia in humanis pater adoptans nullo modo est principium filij, Deus est principium omnium in causando. Secundò, in humanis filius adoptatus succedit mortuo patri. Hic è contra requiritur mors adoptati quia nõ videbit me homo & viuet. Exod. 33. & Psal. 126. Cum dederit dilectis suis somnum ecce hæreditas domini.

Adoptare pertinet ad totam Trinitatem, quia conferre gratiam est opus ad extra, neque peculiare alicuius personæ. Adoptari ad solam creaturam intellectualem, quia sola est capax gratiæ, & gloriæ. Neque pertinet ad omnia indiuidua. Possunt tamen omnes dici filij per creationem.

Præscitus dum est in gratia est filius Dei adoptiuus. Hæc est contra Gabrielẽ. hac. d. ar. 1. Almainus hac eadem. d. refert Dionysiu & alios tenentes præscitum nõ posse mereri, quamuis possit esse in gratia, quoniam apud ipsos de ratione meriti est, quod Deus illud acceptet ad beatitudinem, id est quod velit voluntate beneplaciti & absoluta dare ei beatitudinem. Vnde tales dicerent, ait Almainus, quod esse filiu adoptiuum est esse acceptu voluntate beneplaciti ad vitã æternam. Sed contra illos & pro conclusione. Paruuli baptizati sunt filij adoptiu, quorum tamẽ aliqui sunt præsciti. Maior probatur. Iacobi. 1. Voluntariẽ genuit nos verbo veritatis, sed paruuli sunt geniti verbo veritatis per aquam & Spiritum sanctu, igitur filij: & non naturales, ergo adoptiu. 1. Roman. 8. Quicumque Spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei: Sed qui habent gratiam aguntur Spiritu Dei, per quẽ illa est collata, ergo sunt filij. Facit pro hac sententia communis Theologoru, quod post peccatum Adæ nõ est dare medium inter filium regni, & gehennę, sed qui habet gratiam non est filius Gehennę. Sufficit itaque ad adoptionem, quod sit acceptus ad hæreditatem secundum præsentem iustitiã, quia sicut filius naturalis è sua generatione habet ius ad paternam hæreditatem quamuis possit committere propter quod exhæredetur, ita adoptiuus habet ex adoptione, quamuis possit exhæredari ex eõmisso, neque præsciẽtia Dei de suo casu repudiat illum ab adoptione. Dicere quod præsciti non possunt mereri est periculosum, vel erroneu, imo videtur coincidere cum hæresi prædestinatoru quæ nata est sub Honorio Imperatore & Zozimo papa, qui dicebat præscitis non prodesse bona opera, neq; prædestinatis obesse mala. Contra quos etiam facit in lib. 1. d. 40. p. 5. & infra. d. 31. p. 3.

in hoc tertio, quia existendo in gratia possunt facere bona opera propter Deū, & datibus vel calicē aquæ frigidæ promittitur merces. Mat. 10. Alioquin bona opera præsciti nō erūt melioris cōditionis quā existentium in mortali. Neq; præscitus suscipiēs sacramēta reciperet gratiam ex opere operato, quæ est ius ad gloriam.

Proposi. 5. Prædestinatus in mortali nō est filius adoptiuus, quia nō manet in domo patris secundum præsentem iustitiam, & pro illo tunc est inimicus non habens partem in regno Dei. Ephes. 5. Omnis fornicator aut auarus, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei, intellige dum talis est. Posset forsan sustineri oppositum, quia licet prædestinatus cadat à gratia aduentitia nō cadit à prædestinatione, & omnis ordinate volens prius vult finē, quam ea quæ sunt ad finem. Non tamē propter hoc est dicendū, quod semper maneat membrum ecclesiæ, quia esset coincidere cum Ioanne Hus dánato in Cōcilio Constantiensi, cuius quintus error dicebat, quod prædestinatus semper manet membrum ecclesiæ. Videtur enim in prædestinato cōcurrere illa triplex similitudo etiā quādo est in mortali, scilicet gratuita volūtas, extraneitas & hæreditas: placidior tñ est, & sine aliquo piculo prima sentētia.

Proposi. 6. An Christus sit dicendus filius adoptiuus, duplex sentētia fuit. Prima negatiua, quam tenet Magister in litera allegans sanctorum autoritates. Sequuntur Alex. 3. p. q. 10. M. 4. Bona. & Ricar. hac. d. Tho. 3. p. q. 23. ar. 4. & credo quod sit communis. Fūdatūq; in eo, quod filiatio respicit suppositum, & adoptio dicit extraneitatem, Christus ergo neq; secundum quod homo fuit aliquādo quin esset filius, quia neq; duratione, neq; natura præcessit esse extraneū ad gloriā, & ille dicitur filius adoptiuus qui nō est naturalis. Dicēdo ergo Christū esse adoptiuū, videtur negari esse naturalis. Atq; idioma, hoc est proprietas, dicens negationē alicuius proprietatis cōuenientis verbo, nō debet verbo cōmunicari. Aliā tenuit Ioannis de Bassolis hac. d. ar. 2. Declinat in eā Durādus in hoc. 3. d. 4. q. 1. dicens quod cū ly, secundū quod homo, possit dici Christus filius Dei adoptiuus, est nota specificationis, & nō reduplicationis. Doctores sancti eam negauerunt propter Nestorium ponentem in Christo duas personas, & vnionem illarum esse per gratiam adoptionis. In quo errore fuit felix Vrgelitanæ ecclesiæ ad montes Pyreneos episcopus dicens, Christum hominem esse filiū Dei adoptiuum, hoc est iuxta naturam humanam nuncupatione tantū atq; adoptio-

adoptione esse & dici filium Dei, quem secutus fuit Elipandus Archiepiscopus Tolitanus, disseminatusque fuit præfatus error per Asturias, & Galliciā, cōtra quē est aperte quod dixit Gabriel beate Virgini Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctū, vocabitur filius Dei: ecce homo natus ex Virgine, absolute vocatur filius Dei. Item Philip. 2. dicit Paulus datum fuisse Christo homini nomen super omne nomen, sed nomen adoptiuū non est super omne nomen, quia est nomen commune, & tenetur infra nominum mensuram. Quod si Christus homo foret sola adoptione filius, esset Christus duo filij & duæ personæ, quod affirmabat Nestorius, & Virgo nō esset mater Dei. Quod Christus non sit duo filij potes videre in Alex. citata. q. 10. M. 3. Bassolis non reputat inconueniens cōcedere illo modo Christum esse filiū sui ipsius. Vide Scotum in reportatis hac. d. Gabriel cōclu. 3. huius dist. Cōcedit humanā naturam Christi esse adoptatā, sumpto adoptare large pro ordinare ad vitā. Negat tamen Christum esse filium Dei adoptiuū, & etiam negat istas, Christus secundum humanitatem est adoptiuus propter falsitatem exponentium quia humanitas non est filia. Similiter reduplicatiue Christus secundum quod homo est filius.

Eo modo dicendum est de Christo, si est causa nostræ adoptionis, quo supra. d. 7. p. 8. dictum est: quia est causa meritoria & exemplaris. Galat. 4. Misit Deus filium suum vt adoptionem filiorum reciperemus. Ephes. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum.

DISTINCTIO XI.

An sit concedendum quod Christus est creatura?



Communis schola Theologorum negat istam, Christus est creatura. Pater primo ex litera Magistri, & ex autoritatibus sanctorū quos citat, & ex doctoribus scholasticis hac. d. ex Alex. 3. p. q. 3. M. 1. ex Thoma. 3. item parte. q. 16. ar. 8. Nihilominus tamen aliqui doctores eam concedunt vt Varro citatus à Scoto, & clarissime illam concedit Almainus hac. d.

Ista stando in rigore terminorū nō est hæretica, quia nō cōtra dicit euāgelio, neq; ecclesiæ, neq; sanctorū autoritatibus. Probatū quia

subiecto, siue conditioni specificatæ. Et sic erit sensus, Christus secundum id, quod est homo est creatura, id est sub ratione qua est homo. Magister supra. d. 10. cap. 3. facit sensum de copula specificationis, ac si esset copula implicationis, & implicetur vnitas personæ. Vt Christus secundum quod homo, est filius Dei, id est, ipse qui est homo. Perinde in proposito, qui est homo est creatura. Qui sensus implicationis quamuis in multis sit tolerabilis, non tamen in omnibus. Alexander iam citatus concedit hanc cum reduplicatione. Sed non credo sumpsit reduplicationem in rigore dialectico, sed vel in sensu Magistri, vel vt reduplicat naturam, sicut ex Thoma nunc dixi.

DISTINCTIO XII.

An homo ille ceperit esse? Si verbum potuit assumere aliam naturam, vel aliunde quam ex Adam? Si potuit peccare vel non esse Deus? Si potuit assumere naturam in sexu muliebri?

Proposi. 1.



Iste homo demonstrato Christo incepit esse in quantum homo est, conceditur à Magistro, neque debet ly in quantum sumi reduplicatiue sed specificatiue. Nam sua præiacens, scilicet iste homo incepit esse ab eodẽ Magistro videtur negari dum dicit, quod hic non est referenda responsio absque distinctione.

Proposi. 2.

Ista. Christus incepit esse est falsa & omnino negada in rigore dialectico, & illam dānauit Parisiensis vniuersitas, vt dicit Almainus. d. 7. huius tertij. Caiet. 3. p. q. 16. ar. 9. ait, quod cū appellatum fuisset ad sedem Apostolicam, reprobata dicitur sub Alexandro sexto. Quoniam vt patet ex dialectica habet has duas exponētes, Christus modo est, & immediate ante hoc non fuit, quæ secunda est falsa dicēte Paul. Heb. vlt. Iesus Christus heri, & hodie ipse & in secula. Ioan. 8. dixit ipse. Antequam Abraham fieret, ego sum. Scotus. d. 11. huius. q. 3. ipsam concessit. Sensus tamen Scoti in quo ipsam concedebat. verus erat & Catholicus. Quoniam in via

Scoti

Scoti incipere esse non dicit inceptionem secundum esse primum eius de quo dicitur, sed dicit inceptionem secundum quodcunque esse simpliciter. Et dicendo Christus incepit esse, esset dicere habet aliquod esse simpliciter, quod prius non habuit licet illud non sit primum esse Christi. Tunc haberet has exponentes. Christus in hoc instanti est secundum aliquod esse simpliciter quod est de essentia eius. Et illud esse immediate ante hoc non habuit. Per hoc patet quare Scotus concedens hanc, negabat Christus est creatura, quia creatura dicit accipere esse primum sui post non esse, estque primum esse Christi esse Verbi, quod est æternum.

Verbum potuit assumere aliam naturam quam de genere Adæ. Proposi. 3. Potuitque assumere in sexu muliebri. Decuit autem magis assumi in sexu virili, & quod per eandem naturam Adæ vinceretur, qui Adam vicerat. Magist. in litera vide & d. 1. p. 6. & Alex. 3. p. q. 2. M. 8.

Natura humana in Christo, siue Christus secundum quod homo non habuit ex vi vnionis, quod non posset peccare. Hanc tenet Scotus hac. d. & clarius. d. 2. q. 1. litera H. Et in reportatis tam hac. d. quam. d. 2. q. 2. ad. 2. principale. Probatur, quia potuit vniri, & non frui, neque habere gratiam, quoniam prior est vnio, quam gratia & fructio, ergo potuit esse absque alijs sine contradictione. Durādus hac. d. q. 2. dicit, quod huic opinioni magis obfistunt verba deuota quam ratio efficax. Magister in litera dicit, quod natura vnita non potuit peccare. Scotus in reportatis exponit Magistrū, quod sit intelligendus de congruo & non quod esset præcise impeccabilis ex vi vnionis. Alij tenent oppositum, quod sit impeccabilis ex vi vnionis, & allegabūt pro se Magistrū. In Scoti sententia non est inconueniens concedere contra verba deuota, Deum peccare, damnari & similia.

Christus secundum quod homo, fuit impeccabilis eo modo quo beati sunt impeccabiles. vide supra. d. 3. p. 14. & in. 2. d. 7. p. 1.

DISTINCTIO XIII.

De gratia anime Christi.

m 2

Anima

Proposi. 1.



Nima Christi ab ipsa conceptione fuit plena gratia. Magister in litera. Probatür Ioan. 1. vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. Hieremiæ. 31. Nouum faciet Dominus super terram mulier circundabit virum, quia in vtero virginis, vt habes in litera, fuit perfectus vir non solū propter animam & carnē, sed propter sapientiā & gratiā qua plenus erat.

Proposi. 2.

Hæc plenitudo gratiæ tanta fuit collata Christo vt ei Deus plenius conferre nō potuerit. Magi. in litera. Ratione huius est quæstio inter doctores an sit creabilis summa gratia. Superlatiua dupliciter exponitur, affirmatiue & negatiue. Affirmatiue sic, quod est magnum & quolibet alio maius: Negatiue quod est magnū, & nullū aliud ab eo est maius eo. Quæstio non petit nisi affirmatiue exponēdo, quod scilicet creetur gratia qua nō sit creabilis maior, Ochā in. 3. q. 7. tenet quod quacunq; gratia data potest creari maior. Sequitur Gabriel hac. d. cōclu. 1. Ita quod secūdū hos quos alij sequūtur, in formarū augmentatione intensibilium nō est ponere statum siue terminū: imo neq; in quibuscunq; entibus siue substātijs siue accidentibus quin per diuinā potentiam absolutā possit fieri maius, quia potētia Dei absoluta solum terminatur ad infinitū exclusiue, quia non potest facere infinitū, sed extra infinitum quocūque dato potest facere maius. Et dicūt, quod processus in infinitum nō est negādus nisi ad eū sequatur infinitas aliqua in creatura. Pro hac sua sententia citant illud Arist. 2. de anima tex. com. 41. quod ignis accretio in infinitū progreditur, & eò vsque fit quousq; sit combustibile. Alia opinio est quā tenet Sco. hac. d. q. 1. quod sit creabilis summa gratia, quoniā ascendēdo ab infima gratia aut est status ad aliquam supremam, & habetur propositū: aut non, & proceditur in infinitum, & tunc quanto aliqua magis excedit infimam tanto est perfectior, & per consequens illa quæ in infinitum excedit erit in infinitū perfectior, & ita in se infinita, quod est impossibile. Secundo sic arguitur. Illa gratia summe distās ab infima videtur à Deo tanquam vnū creabile, ergo Deus illā potest vnica creatione creare. Quæstionē hanc alij tractāt in logica, alij in physica, propter quod supersedeo. D. Thom. 3. p. q. 7. ar. 12. ad 1. videtur sentire idē quod Scot. quia dicit q; in formis cōsideratur aliquis terminus vltra quē nō progrediūtur & affert illud 2. de anima tex. com. 41. omnium quæ natura cōstant est finis & ratio

& ratio tam magnitudinis quàm accretionis, & ideo quantitati cæli non potest fieri additio. Quidam Thomista interpretatur Thomam quod loquatur de gratia Christi, non tamen de alijs formis, quia gratia Christi non potuit esse maior, quam vniri hypostati- ce, & quod Thomas non negaret quin de potentia Dei absoluta formæ cæli possit fieri additio. Cum Scoto est Caietan. vbi supra. Thomas etiam 22. q. 24. art. 7. Rationes quæ possunt fieri contra Scotum fundantur in duabus propositionibus. prima est. Quotcumque indiuiduis datis in specie habente plura indiuidua, potest deus creare aliud indiuiduum eiusdem rationis priori nō destructo. Secunda. Quando sunt aliqua plura eiusdem rationis, idē quod est vni vnibile est vnibile alteri eiusdem rationis. Sed Scoti discipulus debet negare hanc secundam quando primum est in termino, quia tunc non possunt vniri. Et sic in via Scoti concessit Leuchetus de quantitate molis, quod Deus potest facere quantitatem ita magnam, quod non posset fieri maior, non quia repugnet omnipotentia Dei, sed quia repugnat effectui. Quod formæ cæli possit fieri additio tenet Bonau. in 1. distin. 44. quæst. art. prima in argumento 3.

Quamuis gratia habitualis animæ Christi considerata vt est ens in genere qualitatis, sit finita quia est creatura & accidens subiectatum in subiecto finito, tamen considerata in genere gratiæ fuit summa, ita quod non potuit conferri maior. Ita Scotus. Thomas 3. par. quæst. 7. ab art. 9. vsq; ad 12. vocat eam infinitam aliquando in ipso art. 9. quod Christus habuit eam in summo secundum perfectissimum modum quo haberi potest. In art. 12. ait, quod ipsa nō potest augeri neque ex parte ipsius gratiæ, quia non potest intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quam quæ est in persona; neque etiam ex parte subiecti, quia Christus secūdum quod homo à primo instanti suæ conceptionis fuit verus & plenus cōprehensor. Propterea videntur Scotus & Thomas esse eiusdem sententiæ: Et quod idem significatum important hæc vocabula in proposito summa & infinita. Alexand. 3. p. quæst. 12. M. 3. distinguens in Christo triplicem gratiam scilicet, vnionis quam dicit habere rationē causæ finalis, quia finis gratiæ & vltimus effectus est vnire Deo gratiā singularis personæ, quā dicit habere rationē causæ formalis: gratiam capitis, quam dicit habere rationem causæ efficientis, quia per ipsum omnes gratiæ atque dona fluunt in

1. regula.

Secunda.

Proposi. 3.

Ecclesiam, fatetur hanc triplicem gratiam esse in eo plenissimam, sed nihil meminit de infinitate. Ocham tenet quod gratia Christi non potuit esse maior, non ex ratione gratiæ, sed quia repugnat subiecto habere maiore: ita quod subiectum determinat sibi gradus ultra quos non potest recipere. Videturque fuisse mens Bonau. hac d. num. 15. sed probatur concl. Ioan. 1. vidimus gloriam eius quasi unigeniti à patre plenam gratiæ & veritatis, id est, quod habuit tantam gratiam quantum conueniebat quod haberet ille qui erat unigenitus patris. Itē ibidē dixit Ioan. Baptista cap. 3. Non ad mensuram dat Deus Spiritum scilicet, Christo, ergo dedit illi immensam gratiam, & per consequens summam. Ratione sic. Finis gratiæ est unio creaturæ rationalis ad Deum, ut modo ex Alex. deduximus, sed non potest intelligi maior unio quam illa quæ intelligitur esse in Christo, supposita & intellecta unione in persona, ergo neque potest intelligi maior gratia. Confirmatur, quanto receptium magis appropinquat primæ causæ tanto recipit maiorem influxum, ergo Christus qui summè accedit per unionem personale, recipit summam gratiam. Secundò Christo collata est gratia ad omnes effectus quos potest habere gratia, siue sint dona, & virtutes in ipso Christo: siue ut redundant in alios, ut potest videri in citato Alex. ergo non potuit esse maior. Antecedens patet discurrendo per dona & virtutes quæ dicunt perfectionem, maxime dicente ipso Christo. Isaia 61. Spiritus domini super me eo quod unxerit me, & cap. 41. Requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ, & intellectus & c. Virtutes quæ sonant aliquam imperfectionem non sunt in ipso ratione imperfectionis importatæ. verbi gratia, fides, in eo quod assentit primæ veritati cum ænigmate. i. veritati non visæ non est in Christo ratione non visæ, & cum ænigmate. Pœnitentia detestans peccatum à se commissum non est in Christo quia ipse peccatum non fecit, licet sit in ipso detestatio omnis peccati ut illud gratia detestatur. Ratione redundantia in alios dicitur Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accipimus. Cõfirmatur, ille dicitur habere vitam quantum potest haberi, qui haberet eam ad omnes effectus vitæ. Sol, aut flamma dicitur habere summam lucem & plenissimam, quia habet quicquid est de ratione lucis in se, & ad influendum in alia. Si dicas quod Stephanus dicitur plenus gratia Act. 6. & 7. & beata virgo Lucæ 1. vide si vis late in citato Alexand. quomodo plenitudo gratiæ dicatur multipliciter. Dico ergo quod erant pleni

Argum.

pleni quantum pro illo tunc erat necessariū ex parte subiecti ad effectus ad quos ordinabantur. Stephanus ut esset idoneus & plenus testis. Beata virgo ut singularis persona quatenus esset sine peccato & grata Deo, & disposita ut consentiens verbis angeli veniret Spiritus sanctus ipsam faciens matrem Dei.

Possent fieri aliud argumentum de Angelo. Natura Angelica si fuisset assumpta esset capax maioris gratiæ, quam natura humana, quia est perfectior, ergo potest dari & creari maior gratia quam gratia Christi.

Argument.

Huius argumenti solutionem vide in scoto hac d. litera F. & I. ergo Dico negato antecedenti quod hæc capacitas non respicit perfectionem naturæ, sed potentiam obedientialem ad Deum, & quecumque natura gratificabilis est in æquali potentia ad summam gratiam. Non enim, ut Bonau. dicit num. 27. anima consideratur ad repletionem gratiæ ut locus vacuus ut repletur corpore, sed consideratur ut possibilis materiam ad actualitatem formæ.

Solutio.

Ultra gratiam habitualement de qua est sermo, & gratiam unionis, de qua in d. 2. p. 5. ponunt doctores in Christo gratiam capitis ut patet ex Alexandro citato in præcedenti. Hæc gratia capitis est eadem realiter cum gratia habituali, ita docet Bonau. hac d. art. 2. q. 2. ante solutionem argumentorum: differt tamen ratione. In eadem sententia est Tho. 3. p. q. 8. art. 5. Ad intellectum huius sciendum quod Christus dicitur caput Ecclesiæ metaphorice, quia ecclesia est unum corpus non proprie, sed metaphorice seu mystice. De quo Paulus Rom. 12. Singuli unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra de ipso Christo, Ephes. 1. ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam. Trãfferetes secundum aliquam similitudinem trãfferunt 6. Topicorum cap. 2. ideo est considerare quatuor in capite humano: Principium siue ordinem, non originis sed situs, ideo omne principium vocatur caput Ezechie. 16. Ad omne caput viæ posuisti lapinam tibi. In diuinis quia persona Patris est principium personæ Filij, dixit Paulus. 1. Cor. 12. Caput Christi Deus. Secundò est considerare perfectionem, quia in capite sunt omnes sensus cum in reliquo corpore sit tantum sensus tactus, vide Mag. in lit. citatem Augustinū. Sunt etiã in capite omnes sensus interiores, idcirco qui alijs est perfectior in dignitate & honore, dicitur caput, Isaie. 9. Lõgeus & honorabilis ipse est caput. In vnoquoque genere quod est melius nobis dicitur caput, Sic leo dicitur caput, & rex animalium.

Propositi. 4.

tertiò

Tertio est considerare virtutem influendi in membra. Nam caput influit in membra sensum, & motum, quia ab anteriori parte capitis fluunt nervi per quos influit sensus ad membra: à posteriori fluunt nervi per quos ab anima fluunt motus ad omnia membra. Ratione motus dicitur rex esse caput regni eo quod ad eius imperium mouetur regnum. Ratione providentiæ, paterfamilias est caput familiæ quia omnibus prouidet ad vitam necessaria. Quarto est identitas naturæ capitis ad membra. De qua Augustinus super Ioan. tract. 80. Vnius naturæ sunt vitis & palmites, propter quod cum esset Deus cuius naturæ non sumus factus est homo vt in illo esset vitis humana natura cuius nos homines palmites esse possemus. Secundum hæc dicitur Christus esse caput, quia ipse est propinquior ad Deum, altior hominibus, & prior ordine supereminentiæ. vnde Ioan. 1. Qui post me venit ante me factus est. Rō. 8. quos præsciuit hos prædestinavit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Perfectio fuit in Christo quia plenus gratia vt modo p. 3. & sequenti. p. De virtute influendi Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus. Attenditur verò sensus in spiritualibus quantum ad cognitionem fidei: motus quantum ad affectionem & amorem vt habes in Alexā. 3. p. quæst. 12. M. 2. art. 1. in Bonau. hac dist. num. 40. His habitis, probatur identitas gratiæ singularis personæ & gratiæ capitis in Christo. Secundum illam gratiam est Christus caput Ecclesiæ secundum quam est omnibus eminentior, influens in omnes sensum & motum. Sed hæc est gratia singularis personæ, qua ipse est plenus, vt de eius plenitudine accipiamus, ergo idem habitus est gratiæ capitis, & gratia singularis personæ. Confirmatur quia secundum gratiam singularis personæ meruit nobis & satisfecit pro nobis.

Proposi. 5. Quomodo intelligatur quod de eius plenitudine omnes accepimus, habes in litera Magistri, non quod eandem gratiam secundum essentiam accipiamus sed secundum similitudinem. Hoc est, non eandem numero, sed eandem specie. Si dubites quomodo possint esse eiusdem speciei specialissimæ gratia Christi, & nostra cum nulla nostra possit æquari gratiæ Christi? Dico quod intra eandem speciem sunt gradus, & Deus bene posset dare alteri tantam gratiam, quantum Christo. Caietan. citata quæst. 7. art. 1. ad 3. dicit quod secundum essentiam sunt eiusdem speciei, quantum ad modum

ad modum essendi sunt diuersarum rationum, quia in Christo est vt in principio vniuersali, in alijs vt in particularibus, & pars nunquam potest adæquare totum.

Ex prædictis habetur discurrendo per metaphoram quomodo Christus sit caput omnium & secundum quam naturam. Quia hominum iustorum est caput secundum prædictas quatuor conditiones: Fidelium peccatorum est caput sine influxu motus charitatis. Infidelium potest dici caput, sed in potentia. Secundum naturam diuinam attendente ratione similitudinis quantum ad principium est caput omnium creaturarum Ioan. 8. quærentibus Iudæis quis esset respondit. Principium qui & loquor vobis. Attente ratione influendi gratiam est caput partim secundum naturam diuinam quia efficit gratiam, secundum humanam, quia est causa meritoria. Sed si partim secundum humanam concurrat effectiue. vide in 4. de Sacramento quomodo sint causa gratiæ d. 1. Vnde Salmanticæ dicebat de victoria, quod ad hoc vt aliquis dicatur concurrere effectiue non est necessarium quod attingat effectiue, sicut dicimus quod pictor concurrat effectiue ad albefactionem, & tamen neq; producit albedinem, neq; parietem. Dicitur etiam caput Angelorum. Coloss. 2. Qui est caput omnis principatus, & potestatis. Ephes. 1. Proposuit omnia in se in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt. Et hoc non solum secundum naturam diuinam, verum etiam secundum humanam. Bonau. hac d. num. 44 & 45. intelligit de per accidens, quia influendo redemptionem in homines reparat angelorum ruinam. Nam gratiam & gloriam habuissent angeli sine Christo homine, putati non incarnasset verbum. De influxu in Angelos vide & Alexand. citata quæst. 12. M. 2. art. 3. §. 5.

In Christo Domino fuere omnes gratiæ gratis datae. De quibus Paulus 1. Corinth. 12. Vnicuiq; datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, id est, Ecclesiæ ædificandæ, vt exponit Glos. ordi. & Iustertij. Enumerat. Alij sermo sapientiæ, & c. quarum aliquæ se habent ad modum habitus, vt fides, prophetia: Aliæ non, vt genera linguarum. Hæ gratiæ cum vni hominum datur vna, aliæ alia, Christo datae sunt omnes. Ita docet Bonau. hac dist. 14. quia non obiecti datus spiritus ad mensuram Ioan. 3. de his gratijs doctores scholastici nihil aut parū tractant. Sed Alexand. 3. p. q. 73. & 77. Et post eū Thomas 1. 2. q. 170. & 22. q. 176. fusius disputant. sed quia Tho.

Vide supra d. 3. p. 8. in sol. primi.

Proposi. 6.

3.p.q.7.ar.7.ad 3.dicit Christum non fuisse vsum dono linguarū, contrarium credo quia locutus est cum Gracis venientibus ad eum mediante Philippo & Andrea Ioan. 12. Cum Samaritana & Chananæa Syrophœnisa genere Marci 7.

DISTINCTIO XIII.

De scientia & potentia anime Christi

Proposi. 1.



Communis Theologorū schola ponit in Christo aliā scientiam sc̄reatam propter scientiam increatam & diuinam: Hęc colligitur ex litera Magistri. Videatur Alexand. 3.p.q.13. Thom. 3.p.q. 9. & Scholastici hac dist. Probatur Christus fuit perfectus Deus, & perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens: sed si eius anima non haberet scientiam quę esset eius perfectio propria Christus esset imperfectior alijs hominibus, consequens est inconueniens, ergo & antecedens. 2. sic. Quęlibet res est propter suam operationem 2. de cęlo. text. 17. cap. 3. Sed Christus habuit animam intellectiuam, ergo propter suam operationem: Operationibus autem proportionatur habitus, ergo anima intellectiua Christi habuit habitum scientiæ creatę: alioquin frustra habuisset animam. Quorundam positio fuit, quod diuinā essentia fuit formalis intellectio ipsius anime Christi, idemque dicunt de alijs beatis, reputant enim pro inconuenienti quod beatitudo cōsistat in accidentibus. Hanc refert Bonau. hac dist. quęst. 1. & eam impugnat Caietan. vbi supra. Tho. art. 1. refert ex Capreolo: Ioānem de Ripa cum argumentis pro sua opinione cōtra nostram. Aduerte quod Deus licet possit se solo quidquid potest cum causa secūda, supple. efficiēti, non potest tamen supplere vicem causę formalis, aut materialis, quę sunt partes compositi, quia hoc dicit imperfectionem, & compositionem, quę à Deo negatur in 1. dist. 8. ideo dicere quod Deus respectu beatorum habeat se sicut species intelligibilis negandum est, capiēdo speciem proprie vti intellectum actualiter informat. Improprie pro omni re quę immutat intellectum potest concedi: neque sic probatur quod essentia diuinā sit intellectio beatorum.

Proposi. 2.

Anima Christi in hac vita habuit scientiam beatificam: Hoc est quod

quod simul fuit Viator, & Comprehenfor, atq; beatus. Hęc adeo communis est in Schola Theologorum quod oppositum credere temerarium atq; erroneum. Ipsam docet Alexan. citata q. 13. M. 1. Bonau. hac d. Scotus d. 12. huius tertij. Thom. citata q. 9. art. 2. & q. 15. art. vltimo. & q. 34. art. 4. Magister hac d. cap. 3. & infra d. 26. cap. 4. Neq; scio aliquem doctorem ab hac dissidere. Capitur cōprehendere tripliciter vt docet Bonau. q. 2. ad vltimum. Primò pro eo quod est caritate adhærere, vnde Bernardus ad Eugenium. Si sanctus es cōprehendisti. Secūdo pro clarè videre Philip. 3. Sequor si quomodo cōprehendam in quo cōprehensus sum à Christo Iesu. Isto modo vocatur à Theologis beati Cōprehenses. Tertio modo, est terminos rei claudere, hoc modo vocatur Deus à nobis incōprehensibilis, quia non possumus eū cognoscere quantum est cognoscibilis. De hoc tertio vide Scotum hac d. q. 1. ante liter F. vbi ex Augustino docet quid est comprehendere: & supra in primò d. 35. p. 3. Modo probatur concl. Ioan. 8. dixit Christus. Ego noui eū, & si dixerō quia non scio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum & sermonem eius seruo. Secūdo. Marth. 11. Nemo nouit Filium nisi pater, neq; patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Vbi Christus loquebatur de notitia faciali, quę habetur per clarā visionem, & non de ænigmatica per fidem quę in præsentī vita habetur, quā tunc multi habebāt. Neq; videtur quod loquebatur de notitia comprehensiuā, quę est illi cum Patre & Spiritu sancto ex Diuinitate communis, sed de notitia creatā quā potest Filius hominibus reuelare, & illa est facialis, ergo quando Christus hęc verba protulit habebat faciale & beatam in quantum homo. Tertio ibidem ante hęc verba loquens de Ioanne dixerat. Qui minor est in regno cęlorum maior est illo. Vbi secūdo vnā expositionē loquebatur de se, qui secūdo naturā humanā minor est angelis & maior quā Baptista, ergo tūc erat in cęlo eius anima scilicet per clarā visionem & beata. Quarto. In Transfiguratione Matth. 17. refulsit facies eius sicut Sol, quę refulgentia redundauit à gloria anime in corpus. Quinto. Augustinus. 9. de trinit. cap. 15. & citatur à Ricardo hac distinct.

A Christo nunquam discessit beatitudo. Sexto. faciunt verba Christi Ioan. 3. ad Nicodemum. Nemo ascendit in cælum: nisi qui descendit de cęlo: Filius hominis qui est in cęlo, ergo ipse secūdo quod homo erat in cęlo per clarā Dei

n 2 visionem,

Proposi. 3.

visionem, cum tamen non esset secundum situm corporis. In hanc erunt doctores qui tenent quod non potuit vni hypostatice sine frustione. Anima Christi per hoc quod videbat Deum, non comprehendebat ipsum tertio modo sumpto comprehendere. Ita docet citatus Bonauen. quæst. 2. probatur Hieremiæ 32. Fortissime magne & potens Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu. Ratione. Quod comprehendit aliud est maius, aut æquale comprehenso, sed anima neque est maior neque æqualis verbo, ergo non comprehendit ipsum. Neque obstat quod tam ipsa, quam aliæ animæ beatæ videant Deum sub ratione infiniti; vt docet Scotus tam hac distin. quæst. 1. ad 2. quam in 1. dist. 1. quæst. 1. ad 3. quia vt ipse dicit potest videre infinitum, non tamen attingere omni modo quod est attingibile, id est, non videre omni modo quo est visibile. Et ista maioritas cognitionis non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte actus ipsius animæ. Ponit exemplum de visu vidente decem gradus coloris in aliquo obiecto, quos videat aliquis oculus acutior, ibi non est excessus ex parte obiecti, sed ex parte actus videndi. Cæterum de lumine gloriæ, & si intellectus se habeat passive aut actiue, quæ aliqui doctores hac distinct. tractant. vide infra in 4. dist. 49.

Propos. 4. Anima Christi clarius & perfectius videt Deum, quam alij beati. Probatur Heb. 1. Sedet à dextris Dei tanto melior Angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Ephe. 1. Constitutus super omnem Principatum, Potestatem & Virtutem & dominationem & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Ratione. Christus habuit summam gratiam ex præcedenti distinct. ergo & summam gloriam, quia gratia est ius ad gloriam, ergo summa gratia ius ad summam gloriam, quia licet controuertatur si gloria correspondeat meritis vel maiori gratiæ vt infra in 4. dist. 22. aut aliquis cū minori gratia habeat maiora & plura merita, tamen regulariter hoc ita est quod vbi maior gratia, ibi ius ad maiorem gloriam.

Propos. 5. Anima Christi videbat creaturas in verbo. Quid sit videre in verbo habes in 2. distinct. 3. par. 15. quæ est perfectior vt ibi habetur, & à Scoto lib. 1. distinct. 3. quæst. 2. ante literam X. & in prologo q. 4. & 5. litera E. Vide supra in 1. d. 36. p. 7. in Corollario.

Sed

Sed quas creaturas videbat, sunt variæ opinioniones. Prima quod non vit in verbo omnia quæ scit Deus scientia visionis, nõ tamẽ omnia quæ scit Deus scientia simplicis intelligentiæ. Ita tenet Tho. 3. p. q. 10. ar. 2. quæ sit scientia visionis & simplicis intelligentiæ habes in 1. d. 36. Si contra hæc dicas, quod ex ea sequitur, quod cognoscit infinita, quia sic cognoscet cogitationes hominũ & angelorum quæ sunt infinitæ quia durabũt in infinitũ. Respondet distinguẽdo de ente simpliciter, & secundũ quid. Ens in actu vocatur ens simpliciter, & sic quæcũq; erũt in actu secundũ quodcũq; tẽpus sunt finita quia status generationis & corruptionis nõ durat in infinitũ. Ens secundũ quid, est ens in potẽtia. In potẽtia creaturæ illæ cogitationes sunt infinitæ, quia nõ sunt simul in actu, sed multiplicabũtur in infinitum tempore discreto. Scire talia non est scire infinita primò & simpliciter, sed scire secundariò, quia non sunt secundũ se cognoscibilia, sed secundum quod cognoscitur angelus, & anima in quorum potẽtia sunt illa infinita. vide Tho. ar. 3.

Magister hac. d. absolute tenet quod anima Christi scit omnia quæ Deus scit nullamque facit distinctionem. In eadem sententia est Alex. 3. p. q. 13. M. 7. Non tamen concedunt quod sit æqualis scientia, quia vt Alexander explicat non sufficit ad æqualitatem quod sit eorũdem obiectorum, sed requiruntur alia duo, scilicet quod sciatur eodem medio, & eodem modo. Sed medium est aliud, quia Deus scit omnia per seipsum sicut causam omnium: Anima Christi non per seipsam, sed per Deum. Modus etiam est alius quia Deus videt omnia in se, Anima non in se sed in Deo, & sic non cognoscit ita clarè sicut Deus cognoscit. Affert in suam sententiã Magister id Colos. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.

Opinio alia est quod cognoscit omnia habitualiter non tamen actu. Hanc refert Scotus hac. d. q. 2. tanquam Henrici & impugnat eam. Videturque Henricus intelligere per habitualiter habitum inhærentem. Et reuera S. Bona. hac. d. ar. 2. q. 3. tenendo hæc opinionem postea quã impugnavit duas priores modo allatas fatetur in anima Christi habitum finitum per quem cognoscit omnia habitualiter. Varro quem refert Gabriel hac. d. tenendo hanc sententiã in verbis, non intelligit habitũ inhærentem, sed quod per actum videndi verbum omnia relucẽtia in verbo sunt sibi habitualiter nota, & illud dicitur habitualiter notum, respectu cuius

habetur actus primus sufficienter ostensus obiecti.

Scotus absolute tenet quod Mag. & Alex. quod nouit omnia preterita, presentia, futura, & possibilia quæ nūquam erunt. Ponit triplicem modum ad hoc: primus est, quod habeat vnam visionem respectu verbi vt primi obiecti, & omnium relucens in verbo, vt secundariorum obiectorum, ad quæ obiecta secundaria haberet respectus distinctos: neque propter hoc actus fundans hos respectus est infinitus, quia cum obiecta illa non habeant esse in actu, respectus illi erunt in potentia, & sic in actu illo nulla est infinitas. Secundus modus, quod respectu cuiusque obiecti sit propria visio, sed hic modus admittit infinitas visiones contrariarique videtur sanctorum autoritatibus. Tertius modus quod cognoscat omnia quæ verbum habitualiter, sed non actualiter. Non quod habeat habitum representatiuum infinitorum quia ille esset infinitus excedens animæ capacitatem, sed quod sicut ille qui habet habitum utitur eo quando vult, & conuertit se ad omnia ad quæ inclinat habitus, ita ista anima videndo verbum conuertit se ad omnia quæ scit verbū quando vult, & quomodo vult, neque hoc possunt alij beati, quia diuina essentia est speculum voluntarium. ideo Iob. 34. Ex quo absconderit vultum suum quis est qui cōtempletur eum? ergo dempto suo intellectu cui est obiectum naturale respectu aliorum est voluntarium vt saepe docet Scotus hac dist. quæst. 2. litera O. in prologo. quæst. 3. litera F. & litera Y. in primo. dist. 3. quæst. 2. litera D. Christo vult reuelare omnia modo predicto: alijs beatis non vult reuelare omnia, sed aliqua determinata. In reportatis hac dist. quæst. 2. clare dicit Scotus, Istum modum teneo & sic hæc est eius mens, & opinio. Quomodo sit speculum vide in prim. dist. 36. Neque per hunc modum scientia animæ Christi æquatur scientiæ verbi, neque ipsa comprehendit verbum. Est exemplum, si liber detur legentibus quorum vni concedatur lectio quatuor foliorum, alteri decem, quibus si dicatur quod totum librum legant, respondebunt id Isaie. 29. Non possumus, signatus est enim, Christo datur lectio totius libri non simul. Verbum autem vno actu scit & nouit omnia quæ liber continet. Potest ad hoc afferri de libro illo Apocalypsis 2. 7. signato septem sigillis quem solus Agnus occisus aperuit, id est, Christus homo.

De

De cognitione Christi rerum in genere proprio.

Anima Christi habuit infusas species quibus cognouit omnia vniuersalia. Hoc est habuit infusas species omnium vniuersalium. Sic eorum habuit notitiam abstractiuam, quæ scilicet abstrahit ab omni existentia actuali obiecti, æquò representans obiectum existens, sicut quando non existit. Probatur, tales species fuere infuse angelis vt in. 2. d. 3. ergo & Christo, quia est perfectio intellectus creati eo quod est passiuus, & cū talis perfectio nõ negetur ab angelo, neq; est negada à Christo. Hæc docet Scotus hac. d. q. 3. cuius etiam mens est quod per has species nõ cognoscuntur singularia, vide in. 2. d. 3. p. 13. Caiet. 3. p. q. 11. ar. 1. ad. 3. tenet quod species infusa è genere suo & non per accidens est alterius rationis ab acquisita, & alterius ordinis, & quod vniuersalis infusa sufficienter representabat singulare secundum conditionem individualem, & p̄ illas Christus omnia singularia cognoscebat notitia abstractiua.

Scotus manet dubius si intellectus Christi humanus habuit infusas species omnium singularium per quas haberet abstractiuam notitiam eorum, quia sic haberet infinitas species. Propter quod, ait, posse dici quod aliquorum singularium habuit infusas species, aliquorum non, sed quando fierent in rerum natura haberet notitiam actualem illorum, & sic acquireret species talium singularium.

Notitiam intuitiuam perfectam quæ est obiecti vt presentialiter existit Christus non habuit, neque omnium singularium, neque vniuersalium. Hæc est de mente Scoti. Probatur quia illa requirunt actualem existentiam, & presentialitatem ad potentiam, sed omnia obiecta non potuerunt esse simul presentia in seipsis intellectui Christi creato, cum intellectus creatus & finitus nequeat simul considerare omnia actualiter. Si autem potuit habere notitiam intuitiuam indiuiduorum per species sibi infusas illorum, Scotus tenet quod non, quia illa non est notitia intuitiua. Caietanus vbi supra tenet quod sic vide si vis.

Memoriam præteritorum habuit Christus, quæ memoria vocatur à Scoto intuitiua imperfecta, similiter vocat intuitiuam imperfectam, opinionem de futuro. Gabriel hac dist. art. 2. conclusione 4. vocat eam abstractiuam. Dicit etiam Scotus quod

quod non habuit memoriam omnium, quia sicut non nouit omnia notitia intuitiua ita neque omnium relicta est memoria, quoniam memoria est præteriti cogniti secundum actualem existentiam.

Cor.

Ex prædictis patet quomodo Christus proficiebat sapientia: Lucæ. 2. quia acquirebat notitiam intuitiuam multorum, quorum postea recordabatur. Didicit etiam per experientiam ex his quæ passus est Heb. 5. Nam experientia fit ex memoria ut autor est Arist. 1. Metaph. cap. 1. Multæ eiusdem rei memoriæ vnius experientia vim efficiunt ut ipse ibidem ait, probatque dictum cuiusdam Poli, quod experientia artem efficit. Quæ ars fit cum è multis experimentalibus conceptibus vna de similibus vniuersalis opinio fiat. vnde potest sic describi. Experientia est iudicium alicuius singularis sensu causata ex multis memorijs similibus prius sensorum. vnde sensatio est prima notitia intuitiua, Memoria notitia intuitiua imperfecta secundum Scotum, aut abstractiua secundum Gabrielem: Experientia notitia ad hæsiua seu iudicatiua. Est auctoritas sapientis dicentis Eccli. 34. Qui non est tentatus quid & qualia scit? Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit enarrabit intellectum. Qui non est expertus pauca recognoscit. Fuit ergo Christus Dominus tentatus per omnia, ut ait Paulus Hebr. 4. & in eo, in quo passus est & tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari. ibidem cap. 2.

Magister in litera præcedentis dist. exponit quod proficiebat quia eas ex tempore paulatim cæteris monstrabat. Proficiebat, quia in alijs proficiebat eos ad laudem Dei, & ad salutem propriam excitando, & sic apud homines proficiebat, sicut rector Ecclesiasticus dicitur proficere in cura sibi tradita cum per eius industriam alij proficiunt.

Argumen.

Contra prædicta potest argui. Primo, quod memoria est in parte sensitua dicente Arist. in lib. de Memoria, quod memoria per se est prima sensuæ facultatis, proinde alijs animantibus tribuitur ne dum homini. Si ergo est in vi sensitua, Christus Dominus cognoscebat per phantasmata, quod videtur inconueniens. Confir. quia experientia fit è similibus prius sensatis ad aliquod singulare, ut è multis sensibus facta experientia fiat inde vniuersale, tam quæ principium artis & scientiæ, nam ut Arist. citato in Metaph. dixit. Per experientiam & scientia hominibus efficitur. igitur Christus

stus cognoscebat per phantasma, & ab vno ad aliud discurrebat.

Secundo ex illo Mar. 13. de die iudicij, & hora quod nemo scit, neque angeli, neque filius nisi Pater, ergo Christus homo non scit quæcunque Deus scit. *Argum. 2.*

Ad primum vide si vis latè in scoto lib. 4. d. 45. q. 3. Dico ergo quod posset concedi memoria in parte sensitua, & in brutis, quod videtur innuisse Arist. quamuis ea quæ videntur esse in brutis attestantia in eis esse memoriam possint saluari ex industria, & complexione naturali & phantasmate, ut in formica colligente grana in æstate, in canibus aut leonibus qui sunt grati benefactoribus. Perinde etiam in homine erit memoria sensitua, & intellectiua, vocat ibi Arist. primum sensitiuum sensum comunem, sed hunc sensum etiam habet homo, neque quia memoriam habeat sensitiuam est illi neganda sua intellectiua, quia non est negandum à superiori cognitua, quod est perfectionis in cognitua inferiori, sed sensus communis habet suam memoriam, ergo & illam habet intellectus. Concesso ergo antecedenti dico de cognitione Christi per phantasmata: sicut supra in. 2. distinct. 3. dictum est de angelis. Primo dico, quod anima Christi habuit scientiam infusam per species infusas omnium: De scientia acquisita, quod potuit esse in eo si non fuisset infusa, dato quod habet infusam, vide loco citato in p. 14. in solu. tertij. quomodo potest sustineri vtrūque, quod species infusa differat specie ab acquisita: vel quod sit eiusdem rationis. Posito quod non differunt specie erit in anima Christi solū scientia infusa præter scientiam beatam & experimētalem, de qua loquimur, neque erit in eo aliqua scientia acquisita, quia erunt duo accidentia solo numero differentia. Sanct. Bona. hac. d. num. 54. non dat Christi animæ scientiam acquisitam, sed beatam, infusam, atque experimētalem, videturque esse mens Scoti hac. d. q. 3. contra opinionem. Neganda tunc erunt ab intellectu Christi phantasmata, ita videtur ibi negare Scot. ad tertium argumentum & in q. 2. litera. Q. negando ab eo concomitas, id est, phantasma quæ negatur & ab angelis. Concedendo in eo scientiam acquisitam differentem specie ab infusa nullum videtur inconueniens concedere in ipso phantasmata, quæ sunt perfectiones potentia sensitua interioris, sicut color, & sapor, & sonus perficiunt potentias & sensus exteriores etiam in Christo. Neque

erit

erit inconueniens concedere in Christo discursum, per quem tamen ipse nihil sciebat, aut cognoscebat incognitum, sed cognitum vno modo, sciebat & cognoscebat alio modo, vt verbi gratia, quia Christus exercuit artem fabrilem Marci. 6. Nonne hic est faber? verosimile fit in illa arte ipsum à Ioseph audisse documenta quando ab anno duodecimo illi subditus erat. Luca. 2. Similiter ad singularia quæ sentiebat, memorabatur & ex quibus experienciã capiebat non est abs. redicere vt in septima propo. modo est dictũ, quod illorum acquirebat species: quas memoria conseruabat. Sicut etiam loco citato in secundo lib. sunt variæ sententiæ de angelis superioribus si cognoscunt per species magis vniuersales, quam angeli inferiores ita in præsentia posset de Christo fieri quæstio, & concedi secundum vnam opinionem, quod intelligit per species infusas simpliciores, quam sint species datæ angelis. Imo quod cognoscat per vnam solam speciem, & habitum vt ibi de angelis tenebat Henricus. Et. p. 5. huius. d. de ipsomet Christo sentit Bonauen.

Nota.

Argum. 2.

Propter verbũ Marci citatũ hæretici Agnoitæ dixerunt, quod Christus in quantũ Deus ignorabat diẽ iudicij. Vide Isidorũ. habetur. 24. q. 3. Quidã autẽ. Cõtra quoscitur ibi Isaias. 30. ca. Dies iudicij in corde meo, quãuis translatio nostra aliter habeat Deus iudicij Dominus. Et trãslatio septuaginta interpretum, iudex Dominus Deus vester. Quidam hæretici vt est videre in Irenæo lib. 1. cap. 17. finxerunt Christum puerulum sub quodam præceptore innominato didicisse literas & Alphabetum. Vnde videntur tenuisse Christum Dominum fuisse inscium & ignorantem sicut sunt alij homines & pueri. Hæretici nostri temporis vt Brentius, Caluinus, Molineus dicunt Christum non solum ignorasse diem iudicij, verum & alia plurima. Contra hos est, quod Christus in quantum Deus est patri consubstantialis, & æqualis sapientiæ vt habetur in primo libro, contra Arrianos. Et id Pauli Coloss. 2. quod sunt in eo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ. Et id Isaiæ. 11. quod fuit super Christum Spiritus sapientiæ & intellectus. Autoritas Marci multas habet expositiones quas vide in Bonauen. in. 4. d. 48. nu. 18. in Thoma. 3. p. quæst. 10. art. 2. ad primum. Pono duas: Prima est quia non nouit à se, sed à patre, sicut non est à se, sed à patre, vnde Ioan. 7. dixerat. Mea doctrina nõ est mea, quam autoritatem ad hunc intellectum ibi interpretatur August. vt sicut

sicut ipse est verbum à patre, ita fit & doctrina à patre, alioquin sibi ipsi diceret contraria dicendo meam & non meam. Ex Ioanne ibidem potest argui contra citatos hæreticos, quia dicebant Iudæi, quomodo literas scit cum non didicerit? ergo Christus non didicit à Magistro alphabetum, vt dicuntur finxisse hæretici gnostici. Posset etiam ex his fieri argumentum contra scientiam acquisitam, quia si haberet scientiam acquisitam, & secundum illam loqueretur, iam sua doctrina à seipso esset, & literas didicisset. Secunda Marci interpretatio est, quia nescit illum diem ad manifestandum, quia in scriptura res runc dicuntur fieri quãdo innotescunt, & quia ipse non facit alios scire, dicitur nescire. Gene. 22. Nunc cognoui quod timeas Deum id est, feci cognoscere, quasi dum non faciebat cognoscere, ipse etiam non cognosceret.

Animæ Christi non fuit communicata omnipotentia, quia est propria diuinæ naturæ: Communicatur autem homini Christo, quod dicatur, & fit omnipotens per vnionem, hoc est per communicationem idiomatũ. vide Magistrum in litera. Alex. 1. p. q. 21. M. 1. ar. 4. & 3. p. q. 14. M. 2. Bona. hac. d. q. vlt. Tho. 3. p. q. 13. ar. 1. vide & supra. in. 1. d. 43. p. 5.

Propo. 10.

Si contra hanc dicas quod habuit omnem scientiam, ergo omnipotentiam, probatur quia in omni scientia comprehenditur practica cũ speculatiua, ergo sicut scit omnia creabilia, ita potuit in omnia creabilia.

Argum.

Respondetur esse dissimile, quia de ratione scientiæ est quod scibilia sint præsentia scienti, nec refert à quo fiant præsentia: omnipotentiã de sua ratione exposcit, quod nõ habeatur cũ dependentia ab alio tanquã à causa. Quia ergo per præsentia scibilis fit assimilatio intellectus ad rem scitam, potuit Christi animæ cõmunicari omnis scientia faciẽdo omnia scibilia sibi præsentia, nõ tamen omnipotentiã quia repugnat creaturæ esse, & operari sine dependentia à principio tanquã sui causa. Ad probationẽ respondet citatus Alex. quod aliud est habere scientiã practicã, aliud habere eã practicẽ. Habere practicẽ est habere secundũ, quod refertur ad operis executionem. Christi animæ fuit communicata omnis scientia practica, sed non practicẽ, & ita sciuit creare mũdũ sed non potuit creare, quia sciuit ad contemplationẽ operis: ad scire practicã non practicẽ sed speculatiuẽ non sequitur

Solu.

omnipotentia. Scotus. d. 16. huius, q. 1. ad secundum argumentum principale docens hanc decimam, soluendo hoc argumentum dicit non esse simile, quia fundamentum omnipotentie requirit continere in se virtualiter & perfecte omnem perfectionem & formam cuiuscunque creabilis, & tanta perfectio non potest conferri, neque animæ, neque angelo.

DISTINCTIO XV.

De defectibus humanæ naturæ, assumptis à filio Dei.

Proposi. 1.



Ongruū fuit quod filius Dei assumeret aliquos defectus, & passiones naturæ humanæ. Probatum ista congruentia. Primo ut simus empti pretio magno & non corruptibilibus auro & argento. 1. Corinth. 6. & 1. Petri cap. 1. Secundò propter exemplum ut ex ipso discamus mansuetudinem & humilitatem Matth. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis. Tertiò, propter iuandam infirmitatem nostram ad actus trium virtutum Theologalium: fidei, contra negantes ipsum habuisse verum corpus & animam. Spei, ne diffidamus scientes quod se pro nobis obtulit. Sic erigit Paulus confidentiam nostram. Heb. 4. Non habemus pontificem qui non possit pati infirmitatibus nostris, & capit. 2. Debit fratribus assimilari ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum Rom. 8. Qui proprio filio non pepercit quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Charitatis, quia ingratus etiam apud homines censetur qui amantem non redamat, & accepta beneficia non recòpensat. 1. Ioan. 4. Diligamus Deum quoniam ipse prior dilexit nos. Et sic ex defectibus Christi sumit Ecclesia robur. ut ex costa Adæ fabricata est Eua. vide Bona. hac. d. q. 1. Alex. 3. p. q. 5. M. 3. Tho. 3. p. q. 14. ar. 8.

Proposi. 2.

Non decuit Christum assumere peccatum neque defectus qui sunt via ad peccandum, ut est ignorantia & fomes. Magister in litera. Probatum Heb. 7. Talis decebat ut nobis esset pontifex Sanctus, innocēs, impollutus, segregatus à peccatoribus. Qui nõ haberet

beret quotidie necessitatem prius pro suis delictis hostias offerre.

Christus dominus suscepit in se illos defectus qui consequuntur totam naturam ut famem, sitim, non autem illos, qui contingunt hominibus particularibus, ut esse claudos, cæcos, febricitantes. Erat enim futurus speciosus præ filiis hominum. Psal. 44. Et electus ex millibus cant. 5. Multiq; tales sunt sibi ipsis cõtrarij, nequeuntes esse in eodem.

Discrimen est inter eosdem defectus in Christo & in nobis, quia in Christo dicuntur esse assumpti volūtariè, in nobis necessitate cõtracti. Mag. in lit. Ratio sumitur ex vocabulo: Cõtractus quippe dicitur quasi simul tractus. Trahimus ergo nos à peccato parētū simul cū ipsa generatione, & ex debito hõs defectus, & sic non sunt in Christo & in nobis ex eadem causa, ut dicitur in litera.

Christus dominus passus est veros dolores in corpore, & verā tristitiam in anima. Ita Mag. in litera. Probatum Isaiæ 53. Vere dolores nostros ipse pertulit. Psalm. 58. dicitur ex persona Christi. Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Et Psal. 68. Ego sum pauper & dolens. Ratione: quia dolor carnis est offensio animæ ex carne, ut ex Augustino deducit Scotus hac d. sed anima Christi fuit coniuncta carni passibili, ergo ex passione carnis anima patiebatur. De tristitia Matth. 26. Tristis est anima mea usq; ad mortē Lucæ 19. Fleuit super Hierusalē. Heb. 5. cū clamore valido & lachrymis obtulit preces, sed lachrymæ sunt signa tristitiæ. Ratione sic. Tristitia est dissentio animi ab his quæ nobis nolentibus acciderunt ut ex eodem Augustino idem Scotus deducit, sed multa acciderunt quæ Christus nolebat, ut calix pro quo ut transfret orabat Matth. 26. Nolebat peccata hominum etiam se crucifigentium. Et dato opposito conclusionis Christus fuisset seductor cū ostenderet se pati, & dolere atque tristari, & omnium hominum mendacissimus, corrueretque Euangelium quod est hæreticum, & coincidens cum errore Sarracenorum, qui dicunt Christum nõ vere doluisse, & passum fuisse, ut videbis in Bonau. d. sequenti q. 1. vbi & dicit hunc errorem tenuisse aliquos antiquos hæreticos, quos tamen non nominat. Sed qui negabant in Christo verū corpus, consequens est ut negarent in eo verum dolorem: qui negabant ei animam rationalem etiam negarent veram tristitiã. Damascenus lib. 3. cap. 28. prædictum errorem negantem Christum vere doluisse imponit Iuliano Capuano episcopo, & cuidã Caio.

Vide eundem Damascenum lib. de hæresibus hæresi. 84. Quod verò Isaias dixit de Christo 42. cap. Non erit tristis neq; turbulentus; & Proverb. 12. Non contristabit iustum quicquid acciderit ei, intelligendū est de tristitia quæ subuertit vsum rationis, tali modo non fuit in Christo: Magister in litera cap. 6. ponit in Christo propassionem, id est, diminutam passionem, quæ neque à rectitudine neque à Dei contemplatione moueret, negat verò ab eo passionem quæ turbat & mouet intellectu. Glossa verò ordin. super Matth. 5. dicit quod propassio est motus subitus sine deliberatiōe boni vel mali operis: Passio deliberatio ex cōsensu, sed in Christo non fuit talis indeliberatio, ergo neq; propassio. Concordari debent, quod Magister de propassione in Christo loquatur: Glossa de hominum propassione qui vident mulierem & possunt concupiscere.

Argumen. Contra hanc Magister facit argumentum ex Hilario. 10. de trinit. quem latè refert, cuius verba sonant Christum non doluisse: Solut Magister interpretando quod non doluit secundum causam & meritum dolendi sicut nos. Sanctus Bonau. Modò citatus dicit se audisse à Gulielmo Episcopo Parisiensi quod viderat librum Hilarij vbi præfactam sententiam retractauit.

Longam circa hanc propositionem aliqui doctores quæstionem mouent quomodo potuit Christus pati cum esset beatus? Et an passus sit secundum portionem superiorem: Vide Alex. 3. p. q. 17. M. 1. & 2. De portione superiori & inferiori, vide in 2. d. 24. Scotus hac d. litera N. dicit quod voluntas non vt libera sed vt est natura prout est cōiuncta appetitui sensitui nata ei cōtristari aut condelectari dicitur portio inferior: Sed secundum quod naturaliter inclinatur ad amandum suum esse est portio superior largè sumpta quia respicit in ordine ad æterna. Voluntas è sua naturali inclinatione inclinatur ad vltimum finem, & ad alia in ordine ad vltimum finem, & sic dum inclinatur ad conseruationem sui esse est portio superior modo prædicto. Christus igitur secundum portionem superiorem strictè sumptam, id est, vt respicit æterna secundum regulas æternas non est contristatus, quia sic oportebat quod tristiretur de æternis, verbi gratia, quod Deus sit, quod bonus & iustus sit, quod erat impossibile. Tristabatur igitur, secundum quod voluntas est cōiuncta appetitui sensitui, de his de.

de quibus sensus dolebat. Tristabatur de alijs in ordine ad æterna vt de casu discipulorum, de peccato crucifigentium, quod est tristari secundum portionem inferiorem. Vel secundum superiorem largè sumptam. Habuit etiam tristitiam de morte sua per voluntatem liberam, & nolle conditionatum, quia in horto orabat pro morte, vt si fieri posset trāsiret à se, sicut qui proijcit merces in mare absolute proijcit vt euadat, & tamen conditionatè nō let proijcere si aliter euadere posset. Hoc sufficit ad tristandum. Sed si voluntas Christi vt libera habuit nolle absolutum de morte sua prout est portio inferior, Scotus pro vtraque parte facit rationes, videtur quæ relinquere quasi problema vide litera S. & T.

In Christo fuit verus timor. Probatur Marci. 14. cæpit Iesus *Proposi. 6.* pauere & tædere. Ad huius intellectu annota ex Alexand. 3. par. quæst. 5. M. 2. art. 3. atque ex Bonau. hac d. num. 3. quod timor est in triplici differentia. Quidam est gratuitus, quidam libidinosus, quidam naturalis medians inter duos præcedentes. Libidinosus seu vitiosus diuiditur in mundanum & humanum. Mundanus est quando aliquis timet de rebus transitorijs sicut timere Iudei ne venirent Romani & regnum tollerent Ioan. 11. Humanus quando plus debito timemus de corpore de quo dixit Christus Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. Hic vitiosus seu libidinosus non fuit in Christo, quia talis non est sine aliqua peccato. Timor gratuitus diuiditur in timorem pænæ tantum, qui vocatur seruilis & in timorem offensæ, sed habita consideratione etiam ad pænā infligendam vocatur initialis, de quo Psalm. 110. initium sapientiæ timor Domini: est enim initium ad perfectum & sanctum timorem: & in timorem filialem seu reuerentialem, qui reuetur Deum propter se. Estque timor reuerentialis vt dicit Alexand. vbi supra art. 4. resilitio, hoc est, reflexio à magnitudine diuinæ maiestatis in propriam paruitatem, vnde nihil aliud est nisi voluntaria subiectio diuinæ maiestati. Quanto quis plus diligit Deum & eius voluntati magis subijcitur tanto est maior in ipso hic timor reuerentialis. Alij duo timores seruilis, & initialis non fuerunt in Christo: fuit tamen timor reuerentialis dicente Isai. cap. 11. de Christo, replebit eum spiritus timoris Domini. Et Paulus Hebr. 5. quod exauditus est pro sua reuerētia, intellige non solū pro sua dignitate, sed pro reuerētia qua patrem ipse reuerabatur, vt patet quando

quando orabat ipsum pronus in terra Matth. 26. & aliàs in Euan-
gelio. Hic timor procedit à perfecta charitate & non mittitur fo-
ras adueniente illa, imò timor domini sanctus permanet in sæcu-
lum sæculi. Psalm. 18. per hæc reuincitur hæresis Petri Abailardi
negantis in Christo spiritum timoris domini & dicentis quod in
futuro sæculo non erit timor Dei. Imò fuit in Christo longe
abundantior quam in cæteris quanto plus cognoscebat & dilige-
bat patrem. Talis enim timor inde pensatur & non ex maiori par-
tate propria. Cæteros timores caritas foras mittit. 1. Ioa. 4. Alius
est timor naturalis, quo quis timet sibi nociua vt mortem & simi-
lia, talis fuit in Christo & de ipso loquitur conclusio, quia timor
est de malo arduo futuro. De his timoribus vide infra literam Ma-
gistri dist. 34.

Argum. Contra hanc & contra quintam arguitur. Quia Christus erat
beatus habens summum gaudium, & securitatem: sed contraria
non possunt inesse eidem, ergo neque potuit tritari, que ti-
mere.

Solutio. Quidam, vt Ioannes de Basso lis tenent quod per diuinam po-
tentiam possunt contraria inesse eidem in suis excellētis, ita quod
idem possit esse calidum & frigidum, album & nigrum. Et quod
ita fuit in Christo. Scotus hac distinctione litera V. tenet quod gau-
dium & tristitia sunt contraria quando sunt de eodem obiecto, &
sub eisdem rationibus in Christo quamuis erant de eodem, non
tamen sub eisdem rationibus, & sic erat idem obiectum materiale
mors, sed non idem formale, quia de illa tristabatur vt læsiua cor-
pori, gaudebat de ipsa quia placens patri.

Argum. 2. Secundò specialiter contra sextam. De malo certitudinaliter
noto in proximo venturo non est timor sed tristitia, quia timor sic
est de malo futuro, quod adhuc manet spes euadendi, vt dicit
Arist. 2. Rhetor. cap. 5. aut si est certitudo de substantia mali, est
tamen incertitudo de tempore, aut de genere mali, vt de mortis
genere, sicut est in damnandis, aut damnatis ad illam: Christus
de morte & circumstantijs ad illam orat certissimus, ergo tristaba-
tur & non timebat.

Solutio. Huic argumento Ricardus hac distinct. art. 3. quæst. 3. dat duas
solutiões. Prima est quod ratio imperabat sensui interiori, vt in
apprehendendo futuram passionem moueretur, sicut fuisset mo-
ta relicta suæ virtuti naturali. Ideo in apprehendendo eam quan-
doque

doque non imaginabatur actu infallibilitatem futurionis ipsius.
Hanc sequitur Caietanus 3. par. q. 15. art. 7. dicens quod in Christo
non fuit incertitudo euentus simpliciter sed secundum quid, pro
quanto potuit ratio inferior appredere malum futurum nihil pro-
ponendo de certitudine vel incertitudine euentus, & per hoc ap-
prehendebatur malum futurum vt incertum negatiuè, hoc est, nõ
certum. Secunda Solu. Ricardi. quod respectu mali futuri certi-
tudinaliter euenturi non per absolutam necessitatem sed per ip-
sius hominis voluntatem, potest esse timor in appetitu sensitiuo,
vt in homine qui vult secari propter aliquam vtilitatem, oritur
nihilominus timor.

DISTINCTIO XVI.

*Si Christus Dominus assumpsit necessitatem patiendi &
moriendi?*



Christus suscepit necessitatem patiendi in anima & Proposi. 1.
moriendi in corpore ex propria voluntate. Magi-
ster in litera. Ratio sua est quia cum esset immunis
à peccato non habuit hanc necessitatem à propria
sua conditione. Hæc Magistri ratio negans in Chri-
sto necessitatem patiendi, debet intelligi de neces-
sitate absoluta, & simpliciter per quam nõ contingit rem aliter se
habere: Aut potius debet intelligi necessitas vt est de facto è sup-
positione peccati, quia mors inuoluntaria in nobis est pena pecca-
ti. Nam ex natura sua corpus Christi erat compositum ex quatuor
elementis, & animale, idest, egens alimonijs, ergo erat corruptibile
& tandè senio deficeret vt in 2. d. 19. dictū est de Adam. Probatur
consequentia ex Aristot. 2. de generatione. tex. com. 57. seu cap.
10. Animalium omnium vita tempusq; numeris claudūtur. Quod
alijs verbis dici consuevit. Omne corpus generabile & corrupti-
bile habet certam periodum suæ durationis.

Christus dñs de omni statu hominis accepit aliquid. Mag. in lit. Proposi. 2.
Et assignat quatuor status. Ante peccatum, de quo accepit immu-
nitatem à peccato. Post peccatum & ante gratiã, de quo pænas &
alios defectus. Sub gratiã, de quo plenitudinē gratiæ. In gloria, de
quo non posse peccare, & perfectam Dei contemplationem.

P Tam

Tam ex his conclusionibus quam ex præcedenti d. p. 4. & 5. inferitur triplex differentia inter mortem & passiones Christi, & inter nostras. Prima ex causa, quia nostra mors & passiones proveniunt ex peccato, ut sunt de facto, mors & passiones Christi ex propria ipsius voluntate. De possibili, tam naturale fuit Christo mori & pati quam nobis ex naturali compositione & complexione corporum. Secunda quia nostræ sunt involuntariæ. Tertia quia nostræ passiones perturbant usum rationis, in Christo nullo modo. Unde in passione fuit illi perfectissimus usus rationis, alijs morientibus violenter perturbatur. De his differentijs vide & Alex. 3. p. q. 17. M. 1. iam ad finem. Ex tertia collige quod Christus maxime doluit quia usque ad ultimum instans mortis, alij non quia ante perdunt rationis usum.

Argum.

Contra primam arguitur, Christus dominus assumpsit cum anima gloriosa etiam dotes corporis gloriosi, ergo passus est ex miraculo. Antecedens probatur ex Hugone de sancto victore dicente quod eas assumpsit, claritatem in transfiguratione, agilitatem ambulando super mare, subtilitatem nascendo ex Virgine, impassibilitatem dando suum corpus in sacramento Eucharistiæ. Confirmatur Christus habuit ab instanti conceptionis plenitudinem scientiæ ut dictum fuit in d. 13. quam scientiam paulatim ostendebat, ergo à simili semper habuit præfatas quatuor dotes, & quando ostendebat ostendebat sine miraculo, & quando patiebatur ex miraculo patiebatur.

Solutio.

Hæc sententia Hugonis reprobatur à Diuo Tho. 3. p. q. 45. art. 2. quia de ratione dotis est permanentia, sed claritas transfigurationis fuit per modum passionis transeuntis. Alexand. 3. p. q. 21. M. 4. hanc Hugonis sententiam refert tacito quidem autore, dicit namque fuisse opinionem quod assumpsit quatuor dotes ad tempus ante resurrectionem, & fortè sic intelligebat Hugo, & non sicut procedit argumentum: & Thomas tantum impugnavit nomen dotis, quia illa assumptio ad tempus non debet dici assumptio dotis: Negato ergo antecedenti & negato etiam, aut expositio Hugone, quod non assumpsit dotes nisi ad tempus, & per modum passionis, dico quod sicut factum miraculo dando visum cæco nato, Ioan. 9. ille cæcus naturaliter videbat, ita in proposito ex miraculo assumpta anima gloriosa remansit corpus absque dotibus, quia est contra statum animæ gloriosæ quod gloria eius non redūdet in corpus, & ideo fuit miraculum: eo facto patiebatur naturaliter & non miraculose. Ad confirmationem dico quod non est simile de scientia

scientia animæ, & de claritate corporis, quia quod assumeret corpus passibile fuit conveniens ex diuina dispensatione. Primo ut simus redempti pretio magno ut supra d. 15. parte prima. Secundò ex parte ipsius Christi ut per obedientiam usque ad mortem acquireret sibi nomen super omne nomen Philipp. 2. & ita intraret in gloriam suam Luc. ultimo. Tertiò ex parte Dei ut impleret quæ de passione Christi prænunciata erant Lucæ. 22. Filius hominis secundum quod definitum est vadit. Et cap. ult. dixit ipse Christus. Necessè est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moyfi, & prophetis & Psalmis de me. Has tres causas Paulus agit Heb. 2. dicens. Eū qui modico quam Angeli minoratus est videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem: Ecce duas primas rationes. De tertia subdit. Decebat enim eū, id est, Deum patrem (ut exponit Theophylactus & Glossa inter.) propter quem omnia, & per quæ omnia & qui multos filios in gloriam adduxerat autorem salutis eorum per gloriam consummare. Atque ex his error Theodori Mopsuestensis Episcopi convincitur qui dixit nihil esse scriptum in veteri testamento de Christo. Atque in hanc sententiam videntur aliqui hæretici nostri temporis ut Buccerus, qui uniuersos psalmos interpretas neque unicum ad literam interpretatus fuit de Christo. Cū Paulus attulerit de Christo, Psalm. 8. quod minoratus sit ab Angelis, & 1. cap. citatæ epistolæ afferat illud Psalm. 2. Ego hodie genui te. Et id Psalm. 88. Ipse inuocabit me pater meus es tu: Et ego primogenitum ponam illū, quod alijs verbis dicitur 2. reg. 7. Ego ero ei in patrem & ipse erit mihi in filium.

Corol.

Sed contra. Si Christus Dominus non habuit ipsas dotes ab initio conceptionis, neque habuit illas per modum passionis. Nam & Moyses habuit claritatem vultus permanentiorem cū non posset filij Israel intendere in vultum eius Exod. 34. & Corinth. 2. cap. 3. nisi poneret sibi velamen, & tamen non habuit claritatem gloriosam neque ut dotem, neque ut passionem transeuntem, quia neque habuit animam gloriosam, ergo à simili Christus.

Replicat.

Hæc replicat tangit difficultatem si claritas Christi in sua transfiguratione fuit claritas gloriosa? Secundo an fuit eiusdem speciei cū claritate vultus Moysis? De primo iam supra d. 3. p. 9. quamuis alij quos citat Alexand. dicant quod non fuit gloriosa, sed similis gloriosæ. De claritate Moysistenet idem Alex. citata q. 21. M. 6. quod

Solutio.

fuit alterius speciei à claritate Christi. Adducit vt fiat verifimile quod claritas Moyfis nō poterat videri quia offendebat & disgre- gabat visum, sicut claritas solis non potest videri, quia ex calore consumit humiditatem & dissoluit pupillā. Claritas corporis Chri- sti, erat delectabilis, & confortatiua visus sicut claritas gloriæ caret calore cōtrario pupillę, vnde Apocalyp. 21. cōparatur claritas ciui- tatis supernæ lapidi iaspidi cuius claritas demulcet & cōfortat aspe- ctū. Durādus hac d. q. 2. tenet cōtrariū scilicet quod claritas natura- lis & gloriosa sunt eiusdem speciei differentes secundum causam, quia naturalis est à principijs constituentibus corpus lucidum, gloriosa est ab anima redundans in corpus vt quidam dicunt vel potius à diuina virtute, quod ipse ait. Tenendo cum Alexandro patet responsio ad replicam: tenendo cum Duran- do constat discrimen, quia claritas Moyfis fuit è diuina virtu- tute ipsam superinducente, claritas Christi redundauit ab ani- ma: Aut si teneatur secundum quod claritas gloriæ sit à di- uina virtute potest poni discrimen quod non est ab ea sola, sed præsupposita gloria animæ. In opinione verò Alexan- dri non satis probatum permanet si claritas gloriosa perstrin- gat & obcæcet oculum non gloriosum: & si visus apostolorum fuit confortatus vt ipsam videret, nā oculo glorificato ipsa claritas gloriæ proportionata est. Cæterum quod idem Alex. M. 9. com- parat gloriosam claritatem luci seu claritati cæli empirei atque pro- pretea non dissoluat pupillam, præsupponit cælum empyreum nō agere in hæc inferiora quod satis est dubium vt in 2. d. 2. p. 3.

proposi. 3.

Christus Dominus habuit à patre præceptum moriendi. Pro- batur Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, & hoc mandatum accepi à patre meo, sci- licet ponendi eam & sumendi, vt exponit Glossa interli. Hanc tenent Alexand. 3. par. quæstione 18. M. 4. §. 2. Thomas 3. par. quæstione 47. arti. 2. Scotus hac distinctione quæstio. 2. ad. 2. principale sic exponit. Potestatem habeo. Ego, id est, per- sona verbi secundum naturam diuinā potestatem habeo ponendi & c. Et ego secundum naturam humanam mandatum accepi à pa- tre, ita quod eadem autoritas de eadē persona intelligitur secun- dum diuersas naturas: neq; talis expositio est extorta, quia eadem autoritas potest exponi partim de capite, partim de membris. Ecclesi. 31. Qui potuit transgredi (intelligitur de membris)

Et

Et non est transgressus, intelligitur de Christo, sed quia autori- tas hæc tota potest dici, intelligi de homine iusto. Est Psalm. 21. Deus Deus meus quare me dereliquisti, quæ verba sunt Christi: Longe à salute mea verba delictorum meorum, delicta sunt corporis ecclesiæ. Isaia. 61. Circundedit me quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponfam ornatam monilibus suis. vbi sponfus refertur ad Christum, sponfa ad corpus, id est ecclesiam. Mandatum quod accepit, vt idem Scotus ait, fuit de complacen- do, & patiēdo animam poni. Ad huius conclusionis intellectum sciendum est quod Christus dominus destinatus fuit à patre præ- dicator & doctor populo Israelis. Rom. 15. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, id est prædicatorem Iudæis cir- cumcisis. Isaia. 41. Primus, id est pater, qui est prima persona Tri- nitatis ad Sion dicet. Ecce adsum. Et Hierusalem euangelistam dabo, id est Christum prædicatorem. Ipse etiam Pilato dixit Ioan. 18. Ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati. Scotus in hoc. 3. d. 15. paulo ante literam. T. ponit duos modos di- cendi probabiles de causa propter quā mortuus est. Primus dicit quod pro veritate quam prædicabat dicens se esse Messiam in le- ge promissum, & vitia Phariseorū repræhendēdo, vide Bona. in hoc. 3. d. 20. numero. 6. Sustinendo hunc modum autoritates di- centes ipsum pro salute hominum passum debent exponi, quia il- lam mortem obtulit pro hominibus & pater acceptauit. Secun- dus modus, quod finis præcipuus mortis Christi sit redēptio gene- ris humani. Sic habuit à patre plusquā vnum præceptum, scilicet de veritate prædicanda atque de morte, secundum illud Ioan. 15. Præcepta patris mei seruauit. Quam autoritatem potes referre ad præcepta legis veteris. Nam seruauit ceremonialia circumcisis, oblatus in templo: agnum comedens: iudicialia quæ ordinantur ad satisfaciēdum iniuriam passo impleuit passione sua pro nobis satisfaciendo. Moralia Deum diligendo Ioan. 14. cognoscat mun- dus quia diligo patrem. Dilexit nos homines & tradidit semetip- sum pro nobis. Galat. 2. Quādo dicitur, quod habuit præceptum non fuit sicut in nobis, qui prius audimus præceptum postea se- quitur obedientia: nam ab instanti conceptionis nouit patris vo- luntatem cui se paratissimum obtulit. Mortuus est ergo propter iustitiam obediendo patri, & propter iustitiam veritatem prædi- cando, vide Scotum. d. 20. huius, litera. D. & Magistrū ea. d. cap. 1.

P 3

Si

Proposi. 4. Si Christus per voluntatem suam separauit animam à corpore duplex opinio est. Prima tenet partem affirmatiuam: ita quod quamuis passionis violentia ipsam animam separasset, tamen non ita cito, sed ipse Dominus horam mortis præuenit, vnde Pilatus mirabatur quod iam obiisset Marc. 15. hoc fecit, ne crura sibi frangerentur Ioannes. 19. sed implerentur scripturæ. Hæc refert Ricardus hac. d. q. 4. Sequitur eam Gabriel hac. d. ar. 3. in fine primi dubij, vbi & dicit quod quantum ad horam mors Christi fuit miraculosa. In hanc est Ioan. 10. Nemo tollit animam meam à me sed ego pono eam à me ipso. Solebāt enim, vt quidam ait, crucifixi triduo superuiuere. Ad eundem modum dicunt aliqui Aaronem, & Moysen. ante tempus à natura præfixum mortuos. Num. 20. & Deuter. 12. & vltimo. Neque propterea negandi sunt Iudæi Christū crucifixisse, qui eum vsque ad mortem accusauerunt, & inflicta crucis affixio mortem de proximo attulisset. Neque dicendus est ipse se interemisse potius. Nam sicut Dei voluntas causa est omnium vt in. 1. d. 45. non tamen ei sic omnia attribuuntur soli: quoniam causæ secundæ concurrunt: ita in proposito, non est Christo mors omnino attribuenda ad quam secundæ causæ ad eum, & in tantum concurrerant.

Alia opinio est quam sequitur citatus Ricardus quod mortuus est per violentiam passionis concurrente vehementer dolore compassionis; quæ compassio interior facit mortem accelerare, sicut aliqui citius moriuntur superueniente infirmitati afflictione aliqua. Tunc id Ioannes. Nemo tollit à me, intelligitur violenter seu coacte, non quin ex vulneribus moreretur, sed quia poterat persecutores vno verbo prosternere. In hanc est Thomas. 3. part. quæst. 47. articulo primo quia dicit quod Christus non fuit causa directa suæ mortis, sed indirecta quia non impediuit cum posset. Sic mors Christi fuit naturalis & non miraculosa, primo quia erat mortalis, secundo quia cum esset latronibus delicatior erat secundum naturam, quod citius moreretur, quam ipsi: fuit violenta ex parte causæ, quoniam illata fuit ab extrinseco & non ex naturali humorum dissolutione: fuit voluntaria, quia non est passus inuitus, & coactus cum libere potuisset euadere. Cum dicit Augustinus 4. de Trinit. capit. 13. Christus quia mortuus est miraculo fuit: Declarat Ricardus ibi miraculum pro re mirabili, non pro miraculo.

culo proprie dicto, vnde & Pilatus mirabatur qui causam accelerationis mortis ignorauit.

Proposi. 5. Licet passio & dolores Christi fuerint acerbiores quam alterius cuiusque hominis viatoris propter eius delicatiorē cōplexionē facientē sensus in suis sensationibus perfectiores, vnde Hieremias Thren. 1. videte si est dolor sicut dolor meus, fuere etiam generaliores dicente Isai. 1. cap. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas, pœna tamen inferni, & purgatorij sunt acerbiores, quia est pœna vel dolor animæ separatæ. Sicut gloria sanctorum excedit omne bonum vitæ præsentis: ita pœna inferni, & purgatorij omnem pœnam præsentis sæculi, vide in 4. d. 20. p. 5. imo dicere, quod passio Christi excedit omnes passiones martyrum simul sumptas reputatur falsum ab Almaino. d. 15. 2. p. p. 1. Et certe videtur temerarium, imo & dicere quod aliquis martyr non doluit plus in aliquo particulari vt in morte, quàm Christus in colaphis. Neque loquimur de merito, sed de dolore. Neque mihi placet nimia quorundam concionatorum exaggeratio de modo quo Christus sit tractatus ac si belluæ narrarent agitationem. Similiter de angustijs virginis quasi iaceret semimortua, quæ animo virili, pedes stabat iuxta crucem. Ioan. 19.

DISTINCTIO XVII.

Si Christus habuit plusquam vnā voluntatem? Si orauit Patrem aliquid quod factum non sit?



Proposi. 6. IN Christo sicut fuere duæ naturæ diuina & humana, sic & duæ voluntates diuina, & humana, Magister in littera & scholastici hac. d. Alex. 3. p. q. 15. M. 1. Tho. 3. p. q. 18. artic. 1. est contra hæreticos Monothelitas sic dictos quia monos græce valet latine vnus, & thelisis voluntas quia vnā in eo ponebant voluntatem. Quorum hæresis fuit damnata in sexta Synodo Constant. Refertur à Gratiano. d. 16. cap. Prima autē. Quæ Synodus fuit celebrata sub Agathone papa cōtra Machariū Antio-

Antiochenum Episcopū ponentē vnā in Christo voluntatem, fuerat autem prius hæc hæresis Euticianorum vt Magister dicit, quoniam Eutices posuit in Christo vnā naturam tantum, quia natura humana conuersa fuerat in diuinam. Contra hos & pro ecclesia est id Ioan. 6. Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, sed voluntas diuina & patris est eadem, ergo secundum quod homo aliam habet voluntatem. Item orans in horto dicebat. Non mea, sed tua voluntas fiat. Lucæ. 22. vide Damascenum contra præfatam hæresin lib. 3. cap. 13. Pro maiori intellectu scito quod voluntas dicitur multipliciter: strictè & propriè est appetitus liber qui sequitur intellectum, & hoc modo in Christo fuere tantū duæ voluntates. Large sumitur pro appetitu, hoc modo potest appetitus sensualis dici voluntas non simpliciter sed participatiuè, quia in quantum natus est obedire voluntati participat rationem. Talis appetitus etiam fuit in Christo, quando quidem totam nostram naturam suscepit: voluntas etiam sumitur vt natura, & vt libera. Neq; sunt duæ, sed vna potentia, vt natura tantum dicit inclinationem voluntatis ad recipiendam perfectionem non ad agendum, & sic naturalis voluntas nõ tendit, sed est ipsa tēdentia, qua voluntas absolute tendit. Dicit vero Scotus hac. d. quod sicut inclinatio lapidis ad cētrum non est aliquid absolutum aliud à grauitate lapidis, vt alij esse imaginantur, ita est in proposito. Capitur etiam voluntas pro actu ipsius voluntatis.

Proposi. 2. Voluntas humana Christi vt natura, & appetitus sensituius, qui & dicitur voluntas, non fuere conformes voluntati deliberatæ ipsius Christi. Hæc patet quia voluntate libera & voluntate diuina volebat mortem, voluntas vt natura, & appetitus sensualis refugiebat. Imo voluntas rationalis volitione conditionata etiam non fuit conformis in re volita.

Proposi. 3. Voluntas Christi vt natura, & vt est appetitus sensituius, & voluntas humana libera semper fuere conformes diuinæ voluntati, quantum ad formam volendi. Nam vnaquæque harum volebat secundum quod Deus volebat eam velle: ita enim res quas condidit administrat vt eas agere proprios motus & naturales sinat. Voluntas etiam libera fuit conformis, aliàs peccasset.

Proposi. 4. Absolute ac simpliciter non est concedendum quod in Christo fuit contrarietas voluntatum. Quoniam talis contrarietas

exigit,

exigit, quod sit eiusdem obiecti & sub eisdem rationibus. Conceditur tamen quod aliud volebant, quia aliud obiectum vt patet.

Omnis oratio Christi procedens à voluntate libera: exaudita *Proposi. 5.* fuit à patre, iuxta id Ioan. 11. Ego sciebam quia semper me audis; quæ aliquo modo processit à sensualitate non fuit exaudita. Sciendum ad hoc quod sicut oratio vocalis est locutio qua aliquis alteri proponit suam voluntatem vt eam impleat, sic mentalis est quædam actualis locutio qua exprimitur Deo desiderium rei pro qua oratur. Appetitus seu desiderium est quasi materiale, formale vero secundum Bona. hac. d. q. vlti. est discretio potentis: secundum Ricar. expressio desiderij. Oratio ideo Christi petens calicem à se transferri quantum ad materiale fuit à sensualitate, quantum ad formam fuit à ratione: quia oratio propriè est rationis cum sit assensus mentis in Deum, at sensualitas neque transcendit sensibilia, neque ascendit in Deum, vnde Alex. 3. p. q. 15. M. 2. & Bonauen. atque Ricar. probant dictum eorum qui dicunt quod ratio ibi fuit aduocatus sensualitatis. Et quamuis sciret Christus, talem orationem non exaudiendam orauit nihilominus triplici de causa vt dicit Bonauen. Primo ad naturæ humanæ manifestationem, & erudiuit sic nos in fide humanitatis contra hæreticos. Secundo, vt non diffidamus timentes passionum pericula quando & ipse timuit, in quo spem nostram erexit. Tertiò vt doceamur voluntatem nostram subijciendam diuinæ, sic ordinauit in nobis charitatem. Debemus namque seruare in oratione sicut ipse seruauit formam prudentis & fidelis aduocati qui proponit desiderium in quantum de iure possibile est concedi. Auctoritatem Psalm. 21. Clamabo per diem & non exaudies. Alexander loco *Argumen. Solut.* citato & Bona. hac. d. num. 37. exponunt de capite Christo ratione membrorum. Aut potes exponere de oratione procedente à sensualitate: cum subdit, & non ad insipientiam mihi. Dico quod non fuit insipientia orare quamuis non esset exaudiendus propter tres rationes factas, vel potest dici quod etiã illa oratio sensualitatis fuit exaudita non quantum ad materiale, sed quantum ad formam, quia orauit sub conditione, & sic verum est, quod in omnibus fuerit exauditus: ideo non est insipientiæ orare quamuis non exaudiatur oratio si seruetur in ea debita orandi forma, quoniam semper adest ibi meritum. Hæc oratio de translatione calicis.

q

calicis.

calicis varie exponitur, ut est videre in Thoma. 3. p. q. 21. ar. 4. Communis autem intellectus est quod pro se orauit.

DISTINCTIO XVIII.

*De merito Christi. Quid sibi, & nobis meruit?
& à quo tempore incepit
mereri?*

Proposi. 1.



Christus non meruit sibi gratiam, neque gloriam animæ, neque scientiam neque diuinitatem, quia omnia hæc habuit ex donatione Dei liberali ab instanti suæ conceptionis. Probat ex Augustino. 13. de Trinit. cap. 19. in rebus per tempus ortis hæc fuit summa gratia qua homo coniunctus est Deo in unitatem personæ, & in Enchiridio. dicit quod nullis præcedentibus meritis ille homo copulatus est Deo, ergo diuinitatem non habuit ex merito. De gratia probatur quia ipsa est radix meriti, ergo habuit ipsam absque omni merito alioquin non esset gratia. De gloria animæ sic probatur. Habuit illam ab instanti conceptionis, ergo habuit sine merito. Antecedens est communis doctrina Theologorum: vide Bonauen. hac. d. numero. 27. Et quamuis ad ipsam non sint expressæ autoritates scripturæ. Probat ratione: Ab instanti conceptionis anima fuit unita Deo, ergo & beata. Antecedens est de fide, alias fuisset prius homo purus. Consequentia probatur quia si habuit quod est maius ab instanti conceptionis, ergo & quod est minus, vel quod ad primum æquum erat quod sequeretur. Confir. quia dato opposito, non videtur in quo tempore fuit beata magis in vno quam in alio, & fuisse beatam est argumentum ex gloria transfigurationis, quæ ut est dictum. d. 16. redundauit à gloria animæ in corpus. Per idem potest probari de scientia. De hac propositione nulla credo est controuersia inter doctores solū. de gloria animæ vide Maiorē, & de Bassolis. hac. d. Altisiodorē sem li. 3. tract. 1. ca. 7. refert Alex. 3. p. q. 16. M. 3. ar. 1. in solu. vlt. ar. opinionē sicut de angelis est in secundo, quod illa iam habitam meruit Christus per opera sequentia: opinionē ipse

ipse illic reprobatur. Sed quod meritum in Christo non erat respectu præmij substantialis, quod consistit in cōtemplatione diuinitatis, & in fruitione summæ bonitatis, sed respectu præmij accidentalis. Hæc sunt verba Alexandri. Quocirca miror quendam recentem doctorem imposuisse nostro Alexandro, quod tenuerit Christum meruisse sibi gloriam per opera sequentia. Imò neque video quod idem doctor imponit ipsi Alexandro & Bonau. quod tenuerint animam Christi non fuisse beatam ab instanti conceptionis, sed immediate post instans fuisse beatam, ex quo sequi videretur fuisse viatricem. Nam ipse Bona. hac. d. num. 27. citato fatetur Christum non meruisse sibi beatitudinem, & num. 30. fatetur quod habuit gloriam à sua prima creatione. Et. d. 13. num. 21. in ipso primordio conceptionis hæc simul in fuisse concedit vniōnem hypostaticam, gratiam, & gloriam. At vero quod præfatus doctor hanc sententiam de merito per opera sequentia reputat temerariam: & sententiam quod anima Christi non fuit ab instanti beata, non solum temerariam sed hæreticam, nescio si tali sint nota ferienda. De merito per opera sequentia dicendum, quod ad angelos contra Magistrum lib. 2. d. 5. & in Christo hanc reputarem forsan ultra temeritatem dicendam hæreticam quia videtur contra concordē doctorum sententiam: sed alia ultra temeritatem nescio si satis improbetur ut hæretica nisi ex eadem concordī sententia doctorum, quamuis ad ambas ipse referat fautores, quos valde paucos esse crediderim. Vnde ipsis quidem reprobatis: de ipsarum nota aliorum esto iudicium. Albertus magnus hac. d. q. 4. eandem refert quam retulit de angelis. Alexandri. Quod si in nobis sit gloriosius habere præmium ex meritis, in Christo non fuit sic, quia vniō hypostatica cum suis omnibus priuilegijs non cadebat sub merito dato quod priuilegia potuissent cadere sub merito si accepisset naturam gratificatam, & non glorificatam, magis de Christi dignitate diminueret eis aliquando caruisse, quam esset habere illa ex merito: vel dic ut Scotus hac. d. litera. G. quod non est simpliciter gloriosius habere ex merito, quam ex dono. Quoniam decens fuit in gloria esse omnes gradus in actibus beatificis, ut aliqui innocentes qui nunquam peccatum propriū patrauerint: alij penitentes post peccatū: Beata virgo sine originali, aliquis sine merito proprio, aut alieno sed ex mera Dei gratia, ut Christus.

Argum.

Propos. 2.

Christus meruit sibi impassibilitatem animæ, & immortalitatem corporis Magister in litera. Exponit Scotus hac dist. ante solutionem argumentorum: quod nō sit intelligendus Mag. quod meruit illas directe, cum ex gloria animæ fuissent debitæ, igitur sicut gloria animæ non cecidit sub merito, neque illa quæ inde sequebantur. Pro tanto ergo dicitur meruisse, quia meruit amotionem impedimenti, quo prohibebatur gloria animæ redundare in corpus. Magister sub dubio relinquit quando facta fuit anima impassibilis. An mox post separationem à corpore: aut in resurrectione? Sanctus Bonaventura distinct. 21. numero. 20. vtrumque modum putat probabilem, probabilius tamen quod mox à separatione, quoniam erat beata, & si fuit passibilis, fuit propter unionem ad corpus. Item, quia omnis passio Christi fuit meritoria, sed protinus post mortem cessauit potentia merendi. Imo dicit idem Bonaventura, quod omnes animæ sanctorum decedentes sine peccato finali morte, non vt Lazarus, qui ad tempus fuit mortuus, protinus fiunt impassibiles, neque sunt vnibiles corpori passibili. Ex qua sententia sequi videtur, quod quando apparent animæ sanctorum in corporibus assumptis, non apparent in proprijs corporibus, alioquin oporteret eas iterū experiri mortē toties quoties apparent: sed vt angeli apparent in corporibus phantasticis. Isto modo apparuit Moyses in trāsfiguratione Christi: quemadmodum magis amplectitur Alex. 3. p. q. 21. M. 8. quā quod apparuerit in proprio corpore, vt alij opinantur: vel quod apparuerint imaginarie, tā ipse, quā Helias propter quandam glossam Bedæ sonantē, quod non vere ibi apparuerunt. Sed imaginarie, vel angeli eorum personas assumpserūt. Quā sententiam amplectuntur alij, quos refert nomine tamen tacito. Sed hoc dato sicut non verè apparuissent, neq; veri testes illius mysterij fuissent. Glossam illam dicit Thom. 3. p. q. 45. art. 3. sumptam ex quodam libro falso ascripto August. & ideo nō authenticō. Helias qui adhuc viuit in proprio corpore affuit.

Propos. 3.

Christus meruit sibi nomen super omne nomen. Ita Paulus. Philippen. 2. dicit quod propter obedientiā vsque ad mortē Deus exaltauit illum & donauit illi nomē super omne nomen. Facit & Psa. 109. De torrēte in via bibit propterea exaltauit caput. Pauli autoritatem Magister ca. 3. exponit secundum scripturæ tropum, quo res dicitur fieri quando innotescit, quia manifestationem
sua

sui nominis quæ sibi data est post resurrectionem meruit: Similiter exponit illam Matth. vltimo. Data est mihi potestas in cælo & in terra, non quia tunc primo illam acceperit, sed quam ante habebat manifestata est.

Per has duas conuincitur error Caluini, & Bezæ dicentium Christum nil sibi meruisse. Irridetque Calvinus expositionem Catholicam ad citatam Pauli autoritatem quasi è sophistis Sorbonicis emanatam.

Christus Dominus quamuis esset beatus, quia tamen viator erat potuit mereri. Sententia est omnium Catholicorum. Assignat Scotus triplicē modum quo potuit mereri. Primus fuit per actus sensitivæ partis tantum, sed prout voluntas eos imperabat. Vt ieiunando, vigilando & similes. Secundus per actus portionis inferioris, hoc est, respiciendo temporalia in ordine ad æterna vt diligendo proximos propter Deum, quia secundum talem portionem fuit passibilis & viator vt supra d. 15. Tertius secundum portionem superiorem, quia meritum non videtur esse completè nisi in superiori portione: ita quod secundum omnem actum illius portionis etiam beatificum meruerit, quod tamē est difficile probare propter alios beatos. Non tamen reputat Scotus includere contradictionem simpliciter quod actus beatificus & actus ab illo procedentes sint meritorij, quia sunt boni & possunt acceptari à Deo ad præmium siue pro ipso merenti siue pro alio, quia non est de essentia meriti quod reddatur soli merenti: Et licet alij sancti non mereantur nobis, quia sunt extra statum merendi, sed solum impetrent virtute priorum meritorum, tamen Christus secundum aliquid fuit in via, ideo omnis actus eius acceptus erat & meritorius illis pro quibus offerebatur. Eligatur, subdit Scotus, via magis grata. Quando dixit non esse meritum complete nisi in portione superiori debet sane intelligi. Nam sumendo portionem superiorem strictè, prout est ad æterna secundum regulas æternas, videtur negandum: quoniam tam peccatum quam meritum sunt in portione prout respicit temporalia secundum regulas æternas, id est, ordinando in finem Deum, aliàs non est meritum.

Christus potuit mereri in instanti suæ conceptionis, imò & meruit. Ad hanc sunt Scotus hac d. & Ricardus hac d. q. 1. Sanctus Bonau. hac d. q. 1. duas opiniones refert, Vna est, quod meruit in instanti suæ conceptionis: Alia quod non, sed immediate post

illud, & quavis pro utraq; faciat rationes & soluat, dicit tamen huc secundum modum esse faciliorem & suo tempore opinionem magis communem. Tenuit verò eam Alex. 3. p. q. 16. M. 2. ar. 1. ubi distinguit de principio, quod est principium intra sumptum, & est illud instans quo producebatur in esse per Spiritum sanctum, & in hoc non meruit: est principium extra sumptum scilicet illud immediate postquam conceptus fuit, & in illo meruit. Ratio Alex. est, quia prius est esse quam operari, sed mereri est operari. Ratio Scoti stat in hoc quod ad merendum sufficiunt potentia voluntatis, gratia & presentia obiecti apprehensi & usus potentiae. Haec omnia fuerunt in Christo. De usu potentiae probat per Aug. 6. de Trin. c. 1. dicentem, quod splendor genitus ab igne esset aeternus, si ignis esset aeternus, ergo res & operatio sua possunt esse simul tempore: esto esse praecedat natura operationem. Confirmatur quia perfectus cytharædus non discurrit in percussendo chordas: dixit enim Arist. 2. Phys. cap. 8. quod ars non deliberat: igitur Christus qui ab instanti conceptionis fuit perfectus in cognoscendo potuit sine discursu operari per gratiam. Confirmatur quia ab instanti illo fuit beatus, sed beatitudo consistit in actu, ergo habuit actum gloriae in instanti, & sicut gloriae, ita potuit habere & habuit actum & usum gratiae, & sic meritum. Ultra sic probatur. Potuit in illo instanti mereri, ergo meruit. Antecedens est probatum: consequentia probatur, quia dato opposito Christus vel peccasset non merendo quando poterat vel habuisset actum indifferentem quod nullo modo est concedendum, quia & ipse Alex. loco citato art. 2. tenet quod non potuit Christus non mereri in omni actu suo, quia virtutes in illo non erant ociosae, licet posset habere hunc actum vel illum indifferenter, tamen quemcumque haberet debuit esse meritorius.

Proposi. 6.

Christus dominus ab ipsa conceptione meruit quicquid per totam vitam meruit, ita quod per vitam discursum, aut mortem nil meruit quod ante non meruisset. Hanc docet Mag. in litera post beatum Gregorium quem citat dicentem. Non habuit omnino Christus iuxta animae meritum quo potuisset proficere. Ratione probatur. Habuit summam gratiam à conceptione, & omnia obiecta meriti praesentia, & actum circa illa, alioquin si non habuisset actum acceptando fuisset iniustus, ergo postea nil meruit. Nota ex mente Alex. 3. p. q. 16. M. 1. & M. 3. art. 2. & ex Bonau. hac d. q. 2. quod mereri contingit tripliciter. Vno modo ex non debito faciendo debitum, hoc modo

modo dicimur mereri ex gratia & libero arbitrio vitam aeternam. Alio modo ex debito faciendo magis debitum. Vnde Augustinus ad Bonifacium. Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici. Tertio modo ex debito vno modo faciendo debitum alio modo. Hoc modo Christus per plura opera faciebat debitum vno modo esse debitum alijs modis: & debitum per voluntatem acceptatam faciebat debitum per voluntatem actu exequentem. Sed quia Mag. cap. ultimo dicit quod per passionem meruit apertionem ianuae, quam per praecedentia non meruerat, scito aliud esse mereri, aliud satisfacere: quia satisfactio proprie respicit actum exteriorem poenalem, unde dicunt doctores regulariter quod volens dare elemosinam neque potens, tantum meretur quantum volens & dans, tamen non aequaliter satisfacit. Ideo Alex. citata. q. 16. M. 3. fatetur quod totum meritum Christi consistebat in caritate, & actu ipsius caritatis non tamen omnis effectus meriti. Sicut tota vis comburendi consistit penes ignem non tamen totus effectus quia requiruntur combustibilia, ita totum Christi meritum fuit ab ipsa conceptione, sed non totus effectus quia apertio ianuae requirebat solutionem poenae, & satisfactionem suae passionis. Ad idem est Bonau. hac d. q. ultima in solut. argumentorum. Hinc patere potest quomodo aliquis ut sanctus Martinus, & sanctus Franciscus mereri valuerunt in desiderio martyrij tantum quantum alij martyres, non tamen aequaliter satisfacere. Aduertendum tamen quod non debet simpliciter concedi ut quidam concedebat quod Christus per vitam nihil merebatur, quia talis negatio facit vniuersalem totum quod inuenit destruendo, ita quod nullo modo meruit, & hoc falsum est. Sed addendum est quod nil meruit quod ante non meruerat ut in conclusio. habetur.

Christi meritum fuit sufficiens ad delenda totius mundi peccata & dandam gratiam & gloriam infinitis hominibus quamuis non habeat efficaciam in omnibus. Sic Theologi distinguunt de Christi merito: quantum ad sufficientiam, vel quantum ad efficaciam seu efficientiam quod alijs magis placet. Efficaciae verbo utitur Scotus: Efficientiae Ricardus Bonau. distinct. 19. utitur pluries verbo efficaciae, num. tamen 17. Efficientiae. Dum ait, quod nec passio delet efficienter chyrographa. de hac vide distinctio. sequenti. p. 7.

DISTIN-

DISTINCTIO XIX.

*Quomodo merita Christi nobis applicantur vt à diabolo
& à peccato & à pœna sumus redempti.*

Proposi. 1.

Rer merita & mortem Christi fuimus redempti & liberati. Hæc est de fide, de qua nullus Catholicus dubitauit. Dixit enim Angelus Ioseph. Matth. 1. ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et Ioan. 3. dixit Christus Nicodemo de serpente Moysis, quod ita exaltandus esset filius hominis vt qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Hanc personat in omnibus epistolis Paulus quod sumus per Christum redempti, iustificati & sanctificati: vnus Calvinus hæreticus negauit Christi mortem nobis profuisse. Fuit ante Caluinum, quidam Bassus dicens non esse sperandam salutem in Christi maiestate aut eius præsentia corporali. Petrus item A bailardus negauit filium Dei fuisse incarnatum vt hominem liberaret: neque diabolum habuisse ius in hominem nisi forte Deo permittente vt habet Carcerarius. Contra quos facit tota hæc distinctio. Assignatur à Magistro in litera duplex modus iustificationis per mortem Christi: Primus quia exhibitæ tantæ erga nos dilectionis arræ, per eam nos mouemur atque accendimur ad diligendum Deum. Secundus quia per fidem mortis eius à peccatis mundamur dicente Paulo. Rom. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum, & infra: Quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ. Quæ autoritas facit ad id, quod mortuus est propter iustitiam, & satisfacit de iustitiæ rigore. Bonau. in q. literal. & Ricardus circa literam, dicunt quod hæ duæ rationes non sufficiunt, neque dicunt totam rationem, sed præsupponunt rationem principalem, quæ est quod passio Christi nos iustificat per modum meriti. Hanc principalem rationem tangit ipse Magister protinus dicens. Quod morte sua vno verissimo sacrificio quicquid culpatum erat destruxit. Secundum hæc tres rationes iustificat, vt hostia oblata quod est meriti disponentis: vt credita quod est exempli excitantis: vt amata quod est exemplaris dirigentis.

Merita

Merita Christi applicantur & cõmunicantur paruulis, in baptismo, & non habentibus vsũ rationis sine aliqua ipsorum cooperatio-^{Proposi. 2.} ne: in adultis vsũ rationis habentibus requiritur aliqua ipsorum cooperatio. Hæc est contra Lutherũ attribuentẽ omnẽ iustificationẽ nostrã Christi meritis. Hæc cooperatio fuit definita in cõcilio Trident. Sessione 6. canone 24. Si quis dixerit iustitiam acceptam non conferuari, atq; etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse iustificationis adẽptæ, non autẽ ipsius augendæ causam, anathema sit, & canon quartus dicit anathema asserentibus liberum arbitrium non cooperari Deo excitanti. Autoritates scripturæ quæ videntur sonare omnem nostram iustificationem esse à Deo, vt illa Ioã: 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Rom. 9. Non est volentis neque currentis sed Dei miserentis. 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? Osce 13. Perditio tua ex te Israel, tantũmodo in me auxiliũ tuũ: Aliquæ sunt intelligendæ de gratia præueniente de qua in 2. dist. 28. quæ non est habitus sed auxiliũ in specialẽ quod datur absque meritis. Vel secundo possunt intelligi quod quia Deus est causa principalior iustificationis, ideo ipsi attribuatur, nos sumus causæ secundariæ. Similiter Christus in merendo est causa principalior, nos item secundariæ. Si petas quare ergo non attribuimus totum meritum nostræ iustificationis Christo sicut Deo? Dico quod nullum esset inconueniens concedere in præfato & Catholico sensũ, at propter hæresin lutheranam cauemus ab huiusmodi locutione, quia illi sic totam iustificationem tribuunt Christo vt nostram cooperationem reijciant: Ideo qui locutione tali vteretur suspectus fieret. Neque possumus è conuerso nostram iustificationem nobis ipsis totam attribuere, quia essemus blasphemii exaltandõ naturam nostram supra id quod est. Attribuendo illam totam Deo, quamuis nos cooperemur, diuinam omnipotentiam, & benignitatem magnificamus, nostram vero paruitatem fatemur. Lege si vis fratrem Andream vegam lib. 6. supra Decretum.

Aperitionem ianuæ Paradisi meruit Christus vt totalis causa, quia ^{Proposi. 3.} illi non cooperabantur merita hominum. Vide Scotum hac d. lit. C. Pro hac est illud Apocalyp. 5. vbi nullus potuit aperire librum neque aspiciere illum nisi agnus qui occisus est: qui & dicitur habere clauem David, id est crucem, Isaia 22. & Apocalyp. 3. idcirco pa-

r tres

tresderinebatur in limbo sine peccato, sicut Absaló 2. reg. 14. quâuis patri reconciliatus, faciem tamen eius nō videbat. Apertio autem paradisi nihil aliud intelligitur quā solutio peccati originalis. Vide Alex. 3. p. q. 18. M. 4. pœna autē debita illi peccato est carētia diuinæ visionis, vt in lib. 2. d. 33. p. 6. oclusio ergo Paradisi erat obligatio ad satisfactionem pro illo peccato, vt dicit citatus Alex.

Proposi. 4. Dicendo merita Christi nobis imputari, vocabulo imputationis aliter vtuntur hæretici, aliter Catholici. Nam hæretici sub isto termino seu voce aliquas hæreses occultant. Primo negant dari gratiam in sacramentis ex virtute sacramentorum sed duntaxat propter merita Christi nobis imputata. Contra hęc in 4. d. 1. p. 9. Secundo quod taliter nobis Christi iustitia imputatur, quod nulla iustitia nobis inhæret. Cōtra hęc in 2. d. 26. Tertio quod sola iustitiæ Christi imputatiōe deletur nobis & culpa & pœna, ita quod nō est necessaria alia satisfactio, quia volūt quod iustitia Christi nobis imputatur ac si nostra esset. Contra hęc in 4. d. 16. Quarto, & ex hoc tertio infertur quod omnes iusti sunt æquales in gratia & in gloria, quia cū Christi iustitia sua ipsorū sit, eaq; vna sit, æqualiter omnibus imputatur. Contra hanc videmus in scriptura alios plus alijs laudari vt Ioannē Baptistā Matth. 11. Iob. 1. cap. Cōtēplationē Mariæ plusquā ministeriū Marthæ; Lucæ 7. 1. Corinth. 15. docet Paulus gloriam resurgentium fore inæqualem sicut Stella differt à Stella. Catholici hos vitant errores & vtuntur hoc vocabulo vt tantum valeat sicut applicatio, diffusio, communicatio, participatio, deriuatio, copulatio, coniunctio. Hinc Paulus 1. Corinth. 10. Calix cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis nonne participatio corporis Domini est, Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. His vocabulis, seu terminismens catholicorum clarius explicatur, nihilominus tamē imputatione vsus est Bernardus epistolæ 9. ad Innocentiū dicēs. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt vt videlicet satisfactio vnus omnibus imputetur, sicut omnium peccata vnus ille portauit.

Proposi. 5. Christus meruit nobis omnia bona spiritualia. Probat ex Paulo Rom. 8. Qui proprio filio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiā cum illo omnia nobis donauit? Ephes. 1. Bñdictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.

Christo. Notanter dixi bona spiritualia: quia bona naturalia non est opus quod nobis meruerit, nā ex diuina largitate sicut cæteræ creaturæ suas habent naturas bonas, ita & homines: Et sicut pater cœlestis solē facit oriri super alias creaturas, ita super bonos & malos. Matth. 5. Alioquin meruisset Christus nostrā creationē, & cū aliæ creaturæ sint propter hominem, caderet sub eius merito creatio rerum, corporalium, Cōtra id Prou. 16. Vniuersa propter semet ipsum operatus est dominus.

Contra hęc arguitur, quia auxilia specialia quibus trahimur ad Deū in diuina scriptura attribuuntur Deo, & non Christo homini, verbi gratia, vocatio de qua Paulus 1. Corinth. 1. fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi, Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum. Qui audiuit à patre & didicit venit ad me. Sed hęc auxilia sunt bona spiritualia, ergo non omnia donatur propter Christū. Ratione arguitur, Antequam simus fideles non sumus de corpore Christi, idest, de Ecclesia, ergo auxilia præcedentia fidē, imō ipsa fides datur sine Christi meritis ex sola Dei bonitate non tanquam Christi præmia.

Quamuis non desint qui argumenta concedant vt Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tracta. 2. cap. 2. art. 4. ad primum argumentum, Dico tamē quod omnia bona ordinata ad saluationem dantur ex Christi merito, etiam vocatio & prædicatio, quæ fit infidelibus. Hoc pertinet ad sufficientiā quam ad omnes habet Christi meritum, imō ad sui nominis exaltationē, quandoquidem meruit eiusdem sui nominis manifestationem vt in præcedenti est dictum. Ad auctoritates dico quod illa attribuuntur patri, non tamen ex tali affirmatione sequitur negatio, & exclusio meritorum Christi. Infideles iam dictum est esse membra Christi in potentia, & hoc fat est vt illis Christi merita sufficientia aliquo modo communicentur. Imō addendum est bona temporalia quando ordinantur ad salutem spiritualem venire nobis per Christum. Vnde illa solet Ecclesia orando petere per Dominum nostrū Iesum Christum. Quicquid ergo impetramus orando, ex Christi merito profluit per quem habemus gratiam & accessum ad Deum vt oremus, & impetremus.

Quoties ad aliqđ nouū donū acceptamur à Deo habemus illud ex noua imputatione iustitiæ Christi: Si non acceptamur de nouo non dicimur habere ex noua imputatione. Idcirco oportet videre

ad quid se extendat iustificatio, extendit se ad peccatorum remissionem, sanctificationem, renouationem, adoptionem, in filios & hæredes regni cælorum. Oportebit insuper attendere ad quæ gratia cum auxilio generali se extendat, & ad quæ ultra gratiam requiratur auxilium speciale. Crederem enim quod ad ea, ad quæ sufficit gratia cum generali auxilio quando acceptamur non est ex noua imputatione sed ex priori: vbi requiritur auxilium speciale fit noua imputatio. Vnde iustus moriens nõ indiget noua imputatione ad gloriam, quia ex præcedenti erat hæres; sicut quando rex ob merita patris promisit filio donum ad tempus futurum, adueniente tempore, quãuis fiat noua applicatio meritorũ patris vt actu detur promissum, nõ tamẽ fit noua imputatio. Nã applicatio in proposito sonat de præsentia ad ea quæ actu exhibentur, imputatio ad præsentia & futura. Ad perseuerandum in iustitia requiritur noua imputatio non enim sufficit sola gratia sine auxilio speciali, quia perseuerantia non est debita vt inclusa in sola iustificatione, alioquin ipsa esset debita omnibus iustificatis. Perinde quando iusti viuentes orant pro iustis defunctis aut pro eis indulgentias lucrantur & eis pœnæ in purgatorio vel mitigantur, vel tolluntur, vel fiunt illis ex viuorum oratione magis satisfactoria est ex noua imputatione. Virtus enim passionis Christi extēdit se & attingit omnem locum vbi sunt iusti. Ad augmentum gratiæ per bona opera communia, quæ fieri possunt auxilio generali crederem etiam non esse opus noua imputatione, quamuis bene noua applicatione vt iam explicatæ sunt. Habent namque omnia opera nostra quod sint meritoria & satisfactoria ex Christi meritis tanquam ex radice, quæ merita Christi in tali augmento nobis applicantur, quamuis non de nouo imputentur. In susceptione sacramentorum semper fit noua imputatio. Ad hanc vide si vis fratrem Andræam vegam super decretum lib. 15. & lib. 4. & 5. Vbi multa inuenies ad hanc distinctionem. 19. Dicit verò citato lib. 15. cap. 2. propositione 1. in sacris literis non sic usurpari nomen imputationis, aut communicationis vt Christi iustitia dicatur nobis imputari ac si nostra esset, quod passim plerique dicunt.

proposi. 7. De merito, & satisfactione Christi aliter Thomistæ aliter Scotistæ loquuntur, si sit valoris infiniti. Imprimis omnes conueniunt Christi merita pro infinitis suffecisse. Dixit enim Ioan. in

in 1. canonica ca. 2. si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum sed pro totius mundi. Lucæ. 19. Venit Filius hominis querere & saluum facere quod perierat, sed totus mundus perierat ex Adæ peccato, igitur cum vbi abundauit delictum superabundauerit gratia. Rom. 5. maior est gratia & satisfactio per Christum quam sit culpa & pœna per Adã. Quod si Mat. 20. dicitur venisse filius hominis dare animam pro multis: attende quod omnes sunt multi. Tum etiam quia quantum ad efficientiam seu efficaciam nõ dedit pro omnibus sed pro multis, vocantur iusti multi nulla facta comparatione Apocalyp. 7. vidi turbam magnam. Comparatione ad reprobos vocantur pauci. Matth. 20. Multi sunt vocati pauci electi.

Stat ergo controuersia in hoc, an merita Christi habuerint valorem & satisfactionem pro infinitis ex diuina acceptatione, an tali acceptatione seclusa è dignitate personæ merentis, ita quod de rigore strictæ iustitiæ debuerit Deus illa acceptare? Scotus tam hac. d. quam in. 4. d. 15. q. 1. ar. 2. tenet quod ex diuina acceptatione. Defendit eam viriliter doctor Ioannes de Medina Complutensis codice de satisfactione. q. 1. fuitque ipso viuente communis opinio doctorum Complutensium, quid modo teneant me latet. Fundamenta huius opinionis sunt, quia opera Christi quomocunque considerentur etiam in ratione meriti sunt creaturæ, neque creaturæ limites excedunt. Secundo, quia quomocunque considerata sunt opera ad extra, ergo Deus illa non acceptabat necessario, neque pro illis necessario reddebat præmium, Alioquin ad extra aliquid faceret, & diligeret necessario. Tertio, quia immediatius humanitas erat vnita verbo, quam opera, sed humanitas erat finita quamuis esset natura personæ infinitæ, ergo & opera. Probatum consequentia quia ipsa opera erant à finito principio puta à voluntate creata Christi quæ erat finita. Neque voluntas increata Christi habuit aliquam specialem efficientiam circa illa opera, quam non haberet Pater, & Spiritus sanctus, cum sit opus ad extra, & opera Trinitatis ad extra sint indiuisa. Quarto, quia dato opposito, quod ex dignitate personæ, iniustus esset Deus exigens à nobis aliam satisfactionem & cooperationem, quæ est hæresis Lutherana. Imo dato vno opere Christi merito, & satisfactorio cætera superfuissent, neque iuste posset illa

Deus exigere pro nostra redemptione. Alioquin si omnia fuere ordinata simul pro nobis, ita, quod singula non sufficiebant, detractum est aliquid ipsis operibus de sua dignitate, quandoquidē quodlibet erat infiniti valoris & tamen non fuit acceptatum secundum totam rationem suæ acceptabilitatis. Quis ergo eis aliquid detraxisset? aut Deus non acceptando, & idem poterat facere circa omnia simul: Aut Christus non offerendo ut erant offeribilia. Restat ergo merita Christi nō esse intrinsece infiniti valoris, sed ab extrinseca acceptatione, & meruisse, ac satisfecisse de rigore iustitiæ, ut habes li. 2. d. 27. p. 3. Autoritatē Pauli citatam supra. p. 1. Quē Deus proposuit propitiatorē ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionē præcedentiū delictorū in sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ, ut sit ipse iustus, & iustificās eū qui ex fide est Iesu Christi, utraq; opinio ad se adducet. Alia est opinio opposita quā tenet Tho. 3. p. q. 48. ar. 2. ut ibi est videre in Caietano, quod quia satisfactio de se erat superabundans fuit acceptata: non ē contra quia acceptata ideo sufficiens. Ponit Thomas tria fundamenta. Primum ex magnitudine charitatis. Secundum ex dignitate vitæ Christi, qui erat persona infinita, in quod est Aristot. in proemio primi Metaphy. Actiones sunt suppositorum. Tertium propter generalitatem passionis. Potest dari alia ratio, quia alias potuisset purus homo satisfacere, & redimere ex diuina acceptatione. Ad hæc posset respondere qui teneret cum Scoto, quod gratia & charitas Christi finitæ erant habentes acceptabilitatem ex diuina voluntate, quia alia à Deo ideo sunt bona, quia ab ipso Deo volita, & in tantum bona in quantum volita: non ē conuerso.

1. Argum.
Secund.

Tert.

Solut.
Ad 1.

Ad 2.

Ad Secundum patet ex prædictis quod sola dignitas personæ non sufficiebat quia operabatur principio finito neque sine gratia eius opera fuissent accepta ex sola persona. Ad Arist. respondet Scotus in. 4. d. 12. q. 3. ad. 2. principale, primò negando quod illa propositio habeatur in loco citato, quia ibi tantum dicitur, Actiones & generationes omnes circa singulare sunt. Neque bene infertur si sunt circa singulare ut obiectum, ergo sunt solius suppositi ut agentis. Secundò dicit quod si alibi inueniatur talis autoritas in Aristotele, vel in altero debet intelligi quod actiones ultimata denominatione denominant tantum suppositum, tam possunt denominare aliud quam suppositum, quia ab eodem abstracto.

abstracto accipiuntur plura denominatiua. Ita actiones Christi in quantum homo erant à principio creato, & denominabāt aliud quam suppositum, licet non ultimate, ut dicendo voluntas vult, intellectus creatus intelligit, oculus videbat, ultimate vero denominabant ipsam personam verbi. Verbum volebat, Deus comedebat, dormiebat. Et reuera neque Aristot. neque alter Philosophus gentilis capiebat quomodo suppositum posset agere supposito alienam naturam, & recipere prædicationes eiusdem naturæ & denominationes.

Ad Tertium iam dictum est passionem & dolores Christi non fuisse maiores, quam omnium martyrum simul, supra. d. 15.

Ad Quartum concedendum est, quod potuisset Deus acceptare merita & satisfactionē, modo contulisset illi gratiā primā sine merito, ut contulit Christo, quia potuisset remittere sine satisfactione ē sola sua liberalitate de potētia absoluta ut docet Alex. 3. p. q. 1. M. 4. Nō tamen cōgruebat ut dicit Scotus hac. d. litera B. Aliqui Thomistæ ut Soto in. 4. d. 19. q. 1. art. 2. tenent quod sine gratia meruisset Christus quicquid meruit: Alij hoc negant citato eodem Thoma. 3. part. quæst. 7. articulo. 1. ad primum. & quæst. 14. ar. 1. ad primum.

Ex his infertur quantæ grauitatis fuit peccatum crucifigentium Christum: fuit enim grauissimum super omnia quæ committuntur in proximum propter excellentiam hominis Christi supra omnes cæteros homines, quia tamen ille homo non fuit formaliter infinitus, neque vita eius summè diligenda, quandoquidem Trinitas voluit ipsam non esse in triduo, possunt dari maiora peccata, quæ immediatè committuntur in Deum. Ita docet Scotus in hoc lib. 3. dist. 9. Licet autem ex parte obiecti omnes concurrentes in mortem Christi æqualiter peccauerint, tamen ex parte voluntatis, & aliarum circumstantiarum alij alijs plus peccauerunt. Vnde ipse Christus dixit Pilato Ioannes. 19. Qui tradidit me tibi maius peccatum habet. Ricardus. dist. 16. quæst. 5. huius libri, petit qui peccassent grauius, qui eum occiderunt? an qui extimantes quod ipsum tenebantur occidere illum non occidissent? Ad hanc vide in secundo d. 39. p. 5. in quo magis peccat qui est perplexus ex erronea conscientia. Et grauior erat occisio Dei quam libertas blasphemii contra conscientiam erroneam.

Christus

Christus per mortem suā deleuit Chyrographū decreti quod aduersum nos erat & affixit illud cruci. Magister in litera & sunt verba Pauli Colo. 2. Quæ sic exponit Bona. in q. 2. huius. d. dimissis alijs expositionibus, quia sermo est metaphoricus, & Chyr, græce, est manus latinè, & grapho scribo, dicitur Chyrographum memoriale quo anima tenetur obligata alicui pœnæ, sicut quando aliquis obligat se alteri facit Chyrographum, id est obligationem propria manu signatam. Vocatur Chyrographum culpæ quia è nostra culpa resurgit: Chyrographum decreti, quia ex diuina sententia sic decernente. Decreuit namque diuina sententia propter Adæ peccatū omnes eius filios sub diaboli manere potestate: decreuitque mortem intrare in mundū propter idem peccatum. Vide & Alex. 3. p. q. 18. M. 4. Hinc petitur quæstio. An diabolus post Christi mortem habeat minorem potestatem contra fideles, vide Bona. hac. d. q. 3. Citra dubium esse debet, quia fideles modo contra ipsum fortiora habent arma, nempe crucem. Isaia. 30. A voce domini pauebit Assur virga percussus. Habent & nomen Iesu, ad cuius inuocationem ipse territus fugit. Ideo eius potestas non grassatur vt prius quando passim cruces effigiuntur, & ecclesiæ construuntur, cessant ideo eius apparitiones, & illusiones tot quot antea. De isto dubio vide Alex. 3. p. q. 18. M. 3. facit & in hoc ligatio demonis per Christum magni consilij angelum Apocalyp. 10. qui & arma eius abstulit Luca. 11. vide. lib. 2. d. 6. p. 5.

Propos. 9. Christo propriè conuenit esse redemptorem, quamuis pater & Spiritus Sanctus quandoque dicatur redemptor. Magister in lite. Ratio est quia ille est proprie redemptor qui pretium soluit pro captiuo, & hoc de suo: quia si dat de alieno, & alterius nomine, ille alius est redemptor principalis: sed Christus dedit proprium sanguinem pro nobis, ergo est redemptor. At cum Christi vita sit totius Trinitatis dicente Paulo. 1. Corin. 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei, ad totam Trinitatem pertinet redimere sicut ad primā causam & efficientem. Hoc sic explicat Magister, quod ad Trinitatem pertinet propter vsum potestatis, Christo propter vsum potestatis, & propter exhibitionem humilitatis & obedientiæ.

Propos. 10. Soli Christo conuenit esse mediatorem inter Deum & homines Paulo dicente. 1. Timoth. 2. vnus mediator Dei & hominum
Christus

Christus Iesus, atque hoc secundum naturam humanam. Mag. in litera. Ratio huius est quia ille dicitur mediator qui reconciliat partes & ab vtraque aliquo modo differt, & aliquo modo cum vtraque conuenit, sed has condiciones habet Christus homo. Ita dixit Fulgentius Apher episcopus Ruspensis. in libro de fide orthodoxa ad Donatum. Mediator nullatenus esset, si vel cum patre diuinitatis naturam, vel cum hominibus communē carnis & animæ substantiam nō haberet. Vide Alex. 3. p. q. 18. M. 2. vbi ad hanc doctrinam de mediatore late refert Augustinum lib. 9. de ciuitate Dei. Bona. hac. d. q. vlt. facit differentiam inter esse medium, & mediatorem, quia mediū conuenit cum extremis. Mediator & conuenit, & efficit reconciliationem. vnde quamuis per Spiritum sanctum reconciliemur, non tanquam per mediatorem, quia non conuenit in natura cum extremis, scilicet Deo, & homine. Item Moyses Deut. 5. dicens. Ego medius fui inter Deum & vos, non fuit mediator, quia non habuit officium reconciliationis nisi ex merito de congruo quamuis per naturam conueniret cum subditis, & per gratiam cum Deo. Large, & ex communicatione Sancti dicuntur mediatores. Vide supra. d. 9. p. 6. & Th. 3. p. q. 26. ar. 1.

Ex præhabitis infertur quomodo finis redempti per Christū, quoniam eius diuinitas est causa efficiens principalis: voluntas creata, causa meritoria, quæ & reducitur ad efficientem, passio pœnosa carni, est per modum satisfactionis, quia per eam à debito pœnarum liberamur: eadem est per modum redemptionis quia liberamur à seruitute culpæ, est per modum sacrificij quia nos Deo reconciliauit, & effectus sacrificij est placare Deum. Alex. 3. p. q. 18. M. 2. ar. 3. ponit & explicat vndecim nomina quæ dicuntur de Deo homine videlicet, Mediator, ratione iam dicta. Templum *Mediator.* propter inhabitantem diuinitatem. Caput, ratione posita in. d. 13. *Templum.* p. 4. fundamentum, quia ex ijs quæ de eius plenitudine accipimus *Caput.* primum est illuminatio fidei, per quam ipsi incorporamur, & super *Fundamentum.* perædificamur. Ostiū quia per eū voluntas nostra habita fide ad *Ostium.* Deum ingreditur per charitatem. Sacerdos, quia nos per Sacramē *Sacerdos.* ta regenerans reconciliat, & offert Deo. Pastor, quia genitos, & filios ecclesiæ pascit atque nutrit verbo, & doctrina. Hostia, siue *Pastor.* sacrificiū, quia Deum placando: pro nostris peccatis satisfacit, ex *Hostia.* qua ratione dicitur & Redemptor quia soluit pretium vt dictū est. *Redemptor.* Via, quia per ipsum redēpti ad Deum tendimus. Finita via quia *Via.*

f nihil

Saluator. nihil restat nisi in Deo sine quiescere dicitur. Saluator, quia gloriā distribuens redemptis facit eos saluos in Deo sine quiescere. Nō obstante Alexandri sententia, quia facile est discurrere per symbola, & similitudines possunt in plura adaptari, vt pastor, quia pascit Eucharistiæ pane. Ostium propter fidem, & sic de alijs.

DISTINCTIO XX.

De congruitate passionis Christi: & an fuit necessaria pro nostra redemptione.

Propos. 1.

Non fuit necessaria simpliciter & absolute incarnatio verbi, neq; eius passio. Ad hanc est Magister in litera ex Augu. li. 13. de Trinit. ca. 10. Alius modus liberandi genus humanum Deo fuit possibilis, cuius potestati æqualiter cuncta subiacent. Idem dicit Hugo lib. 1. de sacramentis parte. 8. cap. 10. vide doctores hac. d. præcipue Bona. q. vlt. Alex. 3. p. q. 1. M. 3. Tho. 3. p. q. 1. ar. 2. Facit etiam quia potuit Deus non reparare genus humanum cum ad extra nihil faciat necessario.

Propos. 2.

Necessitate conditionata, quæ dicitur necessitas consequentiæ, vel è suppositione (vt verbi gratia si curro necessario moueor, quia supposito cursu ex antecedenti necessario sequitur cōsequēs) necessaria fuit: verbi incarnatio & passio, supposita videlicet ordinatione diuina, quæ sic disposuerat redimere genus humanum. Cuius ordinationis plurimæ assignantur à doctoribus congruentiæ. Et à Magistro hinc in litera dicente ex Augustino. Nostræ misericordiæ sanadæ alium modum conuenientiore non fuisse, neque esse oportuisse. Vide supra d. 16. Et quando idem August. in Enchyridio dixit cap. 107. Neque per ipsum liberaremur vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, nisi esset Deus; per hanc propositionem intelligendus est. Scotus secundum eam intelligit dicta Anselmi in libro. Cur Deus homo, qui propter hanc solam quæstionem quæ mere est Theologica fuit ab ipso compositus. Primum dictum est. Necessarium fuit hominem redimi. Probatur quia sicut natura nihil facit frustra neq; quidquam committit necessariorum. 3. de Anima. tex. cōm. 45. sicut cap. 9. ita & Deus, sed frustra facta esset natura rationalis nisi posset Deo perfrui. Nō autē ipso pfrueretur nisi repararetur, ergo aut

aut hoc perficiet Deus de natura humana quod incepit, aut in vanum fecit tam sublimē naturam. Secundum dictum, quod non potuit redimi sine satisfactione, quia iniustus est omnis qui nō reddit Deo quod debet, sed peccator à Deo abstulit honorem debitum, igitur quoadusque satisfaciat esset iniustus.

Et cum nullus iniustus admittatur ad beatitudinem necessaria fuit satisfactio. Hinc habetur quod mortuus est propter iustitiā, vide & supra. d. 16. p. 3. Circa hoc dictū Anselmi Bonau. in vltimis verbis huius dist. ait, quod multi concedunt, quod nō potuit alio modo quam per mortem Dei & hominis satisfieri pro genere humano, neq; genus humanū potuit aliter redimi. Subdit. De liberatione firmiter credo quod alio modo potuit liberari. De redemptione vero, neq; nego, neq; affirmare audeo, quia temerariū est cū de diuina potentia agitur terminum præfigere ei. Amplius enim potest quam nos possumus cogitare. Quod si dicatur quod poterat homo per impotentiā excusari: Respondet Anselmus quod impotentia ipsum non excusabat, quia ipse se fecerat impotentē, ipsaque impotentia erat peccatum. Neque sufficiebat misericordia ad remittendum sine satisfactione, quia relinqueretur peccatum impunitum. Contra hoc vide supra. d. 19. p. 7. facit & illud, quidquid potest Deus cum causa secūda efficiēti potest facere se solo, sed passio Christi reducitur ad causam efficiētem, ergo sine illa potuit remitti offensa è sola Dei misericordia vt docet Scotus in. 4. d. 14. q. 1. lit. V. & d. 15. q. 1. litera B. Tertiū dictū, quod illa satisfactio non poterat fieri à puro homine, quia nullus satisfacit pro peccato nisi reddat aliquid maius eo, pro quo peccare nō debuit, sed pro omni creatura nō debuit peccare, ergo erat reddēdū aliud maius omni creatura: tale autē est Deus, ergo solus Deus potuit satisfacere: & cū non debuerit satisfacere nisi homo, oportuit esse Deum hominem. Cū hac doctrina Anselmi trāsit Alex. 3. p. q. 1. M. 6. & 7. Scot. autē salua Anselmi reuerētia nō credit hoc dictū esse verū: quia nō requirit satisfactio, q̄ excedat formaliter omnē creaturā in magnitudine, sed requirit & sufficit offerre Deo maius bonum quā fuerit malum peccati: quia si homo existens in gratia reddit vñū, aut plures actus dilectionis Dei ex conatu maiori liberi arbitrij, quam fuit conatus ad peccandum sufficit pro peccati satisfactione. Quoniam talis actus habet Deum qui est infinitus pro obiecto. Peccatum dicitur infinitum obiectiue, quia auertit

à Deo, ita actus meritorius potest dici infinitus obiectiue & talis actus excedit amorem creaturæ sicut ipsemet Deus excedit omnem creaturam. Non enim peccatum, neque actus meritorius habet aliquam infinitatem formaliter, imo neque amor Christi creatus quo dilexit Deum habuit talē infinitatē. Quartum dictum Anselmi, quod talis satisfactio oportuit esse per passionem: quia sicut homo peccauerat per suauitatem subiiciendo se diabolo: ita per asperitatem debuit vinci diabolus. Nil autem asperius, aut difficilius morte. Ad hoc quartū potest dici, quod dicit Sco. hac. d. in solu. 2. principalis, quod absolute potuit Christus per bonum velle voluntatis satisfacere, voluit tamen per passionem ex intenso amore, quoniam actus virtutis circa tristabile est magis meritorius, quam circa delectabile, & passiones voluntariæ concomitantes actum virtutis simul sunt magis meritoria, quā actus soli: vnde saluator de Paulo dixit act. 9. Ostendam ei quanta oporteat eum pati, nō dixit quanta oporteat eū agere. Cum Philosophus dixit. 2. ethic. ca. 5. passionibus neque laudamur, neque vituperamur, intellexit de passionibus animæ quæ sunt affectus, vnde alia translatio habet, ob affectus neque laudamur, tales enim affectus insunt à natura, & boni aut mali à natura non efficiuntur. Propterea vt ibi ait, non vituperatur, qui simpliciter irascitur sed qui modo quodam. Passiones poenales & maxime mors ex actu virtutis acceptæ laudabiles sunt & meritoria.

Proposi. 3. Aliquæ assignantur conuenientiæ à doctoribus quare Deus magis reparauit homines quam angelos peccantes. Prima, quia homo magis indigebat quia totus lapsus fuerat. Secūda, quia minus indignus erat, qui corruerat per alium. Plus ei proderat quia in malo obstinatus non erat. Vide Alexandrū. 3. part. quæst. 1. M. 2. art. 2. Bouauen. in hoc. 3. dist. 2. quæst. 2. Primam rationem Scotus hic in argumēto primo principali vertit in eos doctores, qui eam sequentes tenent, quemlibet angelum constituere suam speciem, quia sic debuissent reparari in quibus tot species corruerant. Contra secundam arguit, quia etiam videtur quod angeli corruerint per alium, id est, per Luciferum: qui eos tentauit Apoc. 12. factum est prælium. Ad hanc vero patet responsio, quia diuerso modo corruerunt per alium, quia mulier per serpentem, Adā per mulierem, totum genus nostrum per Adæ peccatum. Ex quo fit quod Christus immediatius, & principalius est redemptor peccati

ti originalis quam actualis, licet vtrumque deleat, vide Scotum in hoc. 3. distinct. 3. & Thomam 3. p. quæst. 1. art. 4. quia bonum gentis est diuinius & eminentius quam bonum vnius, & peccatum originale fuit malum totius generis. Facit & illud Ioan. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi iuxta græcam lectionē. Quod exponens Beda ait. Peccatum mundi dicitur originale peccatum quod est commune totius mundi.

Contra hanc arguitur ex Matth. 15. vbi dixit Christus, non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel, ergo non venit propter omne genus humanum, quod corruerat. Confirmatur ex Isaia 41. Ego redemptor tuus sanctus Israel. Amos. 9. suscitabo tabernaculum Dauid, id est, populum Iudaicum vt ibi exponit Glossa in rerli.

Ad primā dico quod variè potest exponi, sed exponitur per illam Pauli, Rom. 15. Dico Christū Iesum ministrū circūcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum. Fuit ergo Christus destinatus prædicator, & operator miraculorum in propria sua persona populo Israelis, & hoc voluit dicere non tamen propterea desinit aliqua miracula facere gentibus vt in prædictæ mulieris filia, & in seruo Centurionis. Alia autoritas est affirmatiua non tamen infert negatiuam. Maximè dicente Paulo. 1. Timoth. 2. Homo Christus Iesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Et ipse Christus Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouile, hoc est vna Ecclesia de Iudæis & gentibus. Aliam exposuit sanctus Iacobus Act. 15. de Ecclesia figurata in regno Dauid, Luce 1. dabit ei dominus sedem Dauid.

Christus Dominus traditus fuit in mortem à Patre, à semetipso, à Iuda, & à Iudæis. Ideo mors eius in ratione obiecti fuit opus omnium eorū, sed propter diuersas intentiones potest dici quod actus, & facta fuere diuersa. Mag. in litera, vide Bonau. in q. literali. Alexand. 3. p. q. 18. M. 4. §. 2. qui distinguunt quod est opus operans, & opus operatum. Opus operatum fuit bonum, quia bona fuit passio Christi, opus operans malum fuit in quantum fuit Iudæi & Iudæorum. Patris fuit bonū opus, qui tradidit illum, Rom. 8. permittendo ipsum occidi, & volēdo quod ipse sustineret mortem, non enim pater ipsam ei intulit. Opus Christi fuit bonum,

qui seipsum tradidit obediendo, & patienter mortē ferendo. Iudæ fuit malum & eorum qui mortem ipsam intulerunt, quoniam Iudas ex auaritia, Iudæi propter inuidiam, Matth. 26. ipsam procurauerunt. Alexand. citatus dicit quod mors Christi ex genere & absolute fuit malum, quia fuit occisio innocens: ex circumstantia fuit bonum, quia finis eius fuit redemptio generis humani. Caiani hæretici laudant Iudam quasi diuinum quia præsciuit utilitatem passionis, & laudabiliter ipsum tradidit, sed contra est quod dixit Christus, Luc. 22. v. homini illi. & Ioan. 13. Non estis mundi omnes propter Iudam, & Act. 1. possedit agrum de mercede iniquitatis. ¶ Christo Dño fuit mors illata à gentilibus. Probat, Matth. 20. Tradent eum gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Ioan. 19. Milites quidem hæc fecerunt. Aduertendum tamen quantum ad has ambas, quod vbi due affirmatiue propter diuersos respectus sunt veræ, non potest vna illarum fieri vniuersalis negatiua, verbi gratia, hæc est vera. Pater tradidit filium, Iudæi tradiderunt, non potest vna negari dicendo. Pater non tradidit. Item quia gentiles occiderunt ipsum cruci affigendo, non bene negatur: Iudæi Christum non crucifixerunt, est enim hæretica, cuius contradictoria habetur, Act. 2. dicente Petro. Viri Israelitæ Iesum Nazarenū vos interemistis, ibi. 4. dixit idem Petrus. Principes populi & seniores Israel in nomine Domini nostri Iesu Christi quem vos crucifixistis iste astat sanus. Negatio enim negans totum destruit, & facit hunc sensum quod nullo modo occiderunt aut tradiderunt, quod falsum est. Idcirco errauit quidem prædicator dicens in gratiam descendantium à Iudæis, quod Iudæi Christum non crucifixerant: crucifixerunt namque ipsum tradendo, & accusando.

Propos. 5
Propos. 6
Tam Iudæi quam Gentiles Christum occidentes ignorauerunt eum esse Deum. Probat, 1. Corinth. 2. Si cognouissent nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Quæ autoritas à Scoto hac. d. intelligitur de dæmonibus & non de Iudæis. Alexand. 3. p. q. 16. M. 4. art. 1. q. 2. tam de Iudæis quam de dæmonibus intelligit. Itē Act. 3. dixit Petrus. Nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Sed quoniam Matth. 21. videtur sonare parabola quod ipsum cognouerint dicentes. Hic est heres, Alex. loc. citato distinguit dicēs quod maiores Iudæorū sciuerunt ipsum esse Messiam, sed non Deū, quia non inueniebant expressum in lege secundū suum.

sui intellectū. Minores vtrūq; ignorabāt & quod esset Deus, & quod esset Messias. Sequitur Alex. Thomas. 3. p. q. 47. art. 5. & quia dicit Thomas quod maiores cognouerūt ipsam esse Christū, sed non Deū, Messias interpretatū dicitur Christus. Ioan. 1. Messia esse Deū scripturæ ipsæ clamabāt, nā. Isaie. 9. dicitur quod vocabitur nomen eius Deus fortis. Et Hierem. 33. Hoc est nomen quod vocabūt eū dominus iustus noster. Vbi in Hebræo iuxta peritos in ea lingua ponitur nomen dñi tetragrammaton. Videtur igitur quod nō potuerint cognoscere Messiam esse, quin cognoscerent esse Deū. Idcirco alijs videtur quod in habitu cognouerūt eū esse Deū: atq; in principio in actu, sicut incontinēs ante passionē in vniuersali & in particulari bene iudicat, sed stante passione peruertitur actuale iudiciū, quo iudicat pro tunc malū eligendū: ita maiores in principio tā in vniuersali, quam in particulari bonam de Christo habuerunt estimationem, sed quia eorum reprehendebat vitia, ira & inuidia turbante, actualiter male iudicauerunt, & sic ignorauerūt culpabili, & affectata ignorantia. Sanctus Bonau. in lib. 2. d. 40. num. 6. fatetur omnes ignorasse diuinitatem tam minores quam maiores. Sed tamen cognouisse eius sanctitatem propter opera quæ faciebat, vnde omnes fuere inexcusabiles ipsam occidendo, maiores quia moti inuidia & malitia contra sanctum: minores quia licet existimarent obsequium se præstare Deo credentes maioribus dicentibus ipsum esse blasphemum, tamen Christi sanctitas fuit ex operibus adeo euidentis quod tam magnos, quam paruos conuincebat. Potest dici probabiliter quod Iudæi docti in lege bene sciebāt Messiam futurum Deum & hominem, idcirco petijt adiurans Caiphas à Christo an ipse esset Christus filius Dei, Matth. 26. sed tamē quod ipse Iesus esset Messias ignorauere, quia licet multæ scripturæ bene quadrarent ad id probandum, tamen quia aliæ quæ in secundo aduentu sunt complendæ non videbantur quadrare, vt de Helie aduentu, de regno quod credebant futurum temporale, & de redemptione, non satis adhærebant. Hic est Messias: Neque in eo forte peccabant, quia scripturas maxime prophetias non tenebantur ita clare scire sicut modo scimus: veluti neq; nos prophetias de secundo aduentu, & de persecutiōe Antechristi aperte quantum ad intellectum, & circumstantias interpretamur: sed quia opinando ipsum esse debuerunt circa eum bene affici, & scrutari scripturas vt eis ipse dixit Ioannis 5. & non fecerunt ignorauerunt

ignorauerunt affectata ignorantia. Et cognouerunt aliquantulum ex prædicta opinione rationabili, quæ sufficit vt dicantur cognouisse. Quemadmodum demones ignorauerunt vt patet ex citato Paulo, & dicuntur scisse ex opinione Matth. 8. Vocando eum filium Dei. Marci 1. Non sinebat eos loqui, quoniam sciebant ipsum. Ad idem ibi in cap. 3. Fiat ergo discursus talis. Messias debet esse Deus, & homo: Hæc maior fuit de fide, & à maioribus cognita & credita. Minor, Hic est Messias: erat opinio fulta probabilissima ratione, & autoritatibus. ergo, Hic est homo & Deus simul. Conclu. sequebatur partem debiliorem, ira & inuidia dimoti ab opinione rationabili fecerunt minorem, & conclusionem negatiuas, ideo Christus adiuratus respondit obijciens gloriam secundi sui aduentus, quia deficiente sibi regno temporali, errabant in eius persona, vt vel tali responsione moti recurrerent ad scripturas.

DISTINCTIO XXI.

De statu Christi in morte.

Proposi. 1.



N Passione Christi anima verè & realiter fuit à corpore separata. Hæc est de fide, quam docent omnes quatuor Euangelistæ, Matth. 27. Marcus 15. Lucas 23. Ion. 19. fatentur enim eum expirasse, emisisse, & tradidisse spiritum, quod est esse mortuum, vt & Ioannes ait: quia vt viderunt eum mortuum non fregerunt eius curam. Sed mors est separatio animæ à corpore. Fuit tamen hæresis Basilidis quod Christus non fuit crucifixus, sed Symon Cyrenæus. Item alia Caianitarum negantium corpus Christi fuisse corruptibile corruptione mortis, & ita negabant eum vere mortuum fuisse. Hæc refertur ab Isidoro 24. quæst. 3. Quidam à Damasceno quem habes supra distin. 15. p. 5. nam hi sequebantur Iulianum & Caium à quo & nomen acceperunt. Pro nostra est Mag. in litera. Alexand. 3. par. quæst. 19. M. 2. Thom. 3. p. quæst. 50. art. 1. & 5. Scholastici hæc d.

Proposi. 2.

In morte Christi diuinitas nõ fuit separata ab anima neq; à corpore,

pore, sed remansit vnio vtriusq; ad diuinitatem. Hanc docet omnis Schola Theologorum, vt Alex. citatus M. r. refert. Damascenũ lib. 3. cap. 27. dicentem. Quanquam mortuus est vt homo, & sancta eius anima ab incontaminato separata corpore, non tamen diuinitas ab vtroq; separata remansit, quare vna verbi hypostasis, & verbi, & animæ & corporis fuit hypostasis. Hoc his verbis solet allegari. Verbum quod semel assumpsit nunquã dimisit. Quod Scotus in d. 16. lit. D. exponit de partibus principalibus corporis quæ cõcurrunt ad perfectionem hominis. Cuiusmodi sunt partes eterogeneæ, scilicet cor, caput, manus & huiusmodi. Quoniã aliquæ partes dimissæ sunt, vt si incidit sibi vngues, vel rasit capilos, & sic de partibus carnis, & alijs, vt si gutta sanguinis defluxit in terrã. Imò totũ sub ratione totius fuit dimissum, vt tenet Scotus, quod totum dicit entitatem distinctam à partibus. Neq; fuit necessaria noua vnio siue animæ, siue carnis ad verbum, dicit enim Damascenus citatus. Nam & tunc (scilicet tempore mortis) corpus & anima secundum idem à principio in verbi hypostasi habebant existentiam. Imò vt dicit Scotus loco citato, quando Christus comedebat, & fiebat restauratio & aggeneratio nouæ carnis illa vniebatur Verbo per antiquum miraculum, quo assumpsit totam naturam, non tamen aliquo nouo, hoc est non noua vnione, sed vnione totius, licet natura faceret aliquod præambulum, scilicet quod aliquid esset actu pars corporis. Hæc est doctrina sancti Bonau. hac d. num. 14. Ricardi. art. 1. q. 4. quod nõ fuit in vnione verbi, & humanitatis nisi vna vnio actio, qua actione Deus vnuit naturam humanam, & vna vnio passio, qua humanitas vniebatur, ita quod actu vnica erat vnio, in potentia erant plures, nam prout vnio est relatio erant plures. Vnde in morte fuit actu vna vnio relatio ad animam, alia relatio ad corpus. Durandus hac d. q. 1. distinguit de corpore (nam de anima fateatur non mansisse vnitam per aliam vnionem, sed per primam) aut corpus habet formam aliam substantialem distinctam ab anima rationali, & sic mansit eadem vnio: Sed si in homine non est alia forma substantialis nisi anima rationalis, dicit quod fuit alia & noua vnio ad corpus mortuum & ita respondendum secundum diuersas opiniones. Scotus tenens in 4. d. 1. q. 3. litera Q. & d. 43. ante literam C. q. 1. quod corpus habet propriam formam præter animã rationalem consequenter debet dicere sicuti de aggeneratione nouæ carnis, quod mansit corpus vni-

tum

tum ex prima vnione. Alij tenentes formam corporis viui, & mortui esse diuersas, & solum esse idem corpus æquiuocè, adhuc dicunt quod in morte non fuit noua vnio, vel assumptio: vnium suæ assumptum benè fuit nouè assumptum. Neq; volunt concedere quod fuit nouum assumptum, neque nouum corpus. Sicut fluius semper fluens non est nouus fluius.

Argumen. Contra hanc arguitur, Matth. 27. Vbi ipse Christus Clamauit se à Patre derelictum.

Sol. Respondet Magister in litera quod ideò dicit se à Deo derelictum, quia potestati persequentiu eum exposuit non defendèdo. Alioquin si illa derelictio fuisset vnionis solutio cum uiuus clamauerit, fuisset aliquo tempore homo & non Deus. Idem quod Magister, dicit Alex. vbi suprà. Facit etiam pro conclusione quod dicitur sepultus & descendisse ad inferos, quæ vera non essent si diuinitas ab anima & carne separata fuisset. Thomas. 3. p. q. 50. art. 2. dat aliam solutionem ex Augustino quod fuit derelictus quantum ad orationem in horto, quæ non fuit exaudita. Vide suprà d. 17. Vel dic cum Bonau. d. 16. q. 2. quod ratio nullam dabat mitigationem, sicut dare solet viris prudentibus per recòpensationem futuram tam in gloria propria, quam in utilitate aliorum, ideò dixit se derelictum quia sine consolatione aliqua patiebatur. Ex hac autoritate Gnostici & Hugnostici dicunt Christum tanta conscientie anxietate vexatum, ac si à Deo derelictus esset atq; in desperatione incidisse. Plus addit Calvinus, ac si Deum haberet infensum metuisset Christum pœnas inferni, quasi in labyrinthum proiectus. Quæ sunt & hæretica & blasphema. Tunc enim anima Christi fuisset in errore, neque Deum se esse sciret per vnionem neque anima eius fuisset à conceptione beata, neq; manes in tali errore & anxietate exaudiretur pro sua reuerentia, quod affirmat Paulus, Hebr. 5. dignus quippe exaudiri non esset, qui & immemor erat vocis delapsæ à magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus, 2. Petri. 1. Et illius Ioan. 12. Clarificauit & iterum clarificabo. Et venit hora ut clarificetur filius hominis.

Proposi. 3. Corpus Christi etiã si resurrectio in longũ differretur non putresceret. dicente Psalmista, Ps. 15. in persona Christi. Nò dabis sanctum tuum videre corruptionem. De hac vide Alex. 3. p. q. 20. M. 1. art. 2. Ricard. hac d. art. 2. q. 1. & 2. Ratio est cògruentiæ, quia putrefactio, sicuti & mors proueniebat ex originali, & quauis alij defectus

etis pro nobis assumpti nobis profint, putrefactio nihil profuisset. Vnde Ps. 29. dicitur ex persona Christi, Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? Glossa ordin. & est Augustini. Si statim non resurgo & corpus corrumpitur nemini annuñciabo, nullũ lucrabor. Quia videlicet non crederetur virtus eius diuina, qui se resurrecturũ promisserat. Augustinus citatus ab Alex. dicit quod debuit accipere quod conueniret nostræ redemptioni & suam non dedeceret dignitatẽ. Dedeceret incineratio, quia sequitur originale. Sed vnde proueniret incorruptio? Henricus Gandauensis tenet quod non à se neq; à causis inferioribus, sed ex causa superior, quæ est virtus diuina prohibuisset sicut Isaiæ 38. Ezechias secundum causas inferiores, & naturales mortuus fuisset, tamen prohibuit Deus addens illi quindecim annos vitæ. Hoc verò impedimẽtum proueniebat ex antiquo miraculo, scilicet ex vnione ad Verbum. Scotus hac d. hoc vltimũ impugnat, & dicit quod tale impedimẽtum erat præstandũ ex alio miraculo. Quoniam ex quo verbũ stãte vnione nõ prohibuit ceteras passiones illius corporis imò stãte miraculo de nõ redundantia gloriæ animæ in corpus si tales passiones impediuisset fuisset ex alio nouo miraculo, ita ex quo illud corpus fuit passibile erat cõseruãdũ à putrefactiõne per miraculũ nouũ. Quæ Scoti verba notabis ne propter ea quæ dixit de merito Christi in d. 18. de sui corporis gloria erres imponendo illi, quod Christus vel passus sit ex miraculo: vel quod senterit cum Hugone reprobato suprà d. 16. p. 2. dixit enim Scotus quod meruit a motionem impedimenti. Vide citata d. 18. suprã p. 2. imò & ipsum Scotum d. 16. q. 1. litera B. Pro his duabus opiniobus Ricardus citatus facit rationes & soluit.

DISTINCTIO XXII.

De consequentibus separationẽ animæ Christi à corpore.



HRISTVS in illo triduo mortis non fuit homo. Hæc est contra Magistrum hac distin. tenentem oppositum. Ratio est Magistri quod ad esse hominem sufficiebat quod anima & corpus quamuis in sese diuisæ essent, tamen vnitæ verbi supposito.

t 2 Sed

Sed in hac Magister non tenetur. Vt est videre in Scholasticis hac d. in Alexandro. 3. p. q. 19. M. 3. Thom. 3. p. q. 50. art. 4. volebat quippe Magister quod alia ratione sumus nos homines, alia Christus, quia in nobis non est nisi vna vnio carnis & animæ: in Christo sunt duæ vniones carnis & animæ, & alia humanitatis ad deitatem: nos vnione soluta non manemus homines, Christus vero sic, quia manet secunda vnio, ad verbi personam, & eodem modo quo prius. Hugo de sancto Victore super Ioan. cap. 10. & in principio super epistolam ad Rom. idem tenet quod Magister, sed alia ratione, quia secundum eum homo dicitur ipsa anima rationalis, penes quam consistit principaliter esse personale hominis: Ideo homo quando viuere desinit, non desinit esse homo, quia anima non moritur sed permanet. Contra eum vide citatos doctores. Proprie enim homo est anima & corpus inter se vnita, ita quod corpus est vt materia, anima vt forma.

Corol.

Ex hac inferitur quod beata virgo in illo triduo non fuit mater Christi quia relatiua sicut posita se ponunt, ita perempta se perimunt, & desinente Christo esse hominem, desinit Maria esse mater: in resurrectione quia redijt idem homo Christus, redijt in virgine eadem maternitas, vide in Scoto distinct. 8. huius tertij ad 3. principale & in 4. distinct. 43. quaest. 1. ad vltimum argumentum. Hoc innuit Christus dicens, Ioan. 19. Mulier ecce filius tuus; & ecce mater tua.

proposi. 2.

Mortuo Christo remansit corpus in sepulchro, anima vero descendit ad infernum. De corpore patet ex Euangelistis. De anima non docetur in Euangelio, tamen est articulus fidei, docetur enim in Symbolo Apostolorum.

Argumen.

Atque vt deducit Scetus in 1. d. 11. q. 1. ad 2. principale & in 4. d. 17. q. 1. litera l. multa docuit eos spiritus sanctus quæ non sunt scripta in Euangelio dicente illis Christo Ioan. 16. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Ideo periculosum est errare circa ea quæ ab Apostolis tradita sunt per scripta, & quæ per consuetudinē vniuersalis Ecclesie tenenda sunt. Quonia apostoli, quædam per scripta, quædam per consuetudinē tradiderunt. Ad hanc est cap. Firmiter de summa Trinit. & fide Catho. dicēs de Christo. Descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in cælum, sed descendit in anima, & resurrexit in carne, ascenditq; pariter in vtroque.

Item

Item act. 2. dixit Petrus de Christo. Quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Quæ verba sonant realem & verum descensum Christi ad illum locum vt probat Augustinus in epistola ad Dioscorum quæ est. 57. Caiet. 3. p. q. 52. ar. 2. propter hanc autoritatē dicit quod ille descensus fuit nonnulla pœnalitas quam anima Christi pro nostra salute sustinebat. Sed tu sustinendo Bonauenturam citatū supra d. 18. p. 2. dic quod illi dolores non fuerunt Christi, sed animarum sanctarum, quæ licet non haberent pœnam sensus, tamen retardatio à visione Dei erat mētis afflictio, vt dicit ibi Lyranus. iuxta id Prouerb. 13. spes quæ differtur affligit animam. Ad idem est Glossa ordin. quæ est Bedæ in eodem loco dicens, quod per descensum eius liberati sunt sancti à locis inferorum qui licet in sinu Abrahamæ, id est, in consolatione quieti essent, à dolore tamen mortis siue inferi non erant soluti ex toto, quia non meruerunt gaudia cæli intrare, donec fieret illud Prophetæ Zachariæ. 9. In sanguine testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Vincti enim erant antequam educerentur. Hæc glossa. Nā si sententia Caietani vera foret, anima Christi non fuisset impassibilis antequam resurgeret. Durandus hac. d. q. 3. tenet quod anima Christi non descendit secundum præsentiam diffinitiuam substantiæ ipsius animæ, sed per effectum, qui fuit duplex, scilicet exhibendo patribus diuinam visionem qua carebant, & illuminando eorum animas sicut angeli illuminant angelos, quia Christus secundum animam habet docere angelos, & multo fortiori ratione animas. Est exemplum in sole qui adest nobis per illuminationem & non per substantiam. Rationes quas facit soluit Caieta. vbi supra citatus. Timens autē Durandus periculum suæ opinionis non est ausus illi firmiter adhærere. Sed Ioannes Picus Mirandulæ comes in apologia sua. q. 1. Hanc Durandī opinionem defendit, negans modum essendi animas & substantias separatas in loco diffinitiuæ. Ita quod secundum Picum substantia separata neque est in loco per finitionem & limitationem suæ substantiæ, quæ sic finitè claudatur in vno loco, quod extra ipsum nihil sui inueniatur. Ad hoc citat Albertum Magnum tractatu. 1. 4. libri Physico. cap. 1. non approbantem vsitaram distinctionem essendi in loco diffinitiuæ & effectum scripturæ: quia vltimum cælum, ait Albertus non definitur, neque circumscribitur loco, eo quod omne quod

t 3

est in

est in loco, clauditur & continetur à loco in quo est: neque etiam admittit Picus opinionem dicentium quod nullo modo sunt in loco, sicut neque sunt albæ, neque nigrae, neque calidæ aut frigidæ, sed quod sunt præsentis negatiue, id est, indistantes, & quod dicuntur esse in loco vel fuisse ac si dicatur alicubi operari, vel fuisse operatas. His duobus modis reprobatis vult Picus, quod ratio essendi in loco diffinitiuè & præsentialiter sit operatio animæ ab ea transiens ad extra. In his doctoribus aduertendum, quod non negant descensum Christi ad inferos cum sit articulus fidei, sed negant modum quo hic articulus communiter declaratur, & sustinetur. Alijs eorum opinio videtur erronea. Buccerus quem sequutus fuit Caluinus negauit animam Christi descendisse ad patres in limbum, imò & descensum, & patrum libertationem vocant fabulam. Negant enim aliqui hæretici in Germania & purgatorium, & limbum patrum.

Propos. 3. Locus inferni ad quem Christus dicitur descendisse, fuit limbus sanctorum patrum, & secundum aliquos vel descendit ad purgatorium, vel saltem animas purgatorij liberauit. Pro huius intellectu dicit Ricardus hac. d. art. 2. q. 1. quod in inferno largè dicto sunt quatuor loca. Primus est infimus damnatorum. Secundus paruulorum decedentium sine baptismo, alij in hoc secundo ponunt purgatorium, quia purgantur animæ eodè igne quo damnati. Tertius purgatorij. Quartus sanctorum patrum ad quem ex purgatorio animæ transibant. Hic quartus vel est vacuus vel omnino destructus à die resurrectionis, vsque ad quam diem dicit Bona. hac. d. q. vlt. quod mansit ibi anima Christi cū sanctis patribus. Alij dicunt vt refert Echius in sermone. I. resurrectionis quod post mediam noctem Parasceues anima Christi cū sanctis patribus in terrestrem paradysum migravit. Nam & Bona. in libro meditationum vitæ Christi vult Christum ibi sanctos collocasse, & post apparitiones quas faciebat illuc remeasse ad illos, vide in cap. 71. 79. & 81. eiusdem libri. Alij de hoc dubitant & malunt quod manserit in prouincia Iudææ cū illis sanctis animabus inuisibiliter cōuersans vsque ad ascensionem. Quibusdam placet limbum patrum & paruulorum fuisse eundè, sed quod patres fuerint in loco superiori. Est bona apparentia quod non fuerint in eodem loco, quia Christus illos paruulos, neque visitauit, neque illuminauit. Durus Tho. 3. p. q. 52. ar. 8. nō vult quod Christus liberauerit animas omnes purgatorij.

torij, sed tantum illas quæ iam erant purgatæ, & illas quæ ex deuotione ad mortem Christi speciali dum viuebāt meruerunt eo descendente à purgatorio liberari. Alijs piè videtur quod omnes affectuæ sunt hanc per Christum remissionem & plenariam indulgentiam, sicut affectus est latro in cruce. Multæ piæ rationes adducuntur ad hoc, vide Echium citato sermone. I. de resurrectione, & Ricard. hac. d. ar. 3. q. 2. pro vtraque facit rationes & soluit.

Propos. 4. Iste fuerunt veræ in illo triduo. Totus Christus erat in sepulchro: totus in inferno, totus in cælo: totus vbique. Magist. in litera citato August. quia totus masculinæ dicit hypostasin, siue personam, totum neutraliter naturam: Et sic erat falsum. Totum quod est Christus fuit in sepulchro, aut in inferno. Vide Alex. 3. p. q. 19. Me. 5. Thom. 3. p. q. 52. ar. 3.

Propos. 5. Christus tertio die post mortem surrexit à mortuis clauso sepulchro, & seruatis in suo corpore vulnerum cicatricibus, multisq; argumentis hæc suam resurrectionem discipulis manifestauit. Hæc est de fide vt patet in omnibus euangelistis. Nam Luca. 24. dixerunt discipuli eutes in Emaus in ipso die resurrectionis. Tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. De hac die dixerat Osæ. 6. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. De hac nulla est controuersia cum catholicis, est tamen cum hæreticis. Nam Chæritus negat Christum resurrexisse, sed quod resurget. Armenij dicunt quod resurrexit die sabbati. sic nō fuisset in sepulchro tribus diebus sicut fuit Ionas in ventre cæti. Matth. 12. Quidam Caluiniiani, Hugo videlicet Suræus siue de Rosarijs, & Ioannes de Spina negant Christum surrexisse clauso sepulchro, sed quod angelico ministerio fuit ei patefactum. Contra hos aperta est & plana litera Matth. 28. quod tunc angelus venit & reuoluit lapidem quando Christus surrexerat, & mulieres veniebant prope monumentum. Facit & communis expositio doctorum & fides ecclesiæ quæ ita docet. Vnde Euthymius ibi dicit. Christus quidem surrexerat priusquam angelus descenderet. Lapidem vero reuoluit angelus propter mulieres vt sepulchrum viderent vacuum ac resurrexisse crederent. Quemadmodum enim natus est seruatis integris claustris virginis, ita quoque resurrexit seruatis integris monumenti signaculis. Alij negant Christum intrasse ad discipulos ianuis clausis, sed quod vel aliò intrauit, vel Angelus fores patefecit. Sicuti Petro patefecit in carcere Herodis Act. 12. vel ipsæ portæ cesserunt

runt vt Christus intraret: vel cum essent corpora solida Christi virtute fuerunt rarefacta: ita tenent multi hæretici nostri temporis vt refert Feuarentius. Negant enim aliqui vt VViclephus antiquus hæreticus, & Rodolphus Gualterus modernus duo corpora posse esse simul etiam per Dei potentiam. De hoc alias in quarto tractatur atque in physicis. Quod ianuis clausis intrauit apertissime dicit Ioannes Euangelista cap. 20. Vbi dicit Euthymius. Ad vesperam venit quando magis timebant: & cum simul essent congregati, & quidem ianuas non pulsauit ne turbarentur, sed clausis illis introiuit tanquam Deus, & quasi corpore suo leuiam & subtili ac immortalis effecto. Caluinus & Brentius negant Christum reseruasse in carne sua cicatrices clauorem & lanceæ, negantque quod cum illis veniet ad iudicium. Sed aperte habemus ex Luca. 24. quod præbuit eis manus & pedes vt trangerent & cognoscerent ipsum esse. Vbi & Euthymius. Quomodo ab his eum cognoscere poterat? quia clauorum adhuc ferebant foramina. Ioannes. 20. Thomas ex locis clauorum & lanceæ in latus volens certificari audiuit à Christo, infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum. Audierat enim (ait Euthymius) vt apparet à condiscipulis, quod manus ac latus suum eis ostendisset.

De eo quod habebit cicatrices in die iudicij, satis apparet ex Ioannis 19. dum reddit rationem apertis lateris, quod videbunt in quem transfixerunt, quod prophetauerat Zacharias cap. 12. & cap. 13. & dicetur ei quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum. Cum ergo eas seruauerit in corpore etiam ad diem ascensionis quando eum angeli interrogabant Isaia. 63. quare tinctæ essent vestes, & rubrum eius indumentum, habebit etiam eas in die iudicij. Rationes propter quas illas seruauit habes in Glossa quadam Bedæ, refertur ab Alexandro. 3. p. q. 22. M. 2. ar. 2. §. 2. Qui tota illa questione & in. 20. præcedenti ad longum tractat materiam resurrectionis Dominicæ. Tractat eandem & Thomas. 2. item parte à questione. 53. vsque ad. 57. Duo argumenta quibus Christus suam resurrectionem probabat placet annotare. Primum est per tactum de quo vide in. 2. li. d. 8. p. 2. ad tertium argumentum. Et si contra hoc arguas ex Gregorio in homilia octauæ Paschatis dicente. Corrumpi necesse est quod palpatur. Scotus in. 4. d. 49. q. 13. ad primum argumentum dicit quod hæc propositio non est necessaria.

saria. Potest enim cælum palpari à digito resistendo tactui, non tamen immutando per aliquam qualitatem sensibilem quod palpatur secundum qualitates sensibiles immutatio tactum, bene est corruptibile sibi derelictum. Tenet autem Scotus tam de Christi corpore quam de alijs gloriosis, quod sunt incorruptibilia non à se sed à causa extrinseca, nempe à diuina manutenentia. Aliud argumentum fuit comestio. De qua dicit idem Scotus lib. 2. d. 8. quod per se non est efficax argumentum sed cum alijs bene probat. Quoniam Angelus Raphael in corpore assumpto videbatur comedere, qui tamen verè non comedebat. Tobia. 12. sed si per talem comestionem Christi corpus augebatur est dubium. Alex. 3. p. q. 22. ad finem tenet quod non, sed quod cibus assumptus resoluebatur in aërem, sicut aqua per solis radios, & ita intelligit Augustinum dicentem, quod in spiritualem naturam conuertebatur hoc est respectu materialitatis quam habebat: neque tamen comestio Christi fuit propter hoc phantastica, sed quia opus non est ad veram comestionem quod ex cibo corpus nutriatur, & augeatur, vt patet in eis qui cibum susceptum protinus euomunt aut in secessum egerunt, sed requiritur quod corpus virtute animæ cibum ipsum diuidat, & atterat in ventremque traiciat, quod angelis non competit. Scotus citatus non reputat inconueniens quod corpus gloriosum conuertat in se corpus non gloriosum, sicut potest esse cum eo simul in eodem loco: & quod per talem conuersionem augeatur sine hoc quod corpus nutritum corrumpatur. Exemplum est, si alicui puero daretur corpus gloriosum quod tale posset fieri maius, & auctius, in hac Scoti opinione dici deberet ex consequenti, quod totus cibus conuerteretur in corpus gloriosum, & nihil verteretur in fæces. Neque propterea corpus Christi haberet sanguinem superfluum, quia sicut neque totus sanguis est de necessitate subsistentiæ corporis, ita neque quælibet gutta sanguinis superueniens est de superfluitate. Itè neque haberet ex hoc necessitatem comedendi, sed ex quo dispensatiue comedit, actum est de cibo quod ipsi cibo erat conueniens, & Christi corpori non repugnabat.

Resurrectioni attribuitur nostra iustificatio, sicut passioni. Ita docet Paulus. Roma. 4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Quomodo attribuitur est dubium, quia passioni attribuitur vt causæ meritoriae & satisfactoriæ, Proposi. 6.

satisfactorie, sed resurrectio nõ fuit meritoria, quia post mortem non amplius fuit meritum, & satisfactio. Alexan. 3. p. q. 20. M. 2. articu. 2. distinguit quia potest resurrectio considerari vt est in re, vel vt est in anima, vt in anima iustificat vt amata & credita, sicut habes supra. d. 19. p. 1. Quod si verborũ Pauli contextus aspiciatur hũc tẽdebat, de fide qua iustificatus fuit Abrahã loquens, dum in spem contra spem credidit. Nobisque sicut est necessaria fides passionis eius, ita est & resurrectionis. Hoc modo considerando, prout videlicet est in anima, causa est iustificationis dispositiue, quia disponit ad illam. Alio modo consideratur vt est in re: Hoc modo est causa exemplaris. Dixit namque Paulus. Rom. 6. Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. In qua autoritate Paulus expressit illos duos motus qui sunt in iustificatione & ambo sunt à Deo, scilicet expulsio culpę, & habet se vt terminus à quo infusionis gratiæ: & infusio gratiæ habet se vt terminus ad quẽ expulsio culpę, vide Bona. de illis in. 4. d. 17. nu. 20. Denominatur iustificatio ab infusione iustitię gratificãtis, id est gratiæ faciẽtis hominẽ iustũ. Sicut dealbatio dicitur à termino ad quẽ & non à termino à quo. Expulsio culpę quando morimur peccato attribuitur passioni & morti Christi, tanquam signo mortis nostrę: infusio gratiæ, seu iustificatio Resurrectioni tanquam signo etiam. Quamuis enim non sit vna sine altera, & veriũsque tam passio, quam resurrectio sint causę efficientes, tamen expulsio culpę per passionem, iustificatio per resurrectionem magis exprimuntur, & exemplantur. Ideo dicit citatus Alexan. quod quia passio est causa iustificationis, sed resurrectio causa, signum & complementum magis attribuitur iustificatio resurrectioni. Cum enim sint causę instrumentales effectiue per quas diuina virtus principaliter, & Christus homo secundario nostram efficiunt iustificationem, resurrectio iustificationem ipsam complet, quia iustificatio vitę pręsentis perficitur & completur per liberationem à miseria, quę liberatio fit per gloriam dicente Paulo. Rom. 8. ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in gloriam filiorum Dei. Cuius liberationis efficiens & exemplaris causa est resurrectio Christi, qui & reformabit corpus humilitatis nostrę configuratum corpori claritatis sue Philipp. 3. Ponit Alex. illa. q. & M. citato diuersos effectus, & diuersas


uersas causalitates, vt liberationis à lymbo fuerit causa descensus Christi ad patres, glorię accidentalis quę habetur in visione humanitatis, ipsa resurrectio, foelicitatis quę habetur ex consortio Angelorum, & amœnitatis loci Paradisi, ascensio Christi.

Christus Dominus post dies quadraginta à sua resurrectione in eadem carne quam assumpserat abiit & ascendit propria virtute in cælum. Hęc est de fide, & habetur eius ascensus in simbolo Apostolorum & Act. 1. Prębuit se ipsum viuum post passionem suam per dies quadraginta apparens eis. Appelles negauit Christum resurrexisse cum carne, & cum illa ascendisse. Contra quem est quod in carne visus est ab apostolis ascendere, Marci ultimo. & Act. 1. & ibi. 7. vidit Stephanus cęlos apertos & filium hominis à dextris virtutis Dei, ergo in cælo est homo habens carnem quã assumpsit. Quod propria virtute ascenderit, probat Alexand. 3. p. quęst. 23. M. 2. ex Isaia. 63. Quis est iste qui venit de Edom gradens in multitudine virtutis suę. Ex Michea. 2. Ascendet pandens iter ante eos. Ad hoc exponit Bonau. hac distinct. num. 4. id Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, id est, virtute propria, nisi qui descendit de cælo. Virtus propria qua ascendit est duplex vna diuina: alia est voluntatis humanę, qua voluntate anima gloriosa mouet corpus gloriosum secundum quod ipsa vult.

Locus in quem Christus ascendit fuit: cælum Empyreum, ita quod Christi corpus intra cælum ipsam Empyreum sit. Hęc est sententia Alexandri 3. par. q. 23. M. 6. Contrarium tenet Thomas 3. par. quęst. 57. art. 4. & ibi Caietan. vult enim Thomas Christum esse super cælum ipsum Empyreum, & sic non esse in loco, neque etiam in vacuo. Alexander verò è contra, quod verè sit intra concuum cęli sed superior tam dignitate quàm loco super omnem principatum, & potestatem, virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Ephes. 1. Cum Alexandro tenet Bonau. lib. 2. d. 2. num. 34. dicens quod Christus in Empyreo cæteros antecellit tam Angelos, quam homines & loco & dignitate, post ipsum credimus beatam Virginem super omnes alios, deinde cæteri ordinantur secundum dignitatem ipsorum. Hęc Bonau. Et ponit exempla si imaginemur vt sunt pisces in aqua, aues in aere, non tamen quod sint corpora sanctorum sicut in solario, vel vnus pedes directè super caput alterius, sed sicut si esset mōs rotundus, & aliquis

Argumens.

aliquis sit in culmine, & alij circum circa. Ad hoc debes aduerte-
re omnes cælos sicuti aquam & aerem, suam habere latitudinem,
& altitudinem. Ceterum autoritates sonantes ipsum esse super om-
nes cælos vt Ephes. 4. Ascendit super omnes cælos vt adimpleret
omnia. Heb. 7. excelsior cælis factus. exponendæ sunt de excellen-
tia dignitatis, non de excellentia locali, sic quod pedes Christi sint
suprà conuexum Empyreï: vel intelligendo localiter, debent in-
telligi quòd ascendit super omnes eos vt sunt locabiles, ita quòd
suprà caput Christi non sit aliquid locabile in cæli Empyreï alti-
tudine.



I

SECUNDA PARS HUIUS TERTII DE VIRTUTIBVS, DONIS, atque præceptis.

*Distinctio vicefima tertia de substãtia fidei, de
eius subiecto: si est virtus sine caritate.*



FIDES capitur tripliciter: vno modo, pro habitu fidei qui potest esse cum caritate, & sine illa. Alio modo pro obiecto fidei, id est, pro illo quod credimus, sicut in Symbolo Athanasij. Hæc est fides Catholica, quæ vocatur fides obiectiua: prima vocatur formalis. Tertio sumitur pro ipso actu fidei, id est, pro actu credendi; de quo Augustin. citatus in litera, cap. Notandum. Quid est fides, nisi credere quod nõ vides? De actu Paulus Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbũ Christi. De habitu Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. De obiecto. 1. Timoth. 4. Enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ quam assecutus es. Habitus verò vel est infusus à Deo, vel acquisitus à nobis, vt ex Damasceno libr. 4. deduxit Alexã. 3. p. q. 74. M. 2. Similiter potest actus procedere ab altero illorum. Alias acceptiones fidei habes in eodem Alexandro ibi M. 1. & post eum in Bona. q. literali. Magister in litera tres posuit sumptas ex glossa Augustini super illud Roma. 1. Iustus ex fide viuit. Vnam, pro eo quo creditur & est virtus: aliam pro eo quo creditur & nõ est virtus. Hæ sunt acceptiones fidei habitus formati, videlicet, & informis. Tertiam pro eo quod creditur. Hæc est pro obiecto. Hanc glossam non potui inuenire in Augustino, refertur verò ab Alex. vbi supra. M. 1. item omnes textus Magistri legunt in acceptione. 2. quod creditur. Alex. legit, quo, & est verior lectio.

Necessarius est homini viatori ad salutem habitus fidei à Deo infusus, ita quòd sine illo nullus saluatur. Hæc est de fide ad quã

aa vide

habere fidem acquisitam, & quod infusam non possumus demon-
strare, sunt detorquenda ut voluerit dicere, quod æqualiter cre-
dimus per acquisitam, ut per infusam. Longè ab hoc intellectu
erat doctor subtilis, qui apertè fatendo infusam fidem credere
virtute luminis diuini refutauit oppositū, scilicet, quod fide acqui-
sita possumus credere sicut oportet. Habitus namque fidei infuse in-
clinans in omnia credibilia virtute luminis diuini quod partici-
pat, credit sicut oportet. Habitus acquisitus quia non inclinat in
omnia credibilia, sed in hæc, aut illa quorum ipse est habitus, &
innititur alteri luminis quam diuino, non credit sicut oportet. Per
hec potest haberi intellectus Canonis tertij sexte sessionis Con-
cilij Tridentini, dicentis: Si quis dixerit sine præueniente Spiri-
tus sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, spe-
rare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei iustificatio-
nis gratia conferatur, anathema sit. Nam cum homo per fidem
infusam eleuetur supra naturam suam, ut potes videre in Alex-
andro. 3. p. q. 74. M. 2. in tertio argumento. Et in Bona. hac. d. num.
50. actus etiam procedens ab hac fide est supra naturam, idcirco
requirit talis actus adiutorium Dei speciale: sed cum actus cre-
dendi, ut homo iustificetur non solum sit Christiani peccatoris
habentis fidem infusam, sed etiam infidelis adulti audientis præ-
dicationem, talis ut credat sicut oportet, indiget diuino adiu-
torio speciali, ipsum illustrante, ut credat sic verbis, & articulis sibi
propositis, quod actus ille credendi illis articulis explicitè, credat
implicitè, & se virtualiter extendat ad omnia credibilia de Deo,
& credat non in persuasibilibus & doctis humanæ sapientiæ ver-
bis, sed in virtute Dei, & doctrina spiritus. 1. Corinthi. 2. Est ergo
credere sicut oportet, credere omnia credibilia virtute luminis di-
uini, quamuis in adultis prærequiratur proponens illa: ut vide-
bitur sequenti distinctio. p. 2. Propterea dixit Sanctus Bona-
uentura, hac distinctio. nume. 55. quod credens ex persuasionem hu-
manæ rationis, etiam si secundum illam assentiret omnibus ar-
ticulis non habet virtutem fidei. Quod est dicere in sensu, non
credit sicut oportet. Vbi & annotabis quod Bona. respōsurus ar-
gumēto, quod fides informis possit esse ex acquisitione, quia potest
quis credere ex acquisitione omnibus articulis, non fugit argumētū,
negādo quod sicut creditur aliquibus, possit credi omnibus, sed fugit argumen-

argumentum quod talis non crederet per fidem informem & in-
fusam. Vnde videtur ratio facta esse de mente Bonauenturæ sci-
licet, quod si per solam fidem acquisitam credimus aliquibus
ergo possumus credere omnibus: & sic fides infusa non potest, de-
monstrare.

Habitus fidei infusæ prout est cum caritate vocatur fides for-
mata & est virtus theologica. Magister in litera. Ratio quare vo-
catur formata est, quia caritas est forma virtutum ut ex Ambro-
sio deducit Magister. Neque est intelligenda forma ut in natura
libus quia vna virtus non est subiectum alterius virtutis, neque si-
militer eius actus est subiectum actus alterius. Nam cum habitus di-
stinguantur per actus: & actus per obiecta, vnaqueque virtus suū
habet peculiare obiectum à quo specificatur, & per quod est in
suo esse formali: Sed pro tanto dicitur esse forma virtutum, quia
cum virtus faciat habentem & opus ipsius habentis virtutem bo-
num, aliquo modo omnes virtutes habent bonum pro obiecto,
puta hoc particulare bonum, aut illud: Caritas pro obiecto habet
bonum infinitū, qui est Deus. quoniam ergo caritas ordinat actus
aliarum virtutum in Deum dicitur omnium virtutum forma, vi-
de Bona. in hoc. 3. distin. 36. quæstio. vltima. Dat namque forma
esse, & operari in naturalibus, à simili caritas dat alijs virtutibus,
& actibus earum esse acceptos Deo, & meritorios. Vnde ipsa ca-
ritas complet bonitatem aliarum virtutum. Est enim quadruplex
bonitas ut patet in. 2. distin. 7. p. 4. Alias tres bonitates caritas
complet, perficit, & ordinat in vltimum finem qui est Deus. Ad
hoc vide Alex. 3. p. quæst. 64. M. 4. & Thom. 2. 2. quæst. 4. arti. 3
& 4. Scotum quod lib. 17. l. 1. i. Neque solum caritas infor-
mat actum fidei & aliarum virtutum moralium ordinando in fi-
nem Deum & faciendo acceptabilem, verum dat actui modum
ut, scilicet, sit intensior, & perfectior, promptior & delectabilior.
Nam si actus aliarum potentiarum cooperante sola voluntate
sunt perfectiores & intensiores, multo magis erunt ipsa cooperā-
te cum caritate. Imo & habitus fidei dicit Ricardus hac. d. arti. 5.
quæst. 1. perficitur caritate, ut intellectus habentis caritatem sit
aptior ad actum fidei & quāto aptior ad actū tanto ceteris pari-
bus habitus ipse fidei habet in intellectu perfectius esse. Hoc &
de alijs habitibus dici posset, atque in hoc adduci id euangelij Matt.

Propos. 4.

11. iugū meum suaue est & onus leue, hoc est, habenti caritatem. actus virtutum sunt suaues, & leues ad ferendum. Iuxta id, P sal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meū, scilicet, caritate: non habenti caritatē arcta est via. Si petatur an virtutes intellectuales habeant formam. Dico quod vel non habent formam proprie, vel saltem est difficile assignare præter lumen intellectus. Declarato quare caritas dicatur forma virtutū probatur conclusio. 1. ex Paulo quod caritas fit forma. 5. ad Galat. In Christo Iesu neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputiū, sed fides, quæ per caritatē operatur, sed illud per quod res operatur est forma, igitur caritas est forma fidei. Possunt verba Pauli intelligi tam de actu quā de habitu, nā habitus concurrat ad actū, & tam habitus inclinans quā actus cum caritate multū valent in Christo. Quod sit virtus patet ex Aristot. 2. Ethic. ca. 6. virtus hominis, est habitus à quo bonus efficitur homo, & quo bene suum opus ipse reddet efficietq; Sed talis est fides formata ergo est virtus. Quod sit theologica patet quia virtutes theologice habent pro obiecto immediato Deum, sed fides formata habet Deum pro obiecto immediato, ergo est virtus theologica. De minori, & quomodo Deus sit obiectum sequenti. d.

Propos. 5

Fides informis, hoc est fides sine habitu caritatis, inuenitur & est in malis Christianis, non autem in errantibus pertinaciter circa credibilia. Hęc conclusio est media inter hæresin Lutheranam dicentem per quodlibet mortale peccatum amitti fidem: & inter Durandum hac. d. quæstione nona probatē quod in hereticis remaneat fides. Contra quos est definitio Concilij Trident. sessione. 6. ca. 15. dicentis. Afferendum est nō modo in fidelitate, per quā & ipsa fides amittitur sed quocunq; alio peccato mortali quauis nō amittatur fides acceptam iustificationis gratiam amitti. A qua definitione patrum nescio quomodo elabi posset Durandus, cum hæresis sit species infidelitatis, & patres non distinxerint de infidelitate, nisi fortē dicere vellet non quamlibet speciem infidelitatis intelligere concilium sed talem quæ omni modo fidei opponatur. Nam dicit quod sicut scientia secundum habitum potest stare cum actu erroris circa aliquod scibile; ita habitus fidei cum errore actuali circa aliquod credibile. Sed non video quomodo foret tuta euasio. Magister in litera cap.

cap. Notandum. dicit quod si homines ex fidelibus infideles fuerint perit ab eis fides. Quomodo pereat docet Scotus hac. d. soluendo. 3. principale, non quod error corrumpat habitum, qui sicut à Deo solo creatur, sic ab ipso solo annihilatur, sed demeretur errans quod Deus conseruet talem habitum. Dicitur autem error pertinax quādo est notum erranti quod illud quod discredit est de fide, quia cum nō velit captiuare intellectum in obsequium fidei, dicitur pertinax. Neque est necessarium quod sciat se errare quia talis error cognitus error non esset circa fidem, quæ est de inevidentibus. Contra Lutherū ultra citatum cap. est Canon. 28. eiusdē sessionis dicens. Siquis amissa per peccatum gratia dixerit simul & fidem amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui fidem sine caritate habet nō esse Christianum: anathema sit. In hoc est Iacobus cap. 2. Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? ergo potest esse fides cum malis operibus. Facit & Paulus. 1. Corin. 13. si habuero omnem fidem caritatem autem non habuero nihil sum. Ratione sic quia dato opposito per quodlibet mortale esset homo hæreticus, quæ assertio esset heretica, quam tamen non fuit veritas concedere Bucerus hereticus cuidam doctori Maluē de secum disputanti: cum tamē fuisset damnata per Gregorium vndecimū. Ex hac infertur primò quod in triduo mortis Christi fides Ecclesie non mansit in sola Virgine quia tunc erat fides infusa in paruulis Iudeorum circuncis; & in sanctis patribus in limbo quia non errabant, neq; habebant claram visionē, per quam fides euacuatur dicente Paulo. 1. Corin. 13. Cum venerit quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est. Vocat cognitionem fidei cognitionem ex parte subdens, videmus nunc per speculū in ænigmate, tūc autē facie ad faciē: Nunc cognosco ex parte tūc autē cognoscam sicut & cognitus sum. Erat etiam in Samaritanis quos Christus cōuerterat Ioan. 4. & in alijs fidelibus qui aberant à Hierusalē, neq; potuerunt tā cito scire eius mortē vt discrederet. Ad ecclēsiæ ceremoniam quæ referuat candelam in die cœnæ ob memoriā virginis, dico quod illa ceremonia tantū probat, quod ex ijs qui cū Christo cōuersabatur omnes defecerūt vt apostoli, qui & fugerūt eo relicto Matt. 26. nō sic virgo defecit neq; fides ei⁹ extineta fuit. Imo

Corolla. 2.

vid. d. se.
p. 1.

Imo de lege ordinaria non potest ecclesie fides in vno solo manere, quia ecclesia est collectio multorum, & vnum corpus, non vnum membrum primę Corinth. 12. Sequitur secundo quod qui timore pœnarum Christum negat, neque animo discredat, quauis grauissime peccet non amittit fidem infusam neque est apostata à fide, neque incurrit excommunicationem latam contra hæreticos, quauis ecclesia quæ de occultis non iudicat, ipsum pro hæretico condemnabit. Aliqui etiam doctores tenent quod Petrus quando negauit non amisit habitum fidei quia animo non discredidit iuxta id Lucæ. 22. Ego rogavi pro te Petre vt non deficiat fides tua. Quæ verba intelligunt de Petro, & de successoribus. Sed de successoribus iudicialiter, in quantum Papa iudicat aliquid tenendum ab ecclesia tanquam de fide. De Petro vero iudicialiter & personaliter, ita quod ipsa persona Petri neque etiam erraret in fide. Similia verba sunt dicta apostolis pro successoribus iudicialiter, pro se personaliter & iudicialiter Ioan. 14. Alium paraclitum dabit vobis vt maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis. Et infra. Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia quecūq; dixero vobis. Ita quod successores apostolorum nō possint iudicialiter errare in Concilijs, definiendo quæ sunt fidei, & in. c. 17. extēdebat Christus suā orationē ad eos qui credituri erant per Apostolos. Pro ipsis apostolis & iudicialiter & personaliter tā quoad doctrinā quam quoad gratiā, vt ab aduentu spiritus sancti per mortale peccatū nunquā illa manerent. Ex quibus error Abbatis loachim conuincitur dicētis apostolos nō predicasse euāgelium iuxta spiritualē intelligētiā; sed tantum secundū literam: quia hoc dato vel non intellexissent euāgelium: vel mali fuissent & peccatores nō docentes seruire quæ Christus mādauit Matt. vlt. & in peccato suo mortui: neq; venisset Christus iterū vt acciperet eos ad se Ioā. 14. ex qua promissione colligūt aliqui doctores q̄ interfuit præsens in morte cuiusq; Apostoli. Paul. itē dixit. 2. Corin. 3. Idoneos nos fecit ministros, noui testamēti nō litera sed spiritu, litera enim occidit spiritus viuificat. Hugnostici vt dicit Hireneus li. 3. c. 13. docebāt ceteros apostolos de p̄o vno Paulo errores predicasse & inēdacia: Ebionitę Paulū cōtumelijs afficiebāt, & tāquā apostatam

statā reijciebāt qui tamē vas electionis vocatus est act. 9. & illi est dictū. 2. Cori. 12. Sufficit tibi gratia mea. Carpocratiani se apostolis meliores & sapiētiores autumabāt: Marcionitę se emēdatores apostolorum gloriabantur: Libertini qui è schola Lutheri, Zuiniglij, & Caluini prodierūt de apostolorū epistolis quæ essent apochryphę quæ canonicæ sibi iudiciū vsurpabāt. Bullingerus factū Ioannis ad adorandū angelum Apocaly. 19. & 22. vocat peccatū apostasię. Qui omnes præfatis autoritatibus reuincūtur. De quorum confirmatione vide & sup. d. 3. p. 13. & 14. Ad Ioannis adorationē expende literā apocalyp. quia ca. 1. per angelum dicuntur factę reuelationes Ioanni. Et capit. 22. Ego Iesus misi angelum meum testificari hæc vobis in ecclesijs: qui tamē angelus representabat Christū dicēs. Ego sum alpha & primus & nouissimus. Ioānes licite adorabat quia adorabat Christū representatū, ipse ad adorationē exiit personā Christi & dixit se angelū.

Fides informis est vera fides & ex cōsequēti vera virtus quod sit vera fides docuit Concil. Trid. canone citato ad præcedentē. Quod sit virtus videtur eise contra multos Doctores. Primo contra Magistrū. hac. d. quem sequuntur Bona. hac. d. arti. 2. q. 1. Ricar. arti. 4. q. 2. Tho. 2. 2. q. 4. art. 5. & 1. 2. q. 65. artic. 2. Sed si bene perpendantur horū doctorum verba nil agunt contra conclusionē. Vnde ipse Bona. distinxit de virtute proprie dicta quę, scilicet, perducit in finē, & hoc modo nō est virtus, quia non peruenitur ad finē per eam. Alio modo est virtus quæ perficit potentiam circa opus difficile, & hoc modo fides informis est virtus. Hęc distinctio fuerat Alexandri. 3. p. q. 74. M. 3. Alij etiā doctores in sensu tendunt ad hanc distin. sed cum Conciliū eam absolute veram fidem nuntiet placuit mihi absolute verā virtutem vocare. Nam si caritas non dat fidei aliquid essenziale & intrinsecū vt sit vera fides, neq; dabit tā ipsi fidei, quā alijs virtutibus moralibus & intellectualibus vt sint veri habitus & per consequens verę virtutes. Secundo quia si peteretur à philosopho naturali vt ab Arist. sitales habitus facientes homines bonos & opera eorū bona in ordine ad humanā felicitatem essent verę virtutes clarissime responderet quod sic, & q̄ eis nihil intrinsecū deesset ad veras virtutes. Cū ipse. 1. Ethicorū. 10. & libr. 10. cap. 6. tractans de hominis felicitate dicat quod consistit in operatione secundū

virtutē, ergo perfectio quā dat caritas alijs virtutibus ordinando ad finē Deū, est essentiē virtutū extrinseca. Sancti qui negant eā verā fidem vt Gregorius hom. 29. super euangelia dicens. Vera fides, est quę in hoc quod verbis dicit moribus non contradicit. Et qui negant veram virtutē in alio sensu loquuntur, quam Lutherani. Nam verum dupliciter dicitur sicut perfectum: primo id quod retinet suam speciem, quanuis non retineat omnem perfectionem quam potest secūdū speciem habere: Alio modo quod retinet totam perfectionem debitam speciei, sicut vinum iā accescens est verum primo modo & non secundo modo. Nostra conclusio loquitur primo modo. Alij sancti Doctores loquuntur secundo modo. Est apud Rhetores locus ab effectis; Ita quod per effecta quę subsequuntur res dicitur esse, vel non esse. Vnde Priamus. 2. Aneid. apud Virgilium ex eo quod Pyrrhus ei filium Politem ante oculos trucidauit sic dixit.

At non ille satum quore mentiris Achille;

Talis in hoste fuit Priamo-

Ecce negat ipsum filium Achillis & in. 4. dixit Dido Aneā;

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanns autor

Perfide sed duris genuit te cauribus horrens

Caucasus, Hircanęq; admorunt vbera tigres.

Quia igitur peccator nō potest operibus fidē probare, a qua ipsa opera discordant negātur habere verā fidē. Vt Ioā. 8. dixit Christus pater meus glorificat me quē vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eū. Ego autem noui eū, & si dixero quia non scio eum ero similis vobis mendax, sed scio eum, & (id est, quia, vt exponit Theophylactus) sermonē eius seruo. Ad eundē sensum Ioan. 1. c. 2. Qui dicit se nosse Deū (vtiq; per fidē). & mā data eius non custodit mendax est, & in eo veritas non est. Neq; quia sanctis sic loqui licuit quādo nō erat periculū nobis licebit etiam in sensu catholico sine interpretatione propter hereticos.

Propos. 7.

Fides informis est donū Dei; & eadem numero quę fides formata. Hęc satis iuuatur ad sui probationē ex precedenti, & est Magistri in litera; ita quod recedente caritate, eadē fides manet, & adueniente caritate, per nouum eius aduentum formatur. Reputat tamē Magister probabile & sine periculo posse teneri, cōtrarium, quod aduentu caritatis qualitas quę erat informis eliminatur

netur & alia succedat. Sed priorem sententiam cum Magistro tenent. Alex. 3. p. q. 74. M. 6. Bona. & Ricar. hac. d. Thom. 2. 2. q. 4. art. 4. & probatur quia & ex opposito conclusionis sequeretur hęcresis Lutherana, quod non remaneret fides per quā diceretur Christianus, & licet alia de nouo infunderetur vt aliqui dicere voluerunt sicut referunt Bona. & Thom. vel talis nō esset eiusdē speciei cū prima. Vel cū sit prius vnā recedere quia alterā succedere, saltē in illo priori definit esse fidelis. Confir. quia si alio habitu superueniente est fidelis ergo alia & diuersa ratione sunt fideles iustus & peccator, quod est inconueniēs Paulo dicente Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides, scilicet specie nō numero, vt est in litera, vbi Magister pro specie, dicit genere. Neq; videtur rationale vt bene notauit Bona. quod Deus homini peccati in sua auersione donū aliquod super infundat. Alij dixerunt manere habitū fidei informis, cū alio habitu fidei formatæ, quia sunt diuersi habitus, sed hoc est inconueniens quia esset tūc habitus informis ociosus & sine vsu. Videntur hi modi dicendi ansam præbuisse Lutheranis. Comparat Bona. caritatē Luci, qua superueniente colores in loco tenebroso illuminātur.

Fides habet pro subiecto in quo sit intellectum. probatur *Propos. 8.* Fides succedit visio in patria; sed visio est intellectus, ergo & fides. Confir. quia fides est visio intellectualis dicente Paulo primo Corinthio. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate. Hęc est communis omnium Theologorum. Sed est controuersia, ad quem intellectum pertinet ad practicum vel ad speculatiuum? Alex. 3. p. quæstio. 80. M. 1. tenet quod ad practicum quem ipse vocat rationem affectiuā. Distinguit enim quod ratio speculatiua cogitat de re, vttrum sit vel non sit, & scientiæ speculatiuæ habent pro fine verum, vt verum: Ratio affectiua cogitat de re vttrum fiat vel non fiat, & scientiæ morales habent pro fine bonum vt verum, virtutes cognitiuæ vt fides & prudentia, habent pro fine verum vt bonum, ergo fides pertinet ad rationem affectiuam, seu practicam. Cum Alexandro est Ricardus hac. d. artic. 6. quæst. 2. quia eum finis practicæ sit opus speculatiuæ veritas iuxta Philosophum. 2. Metaph. capit. 1. siue Text. comm. 3. scientia non iudicatur practica, vel speculatiua principaliter ex obiecto, sed ex proximo fine: ita habitus

intellectualis non debet iudicari nisi ex comparatione ad proximū finem essentialē, igitur fides licet habeat pro obiecto verum sub ratione veri, proximus tamē finis est dilectio, ideo enim credimus vt diligamus, & sic fides est intellectus practici. Thomas. 2. 2. q. 4. art. 2. tenet quod pertinet ad speculatiuum, quia obiectum fidei est veritas prima, id est Deus, qui est summum omnium speculabilium. Sed quia ipsa veritas prima est finis omnium actionum, & desideriorum nostrorum, inde est quod per dilectionem operatur, sicut intellectus speculatiuus extensione fit practicus. Caietanus ibi notat quod diuus Thomas hoc dixit comparando practicum speculatiuo, quoniam altius & verius loquendo fides est altior habitus practico & speculatiuo præhabēs vtrumq; sicut sensus cōmunis respectu sensuum particularium. Ricardus de sancto Victore dicit quod fides est in intellectu & voluntate. Has tres opiniones siue dicendi modos refert Bona. hac. d. q. 2. & ostendit quomodo quilibet dicit verum.

Propos. 9. In dæmonibus non est fides infusa informis de qua loquimur in præsentī. Hanc docent Bona. hac. d. art. 2. q. 3. Tho. 2. 2. q. 5. art. 2. Ricardus hac. d. arti. 6. q. 3. & est contra Alex. 3. p. q. 74. M. 7. & 8. vult nanq; Alex. quod angelis ante lapsum datus fuit habitus, qui nō erat fides quia non erat eū enigmatē sed post lapsum idē habitus fuit alteratus, & factus obscurus & cum ænigmatē, & sic est habitus fidei, qui tamen ante erat clarus & sine obscuritate de credibilibus. Hoc est valde mirabile quomodo vnus & idem habitus modo sit fides, & ante non fuerit: & quomodo manens idem transeat ex vno contrario ad aliud contrarium. Sed probatur conclusio. Fides informis est donum Dei inclinans in veritatem sub ratione boni vt in præcedenti est dictum. Sed dæmones sunt obstinati in malo, ita quod nihil possunt velle & facere bene, vt est in distinctione septima libri secundi, ergo non habent fidem infusam. Confir. quia talis fides etsi est ociosa & inanis, vt dicit Magister videlicet quantum ad perducendum in vltimum finem, tamen non est inanis & ociosa simpliciter, quia disponit ad gratiā, & ex ea generatur timor seruilis per quem receditur à malo, & à peccato sed si esset in dæmonibus esset in eis donū Dei omnino ociosum quod nullo modo videtur dicendum. Confir. 2. ex Iacobi. 2. Dæmones credunt

credunt, & contremiscunt, sed donum fidei non inclināt ad credendum cum murmure & tremore, sed voluntariē, quia cætera potest homo nolens credere non nisi volens, vt autor est Augustinus: ergo talis fides dæmonum est potius coacta, & per signa euidētia extorta, & per consequens non est donum fidei, sed credulitas acquisita. Doctores tenentes hanc conclusionem diuersificantur in ratione, quia Thomas tenens Angelos creatos in gratia dicit ex consequenti, quod habuerunt fidem cum gratia, tamen eam modo non habent, quia sunt obstinati in malo, & iam in termino simpliciter. Quæ ratio etiam habet locum in hominibus damnatis, vt annotat Caietanus vbi supra Thomas. Qui tenent eos nūquam habuisse gratiam diuisi sunt. Nam Ricardus negat eos habuisse fidem aliquando. Alexander qui dicit eos nunquam habuisse gratiam negat in eis fidem ante lapsum, & concedit post lapsum. Magister sententiarū negauit eos creatos in gratia, & quod mali Angeli eam nunquam habuerūt. Qui tamen hac distinct. videtur apertē concedere in dæmonibus fidem informem: & sic opinio nō fuit ab Alexandro inuenta. Durandus hac. d. q. 9. refert ex tenentibus Angelos in gratia creatos, quod aliqui teneant ipsos nunquam habuisse fidem, quia non erat necessaria eo quod ipsis erat euidens quod Deus nō potest mentiri, & si aliquod credibile eis reuelaretur, esset etiā euidens quod non reuelabat Angelus, neque homo, sed ipse Deus: ergo credibilia erant ipsis euidētia, & non credita. Quod dicitur gratiam nō infundi sine fide, intelligit de adultis hominibus. Non per hæc tibi persuadeas negasse Durandum fidem infundi paruulis. Nā licet tā hīc quam. q. 5. videatur dubitare, tamen. q. 6. articu. 2. expressē concedit paruulos baptizatos habere fidem infusam qua Deo placent. Neque suo tempore definitum erat tanquam de fide virtutes in baptismo infundi. Opinatur verō idem Durandus citata quæst. 9. habitum fidei infusæ manere in hominibus damnatis quoad habitum, & quoad aliquos actus. Opinio hæc non est omnino improbabilis, imō supposito quod dæmones habuissent fidem infusam posset de eisdem etiam probari quod modo habeāt: quia sine pœnitētia sunt dona Dei. Rom. 11. hoc est, quod Deus non pœnitet de donis datis, neque ipsa reuocat semel data quantum est de se: fides informis est donum

gratis datū manens in peccatoribus, ergo sicut manet in presentia manebit in futuro. Neque tale donum est frustra in dānatis, facit enim ad ampliorē manifestationē diuinę bonitatis, & magnificentię, facit & ad maiorē ipsorū cōfusionē. Erit ipsis nō modica pœna habere habitū bene inclinantiē, quē tñ respuūt & bonā eius inclinationē odiūt. Discernētur fideles ab infidelib⁹ in inferno nō solum per characterem baptismalē, verum & hoc habitu infuso. Ex hac opinione Durādi sequitur inueniri fidē absque spe, vide infra. d. 36. p. 5. ¶ Fides à Paulo sic definitur aut describitur. Heb. 11. Fides est substantia sperandā rerū argumentū nō apparētiū. Hāc explicat Magister in litera. Alex. 3. p. q. 78. M. 5. arti. 2. Bona. & Ricard. hac. d. Tho. 2. 2. q. 4. arti. 1. Quando dicitur substantia nō est ex eo q̄ sit de prædicamēto substantiæ, cū sit habitus & de prædicamēto qualitatis, sed dicitur per similitudinem, quia sicut substantia est subiectū omniū accidentiū, & causa existentię eorū: ita fides est fundamentū totius spiritualis ædificij, per quā res sperandæ quodāmodo in nobis intellectualiter existunt, & cum existere in nobis non possint nisi per habitū bonum implicatur in verbo substantia, q̄ ipsa fides sit habitus bonus. Dicitur argumentū, quoniā effectus argumenti est convincere intellectū. Et sic Magister in litera ponit argumentū, vel cōuictio. Fides enim conuincit ad assentiendū ijs quæ nō videmus: per hoc distinguitur ab opinione, suspitione & dubitatione quæ intellectum nō conuincūt ad firmiter adherendū. Distinguitur etiā à scientia & intellectu, per quos apparent illa, de quibus sunt: ideō Magister in litera cap. Notandū. dicit ex Gregorio, q̄ apparētia non habēt fidē, sed agnitionē: & Thomas Ioan. 20. Aliud vidit, aliud credit: vidit hominē, & confessus est Deū. Quod de alijs Apostolis dici oportet, & de B. Virgine, quæ de sua virginitate fidē nō habuit, sed agnitionē; tñ credidit se cōcepisse & peperisse Deū. Per quod explodit error Petri Abailardi dicētis, nihil esse credendū, quod excedat virtutem nostri intellect⁹. Quia si hoc esset verū, fides nostra foret in sapiētia hominū contra eundē Paulū. 1. Corinth. 2. Annotauit bene Alex. tā loco citato, quā in. 1. p. q. 2. M. 3. ar. 4. ad. 2. q̄ argumentū siue ratio aliter se habet in Logica ad fidē, & aliter in Theologia, quia in Dialectica ratio creat fidē: argumentū enim est ratio rei dubiæ faciēs fidē: in Theologicis è cō-

uerso

uerso fides creat rationē, vnde est argumentū faciēs rationem. Quanto magis quis illustratur lumine fidei, tanto est magis perspicax ad inueniendas rationes, quibus probantur credenda. Ad idē cum Alexandro est Scotus lib. 2. d. 1. q. 3. citās Isaiā cap. 7. Nisi credideritis, nō intelligetis; iuxta aliā translationē septuaginta. Vide ad propositū Augusti. citatū in litera dicentē: Credim⁹ vt cognoscamus, nō cognoscimus vt credam⁹. Facit in hoc & dictū Christi Ioā. 7. Mea doctrina nō est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatē ei⁹ facere, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit. Denotatur itaq; in hac definitione seu descriptione, (ad quā debent reduci quęcūq; ab alijs doctoribus datur) q̄ fides sit habitus: q̄ eius subiectū est intellectus, quia dicitur argumentū, q̄ eius obiectū sint res nō visæ: q̄ ei⁹ finis sint res sperandæ. Ratio quare magis finis fidei ponitur obiectū spei, quā obiectū caritatis, datur ab Alex. loco citato in. 3. p. respōdendo. 5. argumēto, quia caritas nūquā euacuatur, sed manebit in patria, substantia autē siue fundamentū manet in eo cuius est fundamentū: fides autē non potest manere in patria cū caritate, idcirco nō dicitur substantia dilectionis sed spei, quæ spes cū suo fundamentō euacuabūtur in patria. Cōueniūt enim in hoc fides & spes, q̄ vtraq; est rei absentis & fides facit res sperandas esse in anima, quia nisi præintelligātur & prænoscat̄ nullo modo sperātur. Cū itaq; fides, hoc est, fundamentū corruat & euacuetur, euacuabitur & spes. Nō sic dilectio quæ est eadē de absentibus, & postea presentibus. Non ponuntur in hac descriptione res timēdæ, vt æterna supplicia, quæ sunt credita, quia vt dicit Alex. vbi supra, ad. 3. argumentum: & post eū Bona. & Ricard. illa nō sunt finis ad quē fidei. Sed finis à quo: credūtur enim vt ab eis caueamus, nō vt ad illa eamus. Cauet namq; fides & generat spē de bonis æternis, vt procurentur timorem pœnarum, qui est contrarius spei vt euitentur. Est igitur sensus Apostoli secundum Ricardum hac distinctio. artic. 4. q. 1. fides est habitus bonus totius spiritualis ædificij fundamentum ordinatus ad res sperandas, manifestatiuus veritatis transcendentis nostræ naturalis cognitionis facultatem. Pauli verba videntur esse de fide formata, nam dicit quod per eam omnes placuerunt Deo, & sic Magister in litera visus est intellexisse, dicens quod fides cum dilectione est fundamentum,

finis

sine dilectione non est fundamentum. Quadrant verò etiam fidei informi quæ licet actu non sit fundamentum; est tamen aptitudine, cum sit principium disponens ad gratiam.

Propos. 11 Actus fidei, hoc est, actus credendi tripliciter distinguitur à Magistro ex Augustino in libro de verbis Domini, & super Ioannem. Credere Deo, id est, credere vera quæ Deus dicit: Credere Deum, id est, credere quòd ipse sit Deus: Credere in Deum, id est, credendo amare, & in eum tãquam in vltimum finem ire. Propter hoc dixit Leo Papa (vt annotat Alex 3. p. q. 82. M. 5. exponendo symbolum Apostolorum) quòd non debemus dicere. Credo in sanctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam: sed Anselmus quem idem Alex. refert, dicit oppositum sicut est in epistola ad Philemonem. Gratias ago Deo meo audiens charitatẽ tuã, & fidem quam habes in Domino Iesu, & in omnes sanctos. Si ergo Paulus dixit fidem in sanctos, ergo dicere possumus: Credo in Ecclesiam. Explicat Alexander motus fidei in sanctos quis sit; & dicit, quòd est motus in conformitatem sanctorum, quantum ad perfectionem vitæ. Quia enim sancti erant Christo conformes diligendo Christum, diligebat sanctos & seruiebat eis, qui Christo seruiebant. Sic fidem habebat in Christum credendo & amando, & in sanctos credendo illos esse sanctos, & propter Christum amando. A simili: Credendo in Ecclesiam, est, credere Ecclesiam esse sanctã, & regi à Spiritu sancto, & ipsam amare propter spiritum ipsam sanctificantem, volendo semper ipsius esse membrum Christo capiti incorporatum. Vide si vis & Thomã 2. 2. quæst. 1. artic. 9. ad. 4. Ex hac differentia exponendi actum credendi, patet quòd autoritates dicentes saluari credentes in Christum, loquuntur de fide formata, vt Roma. 10. Omnis qui credit in illam non confundetur. Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionẽ accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Sed, an isti tres modi sint vnus actus, vel duo? Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. dixit quòd vnus actus habet diuersam relationem. Quæ sententia videtur esse bona. in quæst. literali. Ait enim, quòd licet isti actus possint pertinere ad diuersos habitus, tamen pertinent ad eundem, quia non sic sunt diuersi quin habeant ad inuicem ordinem. Nam credere Deum respicit diuinam veritatem, vt obiectũ, intellige formale. Credere Deo

vt

vt motiuũ, siue vt dicit Thomas, vt obiectum materiale, hoc est, obiectum quod creditur. Nihil enim proponitur ad credendum, nisi secundũ quod ad Deum pertinet. Credere in Deũ dicit vltimũ finem, ad quem à voluntate mouetur intellectus ad credendum. Ioan. 20. Hæc scripta sunt vt credatis, & vt credentes vitã habeatis. Durandus hac. d. q. 7. consentit quod in duobus primis est vnus actus quo tenditur in obiectum vt obiectum, & in obiectum per mediũ: tertius, quia est à duobus habitibus vult quod sint duo actus.

Contra hoc arguit Ricardus circa literã, quia peccator dicens: Credo in Deum peccabit, quia mentitur. Respondet, quòd si dicat in persona propria & significatiuè, & secundum proprietatẽ expositam mentitur. Dicendo recitatiuè ad laudem Dei, non dicit illa verba nisi materialiter nomine Ecclesiæ, & sic non mentitur. Neq; etiam si dicat in persona propria, explicans qualis ipse deberet esse. Vel possumus referre ad interpretationem mandati dilectionis Dei, vt infra. d. 27. quia explicat se non habere deos alienos, & velle formali volitione, quòd Deus sit vnus.

Ex actibus procedentibus à fide infusa generatur habitus fidei acquisitæ. Hanc docet Almainus hac. d. q. 3. contra Thomã. 1. 2. q. 51. art. 4. ad tertiuũ. Et dicit, quòd opinio Thomæ neq; est vera, neq; faciliter sustentabilis. Facit contra eam duas rationes, quas vide in eo si vis. Sed probo conclusionem. In fidelibus Christianis est fides acquisita genita ex actibus; sed illi actus necessario procedunt à fide infusa, ergo, Maior probatur, quia fidelis factus hæreticus circa vnum articulum amittit fidem infusam, qui nihilominus credit alios articulos, quoniam hæreses non sunt necessario connexæ, neque in illo instanti quo amittitur infusa generatur habitus acquisitus. Nam error non disponit ad fidem, ergo prius habebat acquisitam cum infusa. Minor probatur: quia, si illi actus per quos est genita acquisita non processerunt ab infusa, pari ratione, neq; alius actus ab ea procedet & erit ociosa. Contra. Duo accidentia solo numero differentia non possunt esse quin faciant vnum, sed infusa & acquisita solo numero differunt. Hoc argumentum petit quomodo differant, vide infra seq. distin. p. 9. quòd specie, sicut notitia intuitiua & abstractiua, licet sint eiusdem obiecti, sunt tamen alterius rationis.

cc DISTIN-

*Argumentum.**Propos. 12**Argumentum.**Solutio.*

DISTINCTIO XXIII.

De obiecto & certitudine fidei.

Propos. 1.



FIDES qua in Christum edificamur est proprie de non visis; illa vero fides, qua vilitata locutione dicimus, nos credere quæ videmus, non est fides proprie, sed improprie, & ipsa non edificamur in Christo. Hanc docet in litera Magister, & vide supra in descriptione Pauli. p. 10. & Alex. 3. p. q. 79. M. 2.

Argumē
tum.

Contra hanc est id Ioan. 14. refertur in litera. Nunc dixi vobis, scilicet, quod (vado ad Patrem) priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Soluitur sicut de Thoma supra. & hic in litera ponit Magister quod aliud vidit, aliud credidit. Annuntiabat illis Christus mortem suam; exaltationem, aduentum Spiritus sancti, quod quicquid orando peterent, in suo nomine reciperent. Ex istis quando fierent dicit, quod credent suam diuinitatem, quia annuntiare futura certitudinaliter est proprium Dei dicentis Isaia. 41. Annuntiate nobis quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos. Mos enim Beati Ioannis in suo Euangelio est quando loquitur de Christi humanitate, adducere etiam aliquid de diuinitate, in qua est æqualis Patri. Super quæ verba Ioannis dicit glossa ordinaria: Credatis non quod factum videritis, quia non est laus, neque meritum fidei, imò neque fides est de eo quod videtur, sed de eo quod non videtur: sed credatis me filium Dei non noua fide, quia etiam prius crediderant, sed aucta fide & resecta, quia & modo cum hæc diceret parua erat, & cum moreretur nulla. Vbi annota, quod glossa videtur sentire Apostolos omnes fidem perdidisse. De quo vide præcedenti distinct. p. 5. Coroll. 1. Aliam auctoritatem Augustini affert Magister contra se, quæ tamen secum suam affert expositionem.

Propos. 2.

Fides non potest esse de ijs quæ omninò ignorantur, quia nemo potest credere in Deum, nisi aliquid intelligatur. Magister in litera, & ponitur hæc alijs verbis sic.

Actus credendi procedens à fide infusa, non potest esse sine aliqua notitia sumpta ex apparentibus. Probat ex Paulo Romanorum. 10. Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo

modo audient sine prædicante? ergo necessarius est aliquis, qui proponat credibilia, & hoc siue prædicando siue faciendo miracula: quia Ioannes Baptista signum fecit nullum. Ioan. 10. Sed propter suam auctoritatem credebatur ei turba, & dicebatur vera esse quæ dixerat de Christo, & multi crediderunt in Christum. Achior viso miraculo conuersus fuit & circumcissus Iudith. 14. Ex hoc mouent Scholastici quæstionem. Si fides infusa exeat in actum sine acquisita? nomine fidei acquisitæ intelligatur habitus acquisitus, re vera talis habitus non est necessarius, & sunt exempla in Scriptura, quia cæcus illuminatus erat Iudæus & circumcissus, qui habebat fidem infusam, & tamen non habuit habitum fidei acquisitæ ad credendum huic. Iste est filius Dei: qui post miraculum audito à Christo, quod erat filius Dei mox credidit: Ioan. 9. Nathanael, qui erat verus Israelita & fidelis credidit Christum esse filium Dei, quia ei Christus dixit: Vidi te sub ficu, Ioannis 1. qui tamen prius non habuit habitum acquisitum. Ratione. quia primus actus credendi fidelium est ab infusa, ante quem non est acquisitus. Sumendo fidem acquisitam pro notitia sumpta ex apparentibus illa est necessaria, ut iam diximus. Hoc modo sunt intelligendi doctores, dicentes fidem acquisitam esse necessariam, quod videlicet non intelligant habitum, neque actum credendi: sed aliquem actum firmum qui non est fidei Theologicæ, sed solum fidei topicæ: quia si præsententur articuli non creduntur, nisi asserantur tanquam credibiles ab aliquo veraci. Quod regulariter ita est. In hunc modum est intelligendus doct. subtilis. dist. 23. litera. B. & dist. 25. quæstio. 1. litera. I. & quæst. 2. litera. A. quando dicit, quod cum fide infusa requiritur acquisita ex auditu ad credendum. Hoc apertissimè patet, quia exemplificat Scotus in infideli existenti in mortali, qui non habet fidem infusam, quia sine caritate non infunditur, qui videndo miracula credit prædicanti: igitur loquens de fide acquisita, non intellexit habitum acquisitum, qui generatur ex actibus, neque actum credendi procedentem ab infusa.

Credibilia sic distinguit Magister in litera ex Augustino. Quædã sunt, quæ nisi intelligamus, non credimus: quædã quæ nisi credamus, non intelligemus. Quæ verba exponens Bonauentura in. q. literalis dicit: quæ intelliguntur priusquam credantur sunt ante-

Propos. 3.

cc 2 cedentia

cedentia ad fidem, & ea quæ sunt de dictamine iuris naturalis, sicut Deum esse, Deum esse bonum. Ideò ante hanc distinctionem Augustini dixerat Magister. Quædam fide creduntur, quæ intelliguntur naturali ratione; quia ut dictum est in. i. d. i. Deum esse, & Deum esse vnum est demonstrabile, & tamen non intelligentibus demonstrationem est de fide. Quæ non intelliguntur nisi credantur, sunt articuli fidei, qui sunt supra rationem. Ad hoc est autoritas Isaia. 7. Nisi credideritis, non permanebitis: secundum septuaginta interpretes, non intelligetis. Hæc omnia docet Alex. 3. p. q. 78. M. 6. art. 6. Idcirco non est mirum si infideles nostram fidem derident, cum non possimus articulos demonstrare. Captiuato intellectu in obsequium fidei, articuli cognoscuntur esse rationabilissimi, iuxta id Psalm. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Facit enim fides tria in intellectu. Primum quod inclinat in articulos ut credantur, & contraria illis tanquam erronea reijciantur. Secundò facit, quod articuli videantur esse credibiles, non verò intelligas quod facit illos euidentes. Aliud quippe est rem esse euidentem, ut sunt nobis euidencia quæ oculis cernimus: aliud esse euidens quod res est credibilis. Exemplum de iudice damnante innocentem per dicta testium, cui delictum non est euidens, est tamen euidens quod illis testibus est credendum, & iuxta ipsorum testimonia iudicandum: ita fides facit euidens, quod articulis sine formidinae est credendum, unde & Ioann. 1. capit. 5. Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se. Nec mirum quod multi non experiantur hanc euidenciam, quia satis est quod fides de se sit potens generare hanc euidenciam in subiecto disposito quales sunt fideles magis perfecti.

Corollarium Tertium facit assentire actu ijs, quæ sunt fidei. Atque per dicta potest intelligi quomodo de eodem, & sub eadem ratione eodem intellectui non potest esse fides & scientia. Rationes adductæ ex alijs scientijs humanis non probant fidem nostram, quia ex præmissa de fide, & alia de scientia nõ inferitur conclusio certa ex euidencia ut bene docet Scotus hac. d. litera. E. sed tales rationes ostendunt quod dixit Philosophus in fine libri Perihermenias. Nunquam vera veris contraria sunt. Addit Bona. in quæst. literali aliud membrum diuisioni Augustini ex eodem Augustino, scilicet, quod aliqua creduntur & nunquam intelliguntur, quia

quia non possunt ratione probari, quales sunt historia. Ut quod Abraham duos filios habuit, quod per solam autoritatem probatur.

Fide mundantur corda nostra. Magister in litera. Et in litera. *Propos. 4.* 2. d. 26. capit. 4. docet quod fides est causa iustificationis. Vbi & ipse Magister se exponit quod loquitur de fide cum dilectione. Hæc alijs verbis ponitur. Purificatio cordis, seu iustificatio est effectus fidei. De hac vide. Alex. 3. p. q. 70. M. 1. Thom. 2. 2. q. 7. ar. 2. Ricard. hac. d. art. 7. q. 3. Probat. r. act. 15. fide purificans corda eorum Paulus. Galat. 3. omnes filij Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu. Annota ex mente Alexandri modo citati, quod sicut sensus particulares habent sua particularia sensata, & sensatum vnius non est sensatum alterius, & sensus communis habet sensatum commune, ut est magnitudo, quantitas, superficies, quod potest sentiri à quolibet sensu particulari: ita virtutes habent proprios effectus. Ut fides, cuius effectus est credere qui non est alterius virtutis. Alij sunt effectus communes, qui eis conueniunt ratione alterius principij existentis in ipsis virtutibus, talis est purificatio cordis quæ attribuitur fidei ratione alterius videlicet gratiæ seu caritatis. Sed quia purificare est purum facere & anima nostra fit impura ex admixtione temporalium, quæ impuritas consistit & in errore intellectus, & in prauitate affectus, idcirco dupliciter potest intelligi purificatio, vel tam intellectus, quæ affectus quæ purificatio pertinet ad fidem formatam & est de qua loquimur; Alia est purificatio solius intellectus ab errore quæ pertinet ad fidem etiam informem: fides enim docet recedendum à temporalibus, & tendendum in bonum, & sic fidei attribuitur quod sit causa purificationis. Heretici nostri temporis ut Lutherus & sequaces attribuunt iustificationem soli fidei, ita quod sola ipsa sufficiat, neque opera nostra sint necessaria: In quo errore prior fuerat Eunomius quidam Arrianus. Contra eos sunt illa omnia loca scripturæ quæ docent necessitatem baptismi & aliorum sacramentorum ut est in suis locis in libro quarto & illud. Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. 1. Corinth. 13. Si habueris omnem fidem caritatem autem non habueris nihil sum. Tandem Conciliū Tridentinū Sessione Sexta canone. 9. definiuit. Si quis dixerit fide impiū iustificari, ut intelligat nihil aliud

cc 3 requiri

requiri quod iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit. Vide & canonem. 19. & 20. eiusdem sessionis. Quoniam vero ipsi hæretici pro se citant autoritates scripturæ male intellectas oportet eas sane interpretari. Vt Rom. 10. si confitearis in corde tuo Dominum Iesum Christum, & corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit à mortuis saluus eris. Quam suam sententiam confirmat testimonio Isaïæ atque Ioelis. Et capitulo tertio, iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. Ad has & similes sunt duæ vel tres expositiones Catholica. Prima quod non dicunt solam fidem iustificare; sed fidem, ideo non de qualicunque loquuntur, sed de viua & formata, vnde aliquæ habent. Credunt in eum, idest amando vt supra fuit expositum. d. 23, p. 11. secunda quod satis est ad veritatē harum vniuersalium quod ita sit, vt per illas significatur quantum est ex parte fidei nisi aliunde ponatur impedimentū. Quod si aliquæ autoritates sanctorum videantur sonare de sola fide, & quod opera non sint necessaria sunt probè pensanda antecedentia & consequentia. Quoniam aliquando intelligunt ex comparatione ad sola opera exteriora. Quandoque excludunt necessitatem susceptionis exterioris sacramentorum, quando non possunt suscipi. Aliquando excludunt opera ceremonialia & iudicialia veteris legis, quæ se non iustificabant. Vnde aliqui sic exponunt illud Pauli. Rom. 4. quod Abraham non sit iustificatus ex operibus. Nam Iacobus cap. 2. dicit quod ex operibus iustificatus est offerens Isaac, & non ex fide tantum. vbi Iacobus de operibus pietatis & obediētiae loquebatur, nam affert susceptionem hospitum à Raab. Iosue. 2. quandoque volunt explicare opera quæ iustificationem præcedunt nullo modo esse proprie merita quibus ipsa debeat iustificatio: ita potest intelligi citata modo Pauli autoritas. Quandoque etiam comparant fidem ad sectas infidelium: & dicunt solam fidem catholicam iustificare non sectas prædictas.

Propos. 5

Cuius fidei sit ista purificatio, seu iustificatio, vide si vis in Andrea Vega in opusculo q. 1. De cuius mente sunt tria. Primum quod nunquam Paulus in omnibus suis epistolis locutus sit de habitu

fidei infusæ, sed de fide actuali. Hoc non video quàm sit certum quia Concil. Trid. sessio. 6. ca. 7. docens infundi fidem, neque ipsam solam sufficere vsurpauit verba Iacob. 2. fides sine operibus mortua est, & verba Pauli Galat. 5. in Christo Iesu non valere circumcisionem neque præputium, sed fidem quæ per caritatem operatur. Vbi aperte concilium verba Pauli de fide habitu interpretatur. Verum est quidem, vt ipsum Vega saluamus, quod opusculum scripsit ante illam sessionem, quia sessio celebrata fuit die. 17. mensis iunij anni. 1546. Epistola nuncupatoria sui opusculi fuerat scripta prima die ianuarij eiusdem anni. Videtur itaq; mihi quod licet Paulus omnes Christianos (qui tunc nõ indigebant scire habitū) doceret actum fidei ad quem refert suaverba, quando ponit ly credere, quia credere est actus, nihilominus à Spiritu sancto edoctus qui regit Ecclesiam & sanctificat per multa loca epistolarum pro nobis vtrūq; docet & cõplectitur simul, actum scilicet, & habitum. Dicit secūdo quod prædicta loca Pauli non sunt intelligenda de sola fide viua; sed generaliter de fide siue formata siue informi. Quia Christus & Apostoli exigebant in sua prædicatione fidem à peccatoribus qua disponderentur ad iustificationem, quæ non erat formata, vel saltē non habet hoc inquantū formata, quia præcedit saltē natura caritatē qua formatur, sicut dispositio præcedit formā ad quam disponit. Tum etiā quia vbi lex non distinguit neq; nos distinguere debemus, dicunt iuristæ. Cum ergo scriptura non distinguat, de fide est generaliter intelligenda. Hoc facit ad id quod supra fuit dictū. d. 23. p. 10. quod fides informis est fundamentum quia sicut fides, spes, & caritas sunt distinctæ virtutes, ita habent distinctos actus, & loqui de fide viua est loqui de fide, & caritate, igitur quæ generaliter fidei attribuuntur non quadrant soli fidei formatæ, sed etiam informi. Tertio dicit quod fides cui attribuitur iustificatio non est fiducia, qua quis actu credit sibi remissa esse peccata. Hoc cõtra Lutherū & sequaces postea definiuit Concil. Tride. Sessione. 6. capit. 9. & canone. 12. 13. 14. 15. Sed est fides Iesu Christi, hoc est vt more Scholastico dicam, Assensus certus & firmus quo credimus nos per Christum saluari, & quo credimus alios articulos.

Fidei assignatur duplex obiectū sicut alijs habitibus cognitivis vide:

Propos.

videlicet materiale & formale. Materiale sunt ea quæ creduntur: formale est ratio propter quam creduntur. Vt scientia habet pro materiali conclusiones, pro formali media, seu principia ad conclusiones. Habitus principiorum qui est intellectus habet pro materiali ipsa principia, pro formali lumen ipsum potentia intellectiva. Vide Thom. 2. 2. q. 1. arti. 1. & est doctrina Alex. 3. p. q. 79. M. 6. dum ait quod dupliciter aliquid est fide credendum? Vno modo primo & per se, & tale est veritas prima. Alio modo quod est in prima veritate secundum ipsam & per se ipsam, & subdit: Itaque per se obiectum fidei est veritas prima in omnibus per se credendis. Ex quo potes inferre quod veritas prima est formale obiectum fidei. Ad idem est Bona. hac. d. numero. 15. & 16. Scotus in quodlib. 5. litera. K ponit triplicem primitatem obiecti. Prima est adæquationis quando potentia non excedit obiectum neque est conuerso, vt color respectu visus. Secunda est primitas virtutis, scilicet, virtute cuius aliud cognoscitur, sic lux est primum obiectum visus, quia quicquid videtur ratione lucis videtur. Tertia est primitas perfectionis quando obiectum in se continet perfectionem omnium obiectorum. Ex primitate virtutis potest clare cerni quod alias sit ratio formalis videndi colorem, alia ratio formalis essendi colorem, quia essendi est coloreitas, videndi lux. Sicut in scientijs ille dicitur sciens qui scit resolvere in prima principia, quæ sunt obiectum formale, ita in fide potest fieri resolutio vsque ad obiectum formale. Et sic idem videtur esse querere de obiecto formali fidei; & de obiecto in quod ultimo resoluitur fides; Et de obiecto primo primitate virtutis.

Propos. 7. Obiectum fidei primum primitate perfectionis, in quod sicut in ratione formale essendi resoluitur fides nostra est Deus sub ratione deitatis. Quia omnes articuli fidei, non cadunt sub fide nisi in ordine ad Deum, siue sint articuli simpliciter necessarij vt Deum esse trinum & vnum, vel sint de contingentibus simpliciter, factis vero necessarijs est suppositione quia Deus determinauit illa esse. Nam dicendo quare Deum esse trinum & vnum credimus; diem iudicij futurum respondemus, quia Deus reuelauit. Quare credimus reuelanti? quia prima veritas est. Quare est prima veritas quia Deus est: & ibi sistimus.

Propos. 8. De obiecto primo virtuali, hoc est, virtute cuius creditur quicquid credi-

creditur: seu de obiecto formali in quod resoluitur fides, vt in rationem formalem cognoscendi duos modos ponit Scotus d. 23. primus dicit quod fides infusa inclinatur in omnes articulos. Sed in hunc. Omne reuelatum a Deo est verum immediate, in ceteros mediante isto. Et sic omne reuelatum a Deo est verum, esset ratio formalis cognoscendi. Alius quod immediate inclinatur in omnes articulos, licet prærequiratur vt fiant presentes intellectui quod sint reuelati, sed esse reuelatum in præfato modo est causa sine qua non. Ambos hos refert Gabriel. d. 23. q. 2. art. 1. li. g. & H. qui magis videtur declinare ad primum quia rationes soluit illi contrarias. Scotus contra ambos arguit non tamen soluit rationes. Quidam imponebat Scoto quod diceret autoritatem Ecclesie esse autoritatem humanam, & fidem nostram gigni ex autoritate humana. Quomodo Scotus intelligat fidem acquisitam prærequiri habes supra. p. 2. Quod autem autoritatem Ecclesie dixerit Scotus esse humanam non video vbi tale sit in Scoto. Durandus dicit quod ratio credendi alia in quam est vltima resolutio, credibilium, est credere Ecclesiam regi a Spiritu sancto. Vide ipsum hac. d. q. 1. & in prologo. q. 5. Afferit autoritatem Augustini contra epistolam fundamenti cap. 5. Euangelio non crederem nisi me catholice Ecclesie commoueret autoritas. Et addit Durandus, quod Augustinus loquitur de Ecclesia quæ fuit tempore apostolorum approbas scripturam. Sed quod loquatur de Ecclesia sui temporis apparet ex cap. 4. eiusdem libri. Et videtur contra Duran. quia si sic esset: fides nostra & Apostolorum non esset eiusdem speciei, quia eorum fides non resolvebatur in Ecclesiam regi a Spiritu sancto, sed in Deum interius mouentem, sicut dictum fuit Petro. Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi sed pater meus qui in coelis est. Primæ Thessa. cap. 2. Gratias agimus Deo quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei accepistis illud non vt verbum hominum sed sicut est vere verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis: Sed distinctio specificans actus & habitus est ab obiecto formali ergo fides Apostolorum & nostra esset alterius speciei. Confir. quia infideles qui de nouo conuertuntur suscipiunt fidem & caritatem, quod tamen est verosimile nondum audisse Ecclesiam regi a Spiritu sancto, quæ fides est eiusdem rationis

cum nostra. Ad Augustinum dico quod non loquebatur de obiecto fidei, sed volebat reuincere hæreticum per hæc, in quibus nobiscum conueniunt. Manichæus præfixerat epistolæ titulū. Manichæus Apostolus Iesu Christi prouidentia Dei patris. Probat Augustinus titulū falsum (conuenerat enim cum Manichæo ut nulli crederetur eorū nisi probaret) petēs ubi inter nomina Apostolorum sit nomen Manichæi, si ex Euangelio velit ostendere, quid facies inquit non credenti Euangelio? Subdit. Euangelio non crederem. Manichæi non negabant hunc articulum Ecclesiam regi à Spiritu sancto, sed quæ esset Ecclesia catholica non ostendebant ut in cap. 4. docet Augustinus. Ex eo igitur quod credebant conuincit eos de his in quibus errabant. Si petas, quid facit Ecclesia? dico quod non est obiectum fidei, sed causa sine qua non, ad credendum.

Propo. 9.

De duobus modis propositis secundus est probabilior, quod fides in omnes articulos inclinatur immediate: ita quod sicut lumen intellectus proprio lumine sine alio medio assentit principiis, ita & habens fidem per ipsam assentit omnibus credibilibus, & sicut petenti à me quare assentis primo principio? dico quod habeo interius in me lumen intellectus me docens: ita si petas quare credo isti vel illi articulo, dico, quia habeo interius Dei lumen & testimonium in me. 1. Ioan. cap. 5. Hoc est habeo Deum per illam attractionem me intus trahentem de qua Ioan. 6. Nemo potest venire ad me nisi pater traxerit. Quæ attractio est illuminatio seu reuelatio data Petro Matth. 16. Et est auxilium Dei speciale quo concurrente intellectus cum habitu fidei videt credendos esse articulos sibi propositos? Post quos semel creditos etiā si ille met qui nobis euāgelizauit contrarium prædicet quamuis sit Angelus de coelo non iam ei credemus ad Galatas. 1. Ex istis infertur quomodo fides sit vnus habitus ex vnitatem obiecti, quia stando in primo modo dicendi esse reuelatum est vnū obiectum. Stando in secundo modo habet vnitatem à seipsa formaliter, quamuis illam vnitatem habeat effectiue à Deo tanquam à causa essendi, quia Deus creat fidem infusam. Sed in ratione essendi non est Deus obiectum formale cognoscendi ut habes supra p. 7. De hoc coroll. vide Scotum. d. 25. q. 2. Secundo sequitur vnde sit attendenda differentia inter fidem ac-

Coroll. 1.

Coroll. 2.

quisitam

quisitam & infusam: quia si penes obiectum formale ut dicit Tho. 1. 2. q. 54. art. 2. ad 1. quod distinctio habituum est penes formale & non penes materiale, habere debent diuersa formalia ut sint distinctæ speciei. Almainus in hoc. 3. d. 23. q. 3. & in Moral. cap. 3. de fide: tenet quod sufficit distinctio obiecti materialis ad distinctionem habituum, & sic dicit locis citatis quod cuiuslibet articuli sit suus habitus acquisitus. Et dat pro obiecto formali fidei acquisitæ esse reuelatum à Deo. Gabriel hac. d. art. 1. notabili. 2. tenet quod fidei acquisitæ nullum est obiectum primū & immediatum seu formale, sed tot quot sunt credibilia. Qui tenent quod fidei infusæ obiectum formale non sit esse à Deo reuelatum, facile assignabunt quomodo specie differant. Qui tenent esse reuelatum esse obiectum vtriusq; cum sint circa eodem articulos, difficile assignabunt specificam differentiam. Nam eas differre specie videtur certissimum. Scotus in quodlib. 14. littera. G. ponit vnum in quo conueniunt acquisita & infusa, & tria in quibus differunt. Conueniunt in hoc quod vnus & idem actus realiter elicitur secundum vtranq; ita quod habens ambas producit actum credendi secundum ambos habitus, quia sunt duæ formæ naturaliter inclinantes ad eundem actum, igitur operante vna operatur similiter & altera, idem docet quodli. 17. littera. L. Primum in quo differunt est quia è sola fide acquisita potest aliquis ut hæreticus elicere actum credendi. E sola infusa non potest elici actus de lege communi ad sensum expositum supra p. 2. Secunda differentia quia infusa non potest inclinare ad aliquod falsum, neq; actus eius tendit in falsum, quia infusa inclinatur virtute luminis diuini cuius est participatio, & ita non nisi in illud quod est conforme tali luminis diuino. Acquisita communiter innititur assertioni testis qui posset deficere, ideo ipsa non tribuit actui credendi in quantum sibi innititur quod non possit ei subesse falsum. Vnde quando ad idē inclinatur vtraque fides non subest falsum, sed prouenit hoc à natura infusæ, & nullo modo ab acquisita. Quodlibeto. 17. littera. M. explicat Scotus quod lumen illud diuinum cui innititur infusa, & cuius virtute inclinatur est extrinsecum quoddam ipsi actui credendi, quod nota, & quod non dixit esse extrinsecum habitui. Annotabis insuper ex hac differentia secunda, quomodo Scotus

d. 2 tus

Soto lib. 2. de
Natura &
Gratia. c. 8.

tus non dixit fidem nostram gigni ex autoritate humana, vt supra. p. 8. illi falso Thomista imponebat. Tertia differentia quia nemo percipit se assentire & inclinari ad actum secundum habitum infusum, sed tantum percipit se assentire secundum fidem acquisitam, vel secundum ipsius fidei principium, quod est testimonium cui credit.

Propo. 10.

Habitus fidei infusæ est augmentabilis. Nam Lucæ. 17. petebant Apostoli, Domine adauge nobis fidem, quanuis ipsi de actu videatur locuti, quia verosimile est quod nondum cognoscebant habitus. Tamen Ecclesia in quadam collecta dominicæ. 13. post Pentecost. orat. Omnipotens sempiterne Deus da nobis fidei, spei & caritatis augmentum. Vide in. 1. d. 17. de augmento caritatis quia facit etiam ad hanc.

Propo. 11.

Actus per quos fides augetur non sunt actus meritorij, sed actus ipsius fidei, sicut quælibet virtus augetur per suos proprios actus. Ratio est quia Deus disponit omnia suauiter, & ita res quas cõdidit administrat, vt eas agere proprios motus finat: cum ergo fides sit habitus distinctus à caritate habens actus distinctos per suos proprios debet augeri: sic enim augetur habitus naturales, & ex naturalibus debemus deduci ad philosophandum de supernaturalibus. Ex his infertur quomodo per actus virtutũ theologalium duo fiant. Vnum quod Deus adaugeat habitum illũ supernaturalẽ, qui sicut à solo Deo est creabilis, ita ab ipso debet augmentari: secundũ, quod per illos actus generatur habitus, acquisitus vt. d. 23. p. 12. Et sic per actus fidei, aut dandi elemosynam remanet habitus acquisitus quo hereticus postea credit: & peccator operatur opera caritatis. Si dicas ergo peccatori augebitur fides, sine infusione caritatis. Vide infra. d. 36. si virtutes sunt connexæ quoad infusionem: & tenendo quod essent connexæ posset adhuc de augmentatione teneri oppositum, vt sicut semel infusæ possunt manere distinctæ ita possent & augeri.

Propo. 12.

Fides infusæ non inclinatur immediate in has aut similes particulares. Iste homo est rite baptizatus: Ego habeo fidem infusam: in ista hostia est corpus Christi. Mediante ratione probabili inferuntur à fide infusæ, hoc modo. In hostia rite consecrata est corpus Christi: Hæc hostia est rite consecrata, ergo in hac hostia est corpus Christi. Et quæuis conclusio sequatur partem debiliorem & mi;

& minus certam tamen dicitur sapere fidem, quia eius contradictoria sapient heresim non conuincendo sufficienter hostiam illam non esse consecratam. Qua propter qui negaret in aliqua pyxide Ecclesiæ hostiam existentem esse consecratam fiet suspectus de heresi. De conclusione vide Tho. 2. 2. q. 1. arti. 3. ad. 4. Neque propterea est hostia adoranda sub conditione vt habes supra ex Bona. d. 9. p. 12. Neque sub conditione est papa adorandus ab Ecclesia, si fuit rite & canonice electus: neque similiter in alijs similibus quia veneratio, & deuotio conditionalis est minor quã absoluta. Scotus. d. 23. litera. f. dicens, sicut credo Dum esse trinum & vnum, ita credo me habere fidem infusam, qua hoc credo: nõ volebat docere, quod habitus inclinaret in illam particularem, ego habeo fidem infusam, sed sumpsit se loco omnium, quod solemus in communi vsu, & volebat dicere quod fide infusa credimus fidem infundi fidelibus, & fideles credere ex fide infusa. Quoniam aperte ibi docet quod nemini possit fides infusa demonstrari, volebat vero ibi ostendere quod fides infusa sit nobis nota ex fide. In hanc interpretationem est ipsemet Scotus in. 4. d. 4. q. 2. litera. B. dũ ait quod non est notum per rationem naturalem in esse, sed tantum est creditum citato quodlibet. 14. in tertia differentia infusæ & acquisitæ ait. Tantummodo credimus in vniuersali quod tendens in aliquod complexum secundum inclinationem fidei infusæ in hoc non potest errare. Quis autem & quando secundum eam tendit, neque ipsemet tendens scit, neque alius: neque aliquis certitudinaliter experitur. Vbi nota. Credimus in vniuersali.

Fides ex parte obiecti est certior quã scientia: ita quod est certius Deum esse trinum & vnum, quam quod homo est risibilis: ex modo tendendi in obiectum certior est scientia quam fides quia procedit ex euentibus capiendõ certitudinem pro firma adhesionem: sicut apud Virgilium libr. 5. Æneid. in principio.

Interea medium Æneas iam classe tenebat

Certus iter:

Idest, habens firmum animum. Rom. 8. certus sum quia neque mors neque vita &c. idest habeo firmum animum: vnde Hieronymus in epistola ad Algasiam pro, certus sum legit, cõfido; quia talis adhesio est etiam à voluntate fides, est certior quam

dd 3. quæ-

quæcunq̄ue scientia. Hanc vocat Alex. 3. p. q. 8. r. M. primo certitudinē informationis conscientię. Sic videmus martyres fuisse in fidei cōfessione constantissimos, quia fides magis determinat affectum sua inclinatione ad actum credendi, & amandi veritatem creditam, quam scientia quæcunq̄ue ad volendum actum sciendi & rem scitam. Vnde beatus martyr Ignatius in tormentis respondebat se non posse negare Iesum cuius nomen in corde scriptum gerebat, & post mortem inuentum fuit scriptum in eius corde aureis literis. Dubium autem est si certitudo habitus sumēda sit ab obiecto, an à modo tendendi, in obiectum? Tho. 2. 2. q. 4. articu. 2. tenet quod ab obiecto, ideo simpliciter loquēdo fides est habitus certior quam scientia, qui reus obiectū materiale & formale est certius, in eadem sententia est Ricardus. d. 23. art. 7. q. 1. Et facit ratio. Si verum & certum conuertuntur vt idem sit verum quod certum & è contra: quia veritas est in rebus, vt ab eo quod est vel non est oratio dicatur vera vel falsa primo per hermenias similiter dicetur certa, vel non certa, ab eo quod res est vel non est. Durandus. d. 23. q. 7. vult quod certitudo se tenet ex modo tendendi in obiectum. Et sic actus scientiæ sit certior & perfectior simpliciter quā actus fidei, & non secundum quid, neq; quo ad nos. Et soluendo. 2. Argumentū principale dicit quod quando medium causans cognitionem est certius nō solum in se sed quo ad nos, tunc cognitio est certior alias non.

DISTINCTIO XXV.

De obligatione ad actum fidei tam interiorē quo creditur ad iustitiam, quam exteriorē quo fit confessio ad salutem Rom. 10. Et de credibilibus.



Actus fidei fuit adultis in præcepto pro omni statu hæc satis deduci potest ex litera Magistri. Probat. Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Quæ verba licet supra. d. 23. de habitu firmus interpretati, sunt etiam de actu intelligenda, & patet quia subdit. Accedentem ad Deum oportet credere

Propos. 1.

re, sed credere dicitur actum. Et exempla ibi adducta sunt de actu. Vide in epistola Roma. præcipue capit. 3. 4. & 5. & 8. & supra. d. 24. p. 5. Ad Galat. 3. docet Paulus quod per fidem consequemur promissionem Abraham. Exempla adducta Heb. 11. sunt de hominibus tam in lege naturæ, quam sub lege scripta. In nouo testamento patet præceptum Marci ult. Qui non crediderit condemnabitur. Vbi loquitur de actu. Neq; dixit damnandos si non recepissent baptismum in quo ipsa fides infunditur, sed si non credant. Vt probe annotauit Beatus Bernardus epistola. 77. ad Hugonem de Sancto Victore. Et Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Vbi vita æterna vocatur fides iuxta quod ante dixerat. 3. capitu. Qui credit in me habet vitam æternam. Non dixit habebit, sed habet, vt ostenderet se loqui non de visione Dei in patria, sed de fide per quam itur in patriam, ita exponit Alfonso Castro verbo. Beatitudo. hæresi. 4. Ratione probatur. Adultis sunt necessarij actus aliarum virtutum moralium quando concurrant circumstantiæ debitæ verbi gratia, Dare elemosynam indigenti, ergo etiam sunt actus virtutum theologalium necessarij. Probat. consequentia quia actus morales non ordinantur in finem Deum, nisi per actus theologalium. Confir. omnis adultus habens vsum rationis, tenetur diligere Deum ergo tenetur & credere.

Vtens ratione tūc tenetur credere quando articuli credēdi fuerint sibi propositi tāquā credibiles ab aliquo veraci. Ratio huius est, quia præceptum de credēdo est affirmatiuū obligās semper, sed nō ad semper. Ille proponēs de per accidens est quod sit homo; Angelus; Ecclesia, vel impulsus interior à Deo reuelāte. Ad illos proponēdos filijs tenentur parentes Christiani, vnde Isaia. 38. pater filijs notam faciet veritatem tuam.

Iudæis atq; hæreticis recipiētibus scripturā sacrā debēt articuli fidei per eādem scripturā proponi à catholicis, vt ex ijs quæ credūt reuincantur ad ea, quæ non credunt, sic Christus Dominus Diabolo alleganti scripturas, per easdem respondebat Matthæ. 4. Iudæis etiam dixit Ioan. 5. si crederetis Moysi crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Vbi forsitan. appositū fuit ad denotandam libertatem arbitrij, à qua pendet actus credē-

Propos. 2.

Propos. 3.

den-

dendi vt infra p. 9. Paulus act. 17. & 18. cum Iudæis disputabat per scripturas.

Propos. 4.

Pro infidelibus qui nunquam aliquid de fide audierunt data est à Christo Ecclesiæ potestas faciendi miracula. Marci ultimo. Signa autē eos qui crediderint hæc sequētur. Vbi talis potestas non datur Apostolis, quia data fuerat Matth. 10. Sed creditibus: Aut saltem non datur solis Apostolis. Vbi & annotabis quod non dixit Christus. Ego faciam illa miracula, sed quod ipsi facerēt sicut & Ioan. 14. Qui credit in me opera quæ ego facio & ipse faciet & maiora horum faciet. Bene quidem interuenit potestas diuina. Item. 1. Corinth. 14. Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, vbi Glossa interlinealis. Super ly infidelibus ait. Ad fidem nouitate miraculi mouentis. Erat enim prodigium infidelibus videre homines alias idiotas loqui varijs linguis & scire secreta cordium. Idcirco subdidit Paulus, quod si intret infidelis inter fideles conuincitur manifestando illi secreta cordis sui, & ita cadens in faciem adorabit Deum pronuncians quod vere Deus sit apud fideles. Prophetias docet datas pro fidelibus. Vnde quanuis hodie non sint miracula necessaria, tamen quia Christi concessio respicit totum tempus Ecclesiæ militantis, quando apud aliquas nationes ipsa forent necessaria, sicut fuere in Ecclesia primitiua concurreret Deus ad illa cum suis ministris. Si petas quid est illa virtus faciendi miracula. Dico quod fides, id est, confidētia sine hesitatione, quod Deus concurret ad tale opus, ita quod non est fidei habitus: Alias esset in omnibus fidelibus. Neq; etiam est gratia gratum faciens quia talis virtus faciēdi miracula inuenitur quandoque in peccatoribus, vt Matth. 7. In nomine tuo virtutes multas fecimus. Quibus tamen dicitur. Discedite à me operarij iniquitatis. Vide Alex: 2. p. q. 42. M. 6. arti. 1. & 2. Vbi dicit quod motus fidei est principalior: motus spei, & caritatis cooperantur vt magis fiāt, vel efficacius, & quod articulus fidei, secundum quem fiunt est articulus omnipotentis. Per dicta conuincuntur Vvaldenses dicentes in Ecclesia non fieri vera miracula.

Propos. 5.

Ad proponendos articulos fidei omnibus gentibus, hoc est, ad prædicandum Euangelium in toto orbe est data facultas Ecclesiæ, imo præceptum Probat. Marci ultimo: Prædicate Euangelium

gelium omni creaturæ, id est, omni nationi: Et cum tale præceptum fuerit de re grauissima obligauit Apostolos. Et cum ipsi non possent extendere prædicationem in omnes homines transiit obligatio in successores. Ideo fuit illis dictum Marci. 13. Quod vobis dico omnibus dico. Inde probamus multa illis dicta fuisse in propria persona pro successoribus. Vt Ioan. 20. Quæ solueritis in terra erūt soluta & in cælis. Hoc facite in meā commemorationem Lu. 22. pro sacerdotum consecratione. Hæc præfatam obligationem de se Paulus expressit. 1. Corinth. 9. vñ mihi est si non euangelizauero. Necessitas enim mihi incumbit. Gregorius hom. 9. super Ezechielem exponens quomodo in libro essent scriptæ lamentationes, & carmen & vñ ait, vñ in scriptura sacra sæpius de æterno luctu quā de præfenti solet intelligi. Vnde scriptum est Isaia. 3. vñ impio in malū. Et vñ mundo à scandalis. Matth. 18. Et quanuis ibi alleget tanquam pro æterno supplicio, id Matth. 2. vñ prægnantibus in illis diebus, potius quidē videtur pro labore temporali. Vt Hier. 4. vñ mihi quia defecit anima mea propter interfectos & 1. Machab. 2. dixit Mathathias, vñ mihi vt quid natus sum videre cōtritionē populi mei. Vbi dolor cordis tantum exprimitur, in verbis Pauli citatis obligatio sub damnatione. Et Roma. 1. loquens de prædicatione. Græci: & barbaris debitor sum. Ratione patet ex debito caritatis, & fraterna correctione quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Ecclesia. 17. Neq; debet Ecclesia abscondere sibi data talenta. Sed quia hoc præceptum est affirmatiuum obligans pro loco & tempore, vbi nulla speraretur utilitas, sed tantum occisio ministrorum, non est sanctum dandum canibus, neque mittendæ margaritæ ante porcos. Matth. 7.

Non sufficit qualiscunque prædicatione vt infideles sint inexcusabiles dicente Ecclesiastico. 19. Qui cito credit leuis est corde: illa tamen est prædicatione reddens illos inexcusabiles, quam miracula sequuntur dicente Christo. Ioan. 15. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo capitu. 10. Si non facio opera patris mei nolite mihi credere. Aut saltem debet illis prædicari cum argumentis probabilibus & rationalibus & cum vita honesta secundum legem naturæ. Nam

cc

cum

cum ipsi teneantur credere in Christum Dominum, Et baptizari, visa honesta vita ministrorum, & auditis probabilibus rationibus debebunt dubitare & inquirere veritatem de norma vitæ atque de fide, quam prædicant, alias non excusarentur à peccato. Fides nostra est rationabilissima, & sectæ quæcunque aliæ valde irrationabiles, quanuis non sit euidens, tamen suis testimonijs facit euidens quod sit illi potius adhaerendum quam alijs vt habes supra. d. 24. p. 3. si placet vide in Scoto. q. 2. prologi octo rationes quibus probatur esse euidens quod sit credendum fidei nostræ, quoniam ad propositum non inuenies meliores, vide & eundem Scotum pro hac sexta in. 4. d. 3. q. 4. litera. c. sic dicentem. Nullus tenetur ad aliquod præceptum diuinum nisi per aliquem idoneum, & authenticum sibi promulgetur, vel fama veridica & testimonio bonorum, cui debet quilibet rationabiliter credere, & hoc intelligo de lege positiua quæ non est nota interius in corde. Hæc Scotus.

Propos. 7.

Si infideles audito Euangelio nolint credere non sunt ad fidem compellendi bello, minis, aut terroribus. Hæc est communis quam docet expresse Tho. 2. 2. q. 10. arti. 8. Pro qua est exemplum Christi Lucæ. 9. quem cum non reciperent Samaritani Ioanni & Iacobo volentibus quod ignis descenderet super eos respondit Christus. Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere sed saluare. Et. d. 45. capitulum. Qui synthera: docet Gregorius quod extranei sunt blandimentis ad fidem adducendi non asperitatibus, alias enim non Dei causas sed proprias agere probarentur. Eadem. d. capitulum. De Iudæis præcipit sancta synodus nemini vim inferre, quia Deus cuius vult miseretur & quem vult indurat. Illi autem qui fidem vel necessitate susceperunt tenere cogantur, ne nomen domini blasphemetur & fides quam susceperunt contemptibilis habeatur. Ratio ad hoc est, quia credere est etiam à voluntate vt infra. p. 9. sed timor diminuit de voluntario. 3. Ethic. capitulum. 1. Et accedere ad sacramenta è solo timore seruili foret sacrilegum, ergo sic compellentes cooperabuntur sacrilegio. Quod si petas quare non valeat matrimonium metu contractum neque votum, si metus est talis qui cadat in constantem virum & tamen baptismus tali metu receptus obliget? (Quan-

uis

uis si leges Syluestrinam. Metus. §. 8. de voto tenet quod ligat.) vide tres rationes in Scoto in. 4. d. 29. ad 1. principale. Prima est quia per baptismum fit melior conditio baptizati, non sic in matrimonio. Secunda, quia voluntas Dei ratificat illum fieri Ecclesiæ filium etiam per talem metum. Tertia, quia in baptismo est adoptio in filium ad quam sufficit minus de voluntario quam ad matrimonium. Cum igitur Ecclesia non iudicet de his qui foris sunt. 1. Corinth. 5. infideles relinquit iudicio Dei, filios vero suos iudicat, & compellit.

Quibusdam videbatur quod infideles possint compelli vt audiant fidem, postea remaneat in eorum potestate recipere, vel non: mihi probabilius fit oppositum. Ratio illorum est quia Ecclesia & papa qui est ipsius pastor tenetur prædicare Euangelium in toto orbe, sed non potest prædicare nisi infideles audiant ergo possunt compelli ad audiendum. Sed cõtra, Nunquã sic legitur Christum aut Apostolos prædicasse, imo Christus Apostolis mandauit Matth. 10. quod vbi non reciperetur puluerem excuterent de pedibus, & eos diuino iudicio relinquerent. Quanuis argumentum nõ valeat ab autoritate negatiue, vt hoc nõ continetur in scriptura ergo nõ est verum, tamẽ in moralibus multum valet ab exẽplo negatiue. Sic enim & Christus arguebat Ioã. 8. Hoc Abraham non fecit. Sic etiam arguit capitulum. Legatur. 24. q. 1. Quod non legitur Christum & Apostolos veniam concessisse nisi poenitentibus. Et reuera videremur fidem nostram armis introducere sicut suam sectam introduxit Mahometus.

A quo causetur actus credendi, triplicem opinionem refert Almainus. d. 24. huius. 3. Prima est Holcot tenentis quod assensus fidei causatur naturaliter, ita quod homo nõ potest nõ assentire adductis motiuis. Hæc dicunt aliqui sapere heresin. Secunda est Ochã, quod per solũ imperiũ voluntatis, & impugnatur à Gabriele. Tertia est cõmuniõ, quod causatur à ratione probabili, & ab imperio voluntatis, seu pia affectione, quod idẽ est. Quod ratio probabilis sit necessaria patuit sup. d. 24. p. 2. Et hac. d. p. 6. Quod imperiũ voluntatis, probatur ex Augustino homi. 20. super Ioãnem. Cetera potest homo nolens, credere autem non nisi volens. Hanc tenent Tho. 2. 2. q. 1. arti. 4. & Scotus hac. d. q. 1. ad finem. Et etiam. q. 2.

Ad credendum singulis articulis requiritur auxilium Dei

cc 2

spe-

Propo. 8.

Propo. 9.

Propo. 10.

speciale. Ratio est, quia quilibet articulus est supernaturalis & fides immediate inclinatur in omnes articulos ut supra. d. 24. p. 9. inde Paulus. 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Et primæ. 12. Nemo potest dicere, dominus Iesus nisi in Spiritu sancto. Vide hanc supra. d. 23. p. 3.

Propos. 11.

Confessio fidei est necessaria ad salutem. Hæc est contra Basilidem hæreticum qui dixit non esse peccatum negare Christum tempore persecutionis: secuti sunt Elcesaitæ, ratione tamē diversa quia hi opinabantur satis esse habere fidem in corde. Basilides negabat Christum crucifixum idcirco aiebat non licere pro tali mēdacio pati. Sed probatur Rom. 10. Corde creditur ad iustitiā, ore autē confessio fit ad salutē. Matth. 10. Qui cōfitebitur me coram hominibus confitebor & ego eū coram patre meo, qui negauerit me negabo eū. Est enim cōfessio opus fidei. dicente Paulo. 2. Corinth. 4. Habētes eūdem spiritū fidei credimus propter quod & loquimur. Sed quia ista confessio cadit sub præcepto affirmatiuo obligat pro loco & tempore, sicut obligat actus credendi, vide supra. p. 2. ut verbi gratia si quis interrogatur de fide tenetur fateri se esse Christianum. Si videat ab infidelibus Christū derideri quasi non sit Deus debet pro ipso respōdere, & pro quolibet fidei art. Si tamē illa interrogatio non fieret pure propter Christianitatē, sed esset equiuoca tam ad Christianismū quam ad inimicitiam, ut solet fieri in bello, valeret enim tunc, esse Christianus, ac si diceretur, es Gallus aut Hispanus? Es noster an aduersariorum? sicuti Iosue interrogauit Angelum cap. 5. in tali casu non esset negare Christum, sed negare inimicitiam pro saluanda vita, & ideo neq; foret mortale. Perinde dicendum de deferentibus vestes aut signa infidelium ut solet in bellis, quia si talia signa aut vestes significant illius sectæ protestationem & Christi iniuriā non licet deferre. Si non protestentur & assumantur à Christianis ad mortem euadendam, aut ad victoriam facilius capeſſendam non esset mortale contra fidei confessionem. Ad idem de fugientibus tempore persecutionis, quia fugere de se potius ostēdit credere quā discredere. Sed si ex fuga Christi honor periclitatur quasi nō habeat tūc qui eū confiteatur, aut animæ proximorū: quia vidēdo tales fugere maxime prelatos & episco-

episcopos Christum infirmi negabunt, non licet fugere: Cum ex obligatione ad confitendum Christum, tum ex caritatis ordine ad proximos. At vero si talia cessant & persecutio est personalis quia alij Christiani permittuntur viuere & sola talis persona queritur licitum est fugere ut accidit Paulo act. 9. Maxime si ex fuga speratur alibi maior Ecclesie utilitas. Esset perfectio nis & supererogationis ubi homo non tenetur cōfiteri Christū ex feruore fidei & ut infirmi fiant solidiores. Dicitur supererogatio apud theologos quando facit homo supra id quod tenetur. Ut in parabola Lucæ. 10. dixit Samaritanus: quod supererogaueris (videlicet ultra datos denarios, reddam tibi: quod facimus ultra, id, quod recipimus in præceptum vocatur supererogatio. Talia sunt consilia Euangelij ut de paupertate Matth. 19. ostensa via necessaria salutis in mandatorū obseruatione additur. Si vis perfectus esse vende quæ habes & da pauperibus. De virginitate & castitate. 1. Corinth. 7. De virginibus præceptum non habeo cōsiliū do. Qui matrimonio iungit virginem suam benefacit, & qui non iungit melius facit. Matth. 19. de eunuchis. Qui potest capere capiat. Habemus ergo in consilijs quæ supererogemus, per quæ duo consilia reuincuntur: & error Desiderij Lōgobardi & Vvlielmi de sancto amore contra quæ scripsit Sanctus Bonaventura in opusculo dicentium paupertatem voluntariam esse inutilem. Reuincuntur & pseudoapostoli dicentes paupertatē necessariam ad vitam æternam quoniā Christus eam in consilio tantum dedit. Quod si apostolis præcepit non possidere aurū neq; argentū Matth. 10. fuit pro illo tempore quo ipsos ad prædicandum mittebat. Quando dixit renūtiandum omnibus ut eius simus discipuli Lucæ. 14. intelligebat quoad affectum: ut Psal. 61. Diuitiæ si affluāt nolite cor apponere: fuere quippe sancti diuites tam veteris quam noui testamenti.

De Sufficientia credibilium.

Eadem est fides nostra & pratum antiquorū. Ita docet Magister in litera. Hæc est intelligenda de habitu fidei infuse, quod sit eiusdē speciei, & de articulis, quod credamus eosdem. Idē Magister supra. d. 23. exponens illud Ephes. 4. Vnus Deus, vna fides, ubi dicēdo esse vnam genere sumpit genus pro specie vn-

Propo. 12.

ide ipse se exposuit, genere, id est, similitudine? Cum dicitur fides nostra & antiquorum esse de eisdem articulis debet intelligi materialiter non formaliter. Ita Scotus hac. d. q. 1. litera. H. vide & Alex. 3. p. q. 81. M. 2. vt. V. g. Christus nascetur erat antiquo tempore vera. Modo est falsa, quia hæc est hodie vera Christus natus est. Materia vtriusque est eadem, quanuis modus significandi sit diuersus. Complexio terminorum vt sit eadem formaliter debet significatum concipi cum eodem modo significandi. Contra hanc arguitur argumento Almaini, tenendo quod fides infusa immediate inclinēt in omnes articulos. Fides antiquorum patrum & nostra habent obiecta immediate differentia specie ergo differunt specie. Antecedens probatur quia sunt alij articuli. Christus nascetur: Christus natus est: de futuro erat contingens: de præterito est necessaria & vera, quando alia iam est falsa. Consequentia probatur. Quia Deus non potest facere quod idem habitus sit modo alicuius obiecti, de quo prius non fuit quia videtur implicatio contradictionis.

Ad hoc est duplex responsio. Prima quod Deus intus mouens est idem, Materia de qua sunt articuli eadem, con significatio temporis est de per accidens inclinationi habitus, quia habitus infusus inclināt abstrahendo à significato temporis, quia inclināt virtute Dei creantis habitum, & intus illuminantis, cui sicut sunt præsentia præterita & futura sine con significatio temporis, ita & habitui. Alia responsio est aliquorum quos refert Scotus dicentes eandem esse veritatem propositionis de præterito, de presenti, & de futuro, quia virtute illius de presenti sunt alie veræ, cum ipsarum veritas dependeat à sua de inesse.

Dicendo fidem antiquorum & nostram esse de eisdem articulis intelligi debet implicite vel explicite. Est enim Ecclesia ab initio mundi vna ab vnitae fidei infusæ facientis vnitatem in ecclesia, & dantis esse vnu corpori Ecclesie, vt dat forma quod bene notauit Almainus hac. d. parum antequartâ cōclusionem. Creuit autem semper in articuloꝝ notitia, atque ipsorum explicatione, sicut aurora confurgens Cant. 6. ideo quos nos habem⁹ explicatissimos, habuerūt illi sub velamine, & Iudei ad plures tenebatur explicite recepta lege, quā tenerēt in lege nature. Sic

re. Sic debet intelligi Magister dicens quod sine fide mediatoris post lapsum A de nullus saluatur. Hoc est, sine fide Iesu Christi implicita, vel explicita. Nam Matth. 21. Qui præibant & sequebatur clamabant: Osanna filio Dauid. Fuit Christus figuratus in botro quem duo viri portauerūt in veste. Num. 13. quem præcedens non videbat, sed sequens: fidelis populus non vidit explicite dū præcedebat, sed populus fidelis Christianus cognoscit explicite. Ponit Magister ex Paulo Heb. 11. q̄ accedentē ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Dicit vero quod hoc non sufficiebat ad salutem neq; ante legem, neq; ante aduentum Christi. Bona. hac. d. q. 3. ad. 1. idem dicit, & quod Paulus posuit illud sine quo nō potest esse salus, non vero dixit illud sufficere. Alex. 3. p. q. 82. M. 3. art. 1. dicit quod in statu ante peccatum non fuit necessaria fides mediatoris, quia neque fuit necessaria redemptio, fuit tamen necessariū credere illa duo posita à Paulo quod esset creator & remunerator, post peccatū est necessaria fides mediatoris. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 7. dicit quod in his duobus includuntur omnia credibilia scilicet, Deum esse, & habere providentiam de salute hominum, quia in esse diuino clauduntur implicite quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus existit nostra beatitudo: in fide providentiæ omnia quæ dispensantur à Deo temporaliter ad salutem. Ricardus hac. d. ar. 3. q. 1. ad prima loquitur sub distinctione, quod posita à Paulo non sufficiebant nisi aliquid aliud crederetur: Aut quod in esse remuneratorem comprehendit viam pertingendi ad salutem. Aduertes in præfatis Pauli verbis quod esse remuneratorem in gloria cum beatifica visione sui non poterat cognosci viribus nature, bene tamen quod cum bonis temporalibus. Inclusis vero in his duobus articulis cæteris alijs, vide quomodo cum fide se compatitur dubitatio modi: videlicet credendo Deū prouisorū humane salutis, dubitādo modū. Sic beata virgo petens quomodo fiet istud Luc. 1. nō dubitauit de facto sed modū requirebat & ordinē. Vide Bernardū hom. 4. super, Missus est. Similiter Moyses Num. 11. promittēti Deo carnes pro tanta populi multitudine respondit. Nunquid ouium & bouum multitudo cædetur? Vbi nō de facto dubitauit sed de modo. Per hæc posset Scotus exponi dum ait. d. 23. litera.

Argum.

Solutio.

Propo. 13.

C. & d. 24. litera. H. quod fides non excludit omnem dubitationem, sed vincentem & trahentem in oppositum credibilis. Quoniam aliqua dubitatio potest stare cum fide. Per hunc modum potest dici quod Magister ponit in litera ex Gregorio de Ioanne Baptista quod dubitavit Matth. 11. de descensu Christi ad inferos. Non enim dubitavit ipsum esse Deum, & passurum pro salute nostra cum dixerit Ioan. 1. Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi. Neque dubitavit eius passionem pertingere sua virtute ad sanctos in Limbo cum dixerit Zacharias. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu. Dubitavit ergo modum, si erat in propria persona descensurus. Alij quos Magister refert dicunt quod ex pietate ostendit se dubitare, cum tamen non dubitaret, sed Christo fuisse compassum. Vide Ambros. super. 7. cap. Lucæ. Chrysostomus hom. 36. super Matth. dicit quod non dubitavit, sed propter discipulos quos mittebat hoc dixit ut à Christo instruerentur hac occasione. Vide Alex. 3. p. q. 82. M. 3. ar. 2. Thom. 2. 2. q. 2. ar. 7. & Ricar. hac. d. ar. 3. q. 1. ad primū Sanctus Bona. in. q. literaliter refert quosdam hereticos dicentes propter hanc dubitationem fuisse damnatum Ioannem non tamen nominat qui fuerint. Bernardus de Luxemburg dicit quod fuere Manichæi. Contra quos est quod audita præfata legatione Christus ipsum maxime laudavit ergo non peccavit sic interrogando. Marcion longius processit dicens Abelem & omnes Patriarchas mansisse in inferno, & quod Cain & ceteri impij salvi facti sunt, contra quem est quod Match. 23. Abel vocatur iustus. Hebr. 11. numerat Paulus patres veteris testamenti qui adepti sunt repromissiones. Matt. 8. Recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno celorum. Malitia Cain damnatur tam in lib. Genes. 4. quam à Ioanne epist. 1. cap. 3. & à beato Iuda v. illis qui in via Cain abierunt.

Propo. 14.

Ante Christi aduentum ponit Magister opinionem dicentium quod ista quatuor sufficiebat explicite credere de Christo, natiuitatem, mortem resurrectionem, aduentum ad iudicium; mouebatur ex quadam autoritate Augustini allata in litera, assumebatur etiam citatam questionem Ioannis de qua ut dictum est potuit dubitare.

Propo. 15.

Ad plura explicite credenda tenentur hodie & tenebantur in omni lege maiores quam minores. Hæc docetur communiter ab omni-

omnibus post Magistrum. Affert Magister illud Iob. 1. Boues arabant, & asinae pascebantur iuxta eos. Simples & minores sunt asinae pascentes iuxta boues quia humilitate maioribus adherendo in mysterio credebant quæ illi mysterio docebant. Ratione probatur. Quoniam aliqui etiam in lege naturæ habuerunt reuelationem de pluribus quæ alij haberent, ergo ad illa credenda tenebantur. Patet antecedens de Iob. Qui siue descenderit ab Esau fratre Iacob, ut aliqui volunt quæ ipse sit Iobab de quo Genes. 36. dicitur quæ regnavit in Edom post Balach filium Beor. Siue descenderit à Nachor per filium eius primogenitum Huz Genes. 22. quæ alijs magis placet, ipse tamen fuit de lege naturæ & Gentilis, quoniam lex per Moysen data fuit descendentibus à Iacob, qui Iob habuit reuelationem de generali resurrectione: ait enim cap. 19. In nouissimo die de terra surrecturus sum. 2. probatur. quia maiores susceperunt curam instruendi alios ergo debent habere planiorē notitiā de credendis, & credere plura explicite. Alias cito deficeret fides simplicium. Scotus litera. f. dicit quod hæc obligatio non provenit ex baptismo, quia ibi non se obligauerunt plus quæ alij, sed provenit ex eo quod curam animarum suscipiunt, & se obligant ad illuminandum alios. Idem debet dici de habente ampliorē reuelationem, quia ex illa obligatur ad plura. Inde credo quod Apostoli qui primitias spiritus habuerunt Rom. 8. id est, potiora dona. Qui spiritus docuit illos omnem veritatem. Ioan. 14. reuelationem habuerunt de omnibus credilibus, ita quod nihil modo creditur in Ecclesia explicite, neque aliquando deducetur à scripturis, quod ipsos latuerit. Tertio est ad conclusionem quod Episcopi in sua consecratione interrogantur si sciunt vetus & nouum testamentum, & profitentur se scire, quia secundum Paulum. 1. cap. Ad Titum potes sit Episcopus exhortari in sana doctrina, & eos qui contradicunt arguere. Dicitur extra de electione. Nihil, quod nihil Ecclesie Dei magis officit, quam quod indigni assumantur prelati ad regimen animarum. Hæc scientia non requiritur exactissima, sed quæ sufficit officio. vide Ricard, quod lib. 3. q. 23. & 24. ubi docet quod indignum confirmans mortaliter peccat. Quod satis patet excitato cap. Nihil. Concilium Tridentinum sessione. 22. cap. 2. definiuit quæ scientia sit necessaria.

Genes. 22.

Sine fide explicita Christi possunt homines hodie iustificari si

Propo. 16.

ri si ignorant inuincibiliter. Probat, quia quando Euāgelium per Iudæam diulgabatur poterāt homines illud inuincibiliter ignorantes iustificari, ergo & modo possunt. Consequentia probatur quia idem est Deus, neq; acceptator est personarū, eadem fides, equalis ignorantia. Antecedēs probatur A. et. 16. de Purpuraria, quæ erat Gētilis in Macedonia & antequā audiret Euāgelium dicitur colēs Deū. Cornelius A. et. 10. vocatur religiosus & timens Deū antequam haberet fidem explicitā de Christo. Magister in litera dicit q̄ habuit fidē incarnationis, & resurrectionis, sed ignorasse si erat iam facta vel futura. Quod possit dari hodie ignorātia inuincibilis de Christo docet pater Andreas Vega lib. 6. super Decretum, cap. 19. potest dari exemplum apud Indos occidentales antequā ad ipsos nauigassent Hispani. Videtur q̄; mens Bona. in. 2. d. 22. nu. 25. dum ait, quod credibilium habeat quis inculpabilē ignorantiam, quādo scire nō potest. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1. dum ait quod infidelitas negatiue est in illis qui nihil audierunt de fide, & non est peccatum. Licet posset dici quod non loquebātur si de facto modo potest esse ignorātia inuincibilis de Christo. Cum Vega est Alfonso Castro lib. 2. de potestate legis pœnalis cap. 14. Dñicus Soto lib. 2. de Natura & Gratia. c. 12. ad finē dubius manet si possit dari hodie inuincibilis ignorātia de Christo, & dicit non esse facile persuasum q̄ sine fide Christi explicita iustificetur aliquis. Sed reuera si teneatur quod nondū Euāgelium sit in toto orbe prædicatū: & q̄ autoritas Psal. 18. in omnē terrā exiuit sonus eorū sit complenda vsq; ad finem mundi iuxta id Matt. 24. prædicabitur euāgelium in toto orbe & tūc veniet cōsummatio: siue teneatur cū Chrysostomo hom. 48. super Mat. quod iam sit impleta illa prophetia. (Cū Chrysostomo tenet August. lib. epistolarum: epistola. 79. quæ est ad Hefichium. vnde mirum est quod citatur communiter pro altera opinione. Afferunt ambo, id Colossen. 1. quod euāgelium in vniuerso mundo est & fructificat & crescit sicut in vobis (postquam sunt tot annorum centuriæ quod non extat memoria de Euāgelio tantū est ac si nō audiissent. Argumēta cōtra conclusionē solutur tripliciter. Primo interpretādo de fide implicita: Sic exponit Tho. 3. p. q. 68. ar. 1. ad. 1. illud A. et. 4. Nō est aliud nomen in quo oporteat saluos fieri. Secundo si loquā-

tur

tur de fide explicita, loquūtur de scientibus Euāgelium ita Ioan. 15. Si non venissem & locutus eis fuisset peccatū non haberēt. Tertio quod sit necessaria fides explicita ad salutem finalem.

Cōmunis opinio tenet q̄ sine fide explicita Christi post Euāgelium promulgatū nemo potest saluari. In hāc facit Alex. 2. p. q. 129. M. 8. Contrariū tenet Vega citatus in præcedenti, quāuis in cap. 22. dicat quod post tā solennē Euāgelij promulgationē verisimile est de facto nullū esse saluū sine fide Christi explicita, tamē de lege saluari possūt, Neq; sunt scripturæ aut sanctorū testimonia tā aperta pro cōmuni opinione q̄ contraria sit dānanda. Frater Alfonso Castro lib. 2. de potest. leg. pœn. c. 14. illā dixit hæreticā, cuius hæc sunt verba. Postquam dixit posse haberi de Christo inuincibilē ignorantia, si tamen ignorās fecerit q̄ in se est Deū nō permissurū talē mori sine fide Christi explicita. Nā nisi ita faciendū esse dicamus angustia nobis erunt vndiq; quoniam necessariū erit fateri illū sine fide mediatoris saluari, aut cū gratia decedentē condemnari, aut facientē quod in se est carere Deigratia; quorū quodlibet asserere impiū esset & hæreticū. Hęc Alfonso. Communis opinio se fundat in exēplis sacre scripturæ quia Cornelius iustificatus iubetur accersire Petrū a quo disceret Christū A. et. 10. Ad Eunuchū reginæ Cādacis missus fuit Philippus diaconus. A. et. 8. ibidē. 16. apparuit Paulo vir Macedo rogās vt trāsiret in Macedonia ad prædicandū qui iuxta Glos. ord. fuit angelus illi⁹ gētis assimilatus viro Macedoni proprietate linguæ, vel forma speciali, vel indicio verbi & 18. præcepit dñs Paulo in visione manere Corinthi, quia erat sibi multus populus in illa ciuitate. Nō refero autoritates quia possunt exponi de fide implicita, & de scientibus Euāgelium. Ratio pro ipsa cōmuni est quia similiter posset saluari Iudæ⁹ inuincibiliter ignorās venisse Mesia q̄ est scandalū cum iā Synagoga sepulta sit cū honore, & ceremoniæ Christum protestātes v̄turū signasint falsa neq; deceat Deū cooperari ad illa credēda, quia cooperaretur auxilio speciali ad mendaciū. Sequeretur etiā quod quilibet in lege sua saluari possit quod est hæreticū. Cū vna sit fidelium vniuersalis Ecclesia extra quā nullus omnino saluatur vt docet capit. firmiter de summa Trinit. Non autem esset scandalū audire q̄ iustificatur quādo quidem nō erit multo tēpore sine illuminatione de Christo.

ff 2

Ratio

Ratio fratris Andree. *Vege est, quia si potest, iustificari ergo & saluari quia iusto sic debetur aeterna vita, quod ei nihil deest nisi mors. Et in eo libere, ut dicitur, quod non morietur, antequam illuminetur cum sit mortalis. Neque apparet lex de opposito, & aliquos in primitiua Ecclesia verisimile est fuisse saluos sine fide Christi explicita ergo & modo possunt saluari. Qui tenuerit communem posset respondere, vel quod non erat sufficenter promulgatum Euangelium, nisi aliqui salui fuerunt, vel dando simile quare iustificatus, sic non saluatur, quia ad promerendam mercedem satis est cum domino conuenire, ad illam habendam oportet cognoscere procuratorem domus distincte, ad quem recurratur pro illa recipienda. Pater dedit omne iudicium filio Ioan. 5. quem constituit heredem vniuersorum Hebraeorum. 1. conduxit per se in vineam operarios, sed dixit procuratori, quod mercedem redderet. Matth. 20.*

Propo. 18.

Duodecim apostoli simul congregati condiderunt Symbolum, quod communiter dicitur Apostolorum, priusquam in omnem terram diuideretur, in quo incluserunt articulos fidei qui sunt ab omnibus passim credendi. Dicitur symbolum Graece, quod Latine indicium, siue nota. Sic Tullius in topicis ait per Aristoteles symbolum appellat, quod Latine est nota, hoc est signum. Dicitur etiam collatio a verbo Graeco συμβαλλω, id est confero, quia multi in unum conferunt, Terentius in Andria, Elio quid Paphilus? Symbolum dedit, coenauit. Apostoli igitur simul iuncti conferentes singuli suas particulas seu sententias illud condiderunt, quod esset signum fidelium & ipsorum met apostolorum contra falsos apostolos qui ventris, aut turpis lucri gratia docebant quae non oportebat: ut sicut duces dant sua signa suis militibus quibus in bello se agnoscat, & a ceteris distinguatur, sic se apostoli & suos hoc symbolo munire. Dicitur articulus fidei, secundum Ricardum, veritas indiuisibilis de Deo arctans nos ad credendum. Si apostolorum numerus attendatur articuli sunt duodecim, (quia Paulus & Barnabas nihil posuerunt, cum nondum essent electi) figurati in duodecim lapidibus sumptis ex torrente per duodecim viros Iosue. 4. Si attendantur veritates credendae sunt quatuordecim articuli. Et ita loquimur communiter. Septem spectant ad diuinitatem septem ad humilitatem Christi. In cuius typo Apocalypsa. Christus apparuit

apparuit in medio septem candelabrorum aureorum habens in dextera septem stellas. In stellis quae sunt de materia caelesti figurantur septem articuli spectantes ad diuinitatem: in candelabris quae sunt de terrestri spectantes ad humanitatem. Quod Apostoli symbolum condiderint docent scholastici doctores Alexa. in fine tertiae partis ubi exponit tria symbola, quae recitat Ecclesia. Et ponit haereses quas confutat & in. 4. p. q. 37. de officio Missae. Bona. Scotus Ricardus hac. d. Tho. 2. 2. q. p. art. 9. Et est sententia Hieronymi in epistola ad Pammachium contra errores Ioannis episcopi Hierosolymitani ubi tractans de resurrectione ait, In symbolo fidei & spei nostrae quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus post confessionem trinitatis, & unitatem Ecclesiae, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione includitur. Hoc symbolum docet Ambrosius lib. 3. de virginibus parum post principium, quod recensamus horis antelucanis, & quando aliquid horremus. Adicit Ecclesia Nicenum quod cantatur in Missa, & Athanasij quod dicitur in prima, quia edita sunt fidei publicata. Symbolum Apostolorum dicitur in prima & completorio sub secreto, quia fuit editum fidei nondum publicata, sed publicanda, & quia dicitur ad proprietatem conscientiae securitatem, & fidei confessio fuit maxime necessaria in primo tempore Ecclesiae, & erit in vltimis temporibus. Alii dicuntur alta voce quia sunt contra haereticorum garrulitatem. Dicitur symbolum Apostolorum maius ut dicunt Bona. & Ricardus propter pleniorum articulorum continentiam licet habeat verba pauca, & propter auctoritatem componentium. Alii faciunt maiorem expressionem, sed in ipso Apostolorum omnia credibilia continentur, & ad ipsum reducuntur. Ut sacramenta reducuntur ad remissionem peccatorum, & unitatem Ecclesiae: etiam sacramentum eucharistiae ut Bona. dicit. quauis Tho. 2. 2. q. 1. ar. 8. ad. 6. illud reducat ad omnipotentiam. Ex quo habebis quod articuli non augentur sed explicatur & declaratur. Erasmus quia fuit impudencia non est veritus dubitare de symbolo an esset Apostolorum, inquit in epistola ad lectorem praefixa paraphrasi Matt. Quod an ab Apostolis proditum sit nescio, certe maiestatem & puritatem apostolicam praefert.

Loquendo ut in plurimum & secundum quod communiter videmus, nullus hodie excusatur a culpa ignorans articulos fidei cōtē

tos in symbolo Apostolorū, & præcepta decalogi. Quia cum de credendo, & operando sit præceptum, tenemur scire quæ ad tales actus pertinent. Dixi communiter quia quotidie ista proponuntur in Ecclesijs. Posset tamē alicubi tanta esse curatorum aut parentum negligentia & forte (vt apud Indos) clericorum penuria, siue etiam alicuius educatio tam semota ab hominum consortio quod excusaretur. Illa quæ communiter in Ecclesia docentur & solennizantur ignorari non possunt, vt qui discit se signare, de trinitate, & cruce docetur. Sic de alijs vt Natiuitate Christi passione, resurrectione, ascēsu in cœlum. Neq; quādiu ignorantur hæc, & diuina præcepta peccat homo, sed tunc peccat quādo tenetur scire. Vt docet Bona. in. 2. d. 22. num. 31. Tho. 1. 2. q. 76. arti. 2. ad vltimum. Ideo non est in peccato toto tempore suæ ignorantia, sed quando vult ignorare, & quando tenetur credere & operari. Videtur teneri ad actum fidei in quatuor casibus. Primus est quando est recepturus sacramentum vt si est poenitētia quod credat actualiter, aut virtualiter peccatorū remissionē: Si Eucharistia quod ibi est corpus Christi similiter quādo adorat in missa. Secundus, quando tenetur ad actū spei & caritatis, quod credat illum à quo sperat & quem amat. Tertius est, si fidē videat periclitari in se per tentationes interiores, aut exteriores à persecutore. Quartus, quando est prædicaturus de fide. Alias sufficit habitu credere postquā iam semel actu credidit. Laudabile tamē est quotidie symbolū attente recitare. Simples nō tenentur articulos scire per ordinem, satis est quod sciant de ipsis respondere, quæ vocatur fides explicita simplicium. Aliter vocatur fides explicita, id est, distincta, secundum quam vltra id, quod articuli distinctè cognoscuntur in seipsis, cognoscuntur etiam difficultates circa ipsos, & subtilitates. Idem est de præceptis decalogi. Hoc pertinet ad maiores vt supra. p. 4. Circa articulos possunt fieri quæstiones in alijs locis, circa articulum, credo Ecclesiam, pono sequentes conclusiones.

Propos. 20.

Cū in symbolo confitemur sanctam Ecclesiam catholicā, Ecclesie vnitatē & sanctitatē cōfitemur. Vide Cyprianū in expositione symboli Apostolorū si su⁹ est liber, quia aliquibus videtur alienus, vt Turre cremata. li. 1. summē de Ecclesia ca. 20. qui allegat ipsum tanquā Ruffini. Vnitatē ponit clarè symbolū Nicenū, & Cant.

& Cant. 6. vna est colūba mea. Ephes. 4. vnū corpus & vnus spiritus. Ad idem Roma. 12. & 1. Corinth. 12. De sanctitate, ibidem Ephes. 5. Scipsum tradidit vt sanctificaret Ecclesiam, & exhiberet sibi non habentem maculam aut rugam. Notandum est autem quod nomine Ecclesie quandoq; intelligimus tēplū vbi populus cōgregatur. Iudith. 6. cōuocatus est populus & per totā noctē intra Ecclesiam orauerūt: in hac acceptione nō loquimur. Alio modo sumitur pro hominū congregatione. Loquentes nunc de Ecclesia loquimur strictè non de quacunq; hominū congregatione, sed pro collectione fidelium conuenientium in vnus veri Dei cultū & vnus fidei professionē. Isto modo Ecclesia fuit vna ab initio mundi, quā alij dicūt incepisse in Adā, alij in Abel. quia licet Adam fuerit iustus non legitur coluisse Deum signo exteriori, quod signum iuxta Augustinum contra Faustū debet esse inter illos qui conueniunt in aliquod nomen religionis. Tum etiam quia ab ipso Abel incepit diuisio inter ciuitatē Dei & diaboli vt dicit Augu. lib. 15. de ciuitate Dei. Vide Turre crematā in summa de Ecclesia. 1. li. cap. 25. Quando distinguitur Ecclesia à Synagoga, sumitur Ecclesia pro collectione fidelium tempore gratie, quoniam & Synagoga Iudæorū vocata est Ecclesia. Num. 16. Surrexerūt cōtra Moysen ducēti quinquaginta viri proceres Synagoge. Sed. 20. Cur eduxistis Ecclesiam domini in solitudinē? 1. Reg. 17. dixit Dauid Goliath. Nouerit vniversa Ecclesia hæc, quia nō in gladio saluat dñs. 3. Reg. 8. Benedixit Salomō omni Ecclesie Israel, omnis enim Ecclesia Israel stabat. Post tēpus gratie Ecclesia nō est ampli⁹ vocata Synagoga quia licet idē significēt, Synagoga enim valet id, quod cōgregatio, Ecclesia id, quod conuocatio, sunt namq; Græca vocabula. Cōuocari tamē est hominū, cōgregari etiā est pecorū. Fit ergo distinctio rationalitatis populi Christiani supra populū Israeliticū ex ipsis vocabulis. Ecclesie sanctitas consistit primò in eo quod habet fidē sanctā & sacramēta sancta. Secūdo quia recta fides in ea non deerit, imo neq; erit informis in omnib⁹ Christianis, quia semper erūt in ea sancti in quibus sit fides formata. Vnde Glossa interli. super id Matt. 16. super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meā & portē inferi nō preualent aduersus eam ait. Non separabunt eā à caritate mea & fide. Paulus. 1. Timoth. 3. vocat eam columnam & fundamentū veritatis.

ratis. Ose. 2. dicitur, Spōsabo te mihi in sempiternū, & protinus. Spōsabo te mihi in fide. Matth. vltimo. Vobiscū sum vsq; ad sæculi cōsumptionē. Quæ verba nō possūt intelligi de apostolis quia non vixerunt vsq; ad cōsumptionem sæculi. Neq; de præsentia qua Deus est vbiq; igitur de fide & caritate, aut de sacramento eucharistiæ etiam. Vide infra. p. 22. hæresin Lutheri.

Propos. 21.

Huius Ecclesiæ caput est Christus Dñs vt habes supra. d. 13. p. 4. Cuius vicarius est pōtifex Romanus. Ita definitū est in Cōcilio Cōstantiensi, vbi inter dānatos errores Viclephi. 37. dicebat. Ecclesia Romana est Synagoga Sathanæ, Nec Papa est immediatus & proximus vicarius Christi. Est & definitio Cōcilij Florētini cōtra Græcos & Armenios negātes Papæ autoritatē sic inquiēs. Definimus sanctā Apostolicam sedē & Romanū pōtificē in vniuersum orbē tenere primatū, & ipsum pontificē Romanū successorē esse Beati Petri & verū Christi vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput. Hoc est cōtra Lutheranos qui nos vocant Papiſtas, eò quod Papæ tanquā Christi vicario paremus. Maiores Ecclesiæ causæ ad ipsum, & difficiliiores sunt referendæ. Patet ex cap. Maiores, de baptismo & eius effectu, & per epistolā primā Anacleti, qui quartus à Petro rexit Ecclesiam in qua dicit quod Apostoli Dñi iussu statuerunt vt maiores & difficiliiores quæstiones ad se dē referātur Apostolicā, vide & capit. Sacrosancta. d. 22. quod est eiusdē Anacleti. Cyprianus li. 1. epist. 3. ad Cornelium ait. Neq; aliud de hæreses obortæ sunt aut nata schismata quā inde quod sacerdoti Dei nō obtēperatur, nec vnus in Ecclesia ad tēpus sacerdos & iudex vice Christi cogitatur. Nō vero Ecclesia est corpus biceps, quia papa est caput sub capite Christo nō influēs in animas virtutes & dona interiora sed exterius ministeriū, vnde illi non quadrat esse caput secundū omnes conditiones, secundum quas Christo conuenit. Et iuxta Aristot. 3. Topic. cap. 3. dictum. Vbi vnum propter aliud, ibi tantum vnum. Scotus in hoc. 3. d. 13. ante literam. H. docet quod de potentia ordinata non possūt esse duo capita, hoc est duo Christi, sicut neq; duo suprema in eodem ordine: ita etiam dicendum quod neq; esse possunt duo summi pontifices simul. Sed de hoc infra in. 4. d. 19.

Propos. 22.

Cōciliū vniuersale, in quo conueniūt patres cū papa, siue papa p se assistat, seu p legatos errare nō potest in decernēdis quæ sunt fidei,

fidei: neq; in his quæ ad mores pertinent, puta Ecclesiam docendo vitia pro virtutibus tanquam ad salutem necessaria. Et quanuis coincidere videatur cū fide, tamen est differentia, fides enim est circa colenda, mores circa operanda. Probatur quia cōciliū repræsentat totā Ecclesiā, sed Ecclesia nō potest errare ergo neq; conciliū. De minori vide supra, p. 9. Maior patet Act. 15. cū ad videndum de ceremonijs veteris legis conuenissent apostoli & seniores, facta discussione dicitur. Tunc placuit apostolis cum omni Ecclesia, vbi non dicitur vocata vniuersa & promiscua fidelium multitudo. In decreto dixerūt. Visum est Spiritui sancto & nobis. Tertij Reg. 8. vbi conuenissent ad Salomonem maiores natu Israel benedixit Rex vniuersæ Ecclesiæ. Vbi non cōuenerat vniuersus populus qui dispersus erat per regnum. Facit in hęc Deut. 17. vbi res difficiles iubentur ad sacerdotes deduci. Vide & supra. d. 23. ante sextam. p. Cognoscitur aliquid tanquam de fide determinatum, quando ponitur anathema contrarium asserenti, aut esse de fide explicatur. Aliqua concilia errauerunt sed fuere prouincialia de quibus non loquitur concil. vt Carthaginense docens baptizatos ab hæreticis fore rebaptizandos. Atq; Elibertinum docens imagines à templis auferendas, sed quia fuere prouincialia eorum decreta Ecclesia non recepit. At Elibertinum sane fuimus & reuerenter interpretati supra. d. 9. p. 8. Aliqua etiam generalia quia contra voluntatem Papæ aut sine ipso, qui est caput, fuere congregata: aut quia legati Papæ instructionem non seruauerunt tunc tantundem erat ac si Papa non adesset respectu eorum, quæ sine ipso decernebantur. Quapropter finito concilio Papæ confirmatio postulatur. Grauis autem questio est si in aliquo casu possit concilium sine Papa congregari Parisiensium opinio est quod sic, & quod possit ipsum Papā deponere, si est Ecclesiæ regimini inutilis. Scripsit pro hac Almainus tractatū de autoritate Ecclesiæ. Et hoc excepta causa hæresis. Nā si esset hæreticus nō est dubiū quin possit congregari, & Papam deponere. Imo secundum aliquos ipso facto quod est hæreticus est de iure diuino depositus, quicquid sit de iure humano, à quo iure humano, ait, quod nihil certum discere possumus. Ita Frater Alfonsus Castro lib. 2. de hæret. puni. cap. 23. Turcremata lib. 2. cap. 12. ad. 7. argum.

Itali quos ex magna parte sequuntur Hispani tenent Papam esse supra Conciliū contra Parisienses. Vide Turrecre. libro tertio summae capi. 58. Caiet. de autoritate Papae & Concilij; & in apologia qua respondet Almaino quod Papa non possit iudicari nisi propter heresim docet cap. si Papa. d. 40. quod propter quaeuis crimina à nemine est iudicandus nisi deprehendatur à fide deuius. facit capitu. Oues. 2. q. 7. Confessionem fidei à Papa suspecto exigunt imperator, & catholici reges. cap. Satagendum. 25. q. 1. Haec nostra. 11. conclus. est contra Lutherū, & alios haereticos dicentes conciliū & Ecclesiam posse errare. Quod dictū est de Concilio dicendum est de ipso Papa quod non possit errare utique sententiando aliquid tanquam de fide, aut moribus tenendū ab ecclesia (qui aut singularis persona errare potest) quod est non solū contra haereticos verum contra aliquos catholicos ut Adrianū. in 4. q. vltima de confirmatione. Almainū. tracta de autorit. Ecclesiae. ca. 10. Sed ad sententiandum debet tāquam iudex procedere, faciendo suum examen, consulendo viros peritos. Neque hoc est cōgregare Cōciliū vt obijcit Almainus. & quod propterea non errat. In casu quod sine tali examine ex proprio cerebro definiret etiā si de tali re sequatur doctorū opinionē aliquā, bene credo errabit: Sed eius definitionē Ecclesia non recipiet. Ita errauit Papa Ioan. 22. mandans teneri quod animae purgatae ante finale iudiciū Deum non videbant, & quod nullus Parisijs Theologiae gradū reciperet nisi hunc iuraret articulū eius tamen definitio non fuit recepta. Vide Ocham in dialogo aduersus hunc errorem. Turrecremata lib. 2. summae. cap. 109. & 110. est pro hac sententia quanuis postea lib. 4. parte. 2. cap. 16. in modo. 17. est in oppositum. Si possit errare in canonicatione sanctorum vide supra. d. 3. p. 5. in fine. Et Alfonso Castro. libro primo de punitio. haeret. capitulo sexto. in illis autem, quae sunt de facto tam Papa quam Ecclesia possent errare quia in talibus non est animarum periculum si erretur, vtuntur etiam medio fallibili puta testibus. v. g. an Ioannes fuit electus rite in episcopum, aut imperatorem? si regni successio in hunc deueniat. Inde legitur in historia Stephani Papae Sexti quod coacto concilio damnauit Formosum Papam & eius ordinationes, quia ipsum non credebat Papam. Ex his tribus vltimis infertur Ecclesia non esse inuisibili-

Corol.

sibile & spiritualem vt voluerūt haeretici nostri temporis, Nam quae pro Petro in carcere orabat act. 12. non erat incognita: sed congregatio fidelium; Similiter. 20. vocatis maioribus natu Ecclesiae dixit Paulus: quoderant episcopi positi ad regendam Ecclesiam, & peccans denuntiandus Ecclesiae. Matth. 18.

DISTINCTIO XXVI.

De spe Secunda virtute Theologica.



Necessario est ponendus habitus spei infusae, probatur sicut de fide.

Propos. 1.

Iste habitus est virtus Theologica, quia habet Deum pro obiecto. Secundū aliquos ad esse virtutē Theologicā requiruntur tres cōditiones. Prima, quod respiciat Deum pro obiecto Secunda quod habeat pro regula primam regulam actuum humanorum, non autem regulam acquisitam. Tertia, quod infundatur à Deo. vide de his tribus Scotum hac. d. litera. f. Gabrielē & Almainū. Circa secundā est aduertendū quae sit prima regula humanorū actuum. Scotus vbi supra dicit quod prima veritas: Et sic spes nō desiderat quod prudentia acquisita dicat esse desiderandū; sed quod prima veritas reuelat esse desiderandū Almainus dicens prudentiā acquisitā esse regulam actuum humanorum quae dirigit circa virtutes morales, refert aliquos dicentes quod ista regula de qua est secunda cōditio non est prudentia acquisita seu acquisibilis humanitus, sed est prudentia ex reuelatione. Prudentia haec ex reuelatione non video quae sit quae consilietur, iudicet & dicet de actu spei, quae sunt tres partes prudentiae vt infra. disti. 33. p. quarta de prudentia, nisi sit fides cum diuino auxilio, quod non minus est necessarium ad sperandum quam ad credendum. Nam fides docet quid, quomodo, quando sperandum, & est in intellectu sicut prudentia acquisita est in intellectu. Videtur igitur quod ista regula sit fides, quando quidem est substantia sperandarum rerū; Sed est regula in ratione habitus regulantis spei, quia prima

Propos. 2.

veritas quā ponit Scotus est in ratione obiecti regulantis habitū vt ipse ait. Innititur namq; fides Deo, qui est prima veritas. Tertia conditio viderur extrinseca ad virtutem Theologicam, quoniam ante Concilium Trident. versabatur in opinione si virtutes infundebantur. Vide in primo. d. 17. & capit. Maiores de baptismo & eius effectu. Neq; video fuisse sub dubio, quod essent virtutes theologicæ, igitur proprie esse theologicā habet virtus ab obiecto, sed supernaturaliter noto. Hoc dixerim cōtra spē innitentē notitiæ Dei habitę viribus nature. Si dicas: ex quo tertia conditio est extrinseca spes acquisita erit virtus theologica. Cōcedunt Almainus & Gabriel capiēdo large Theologicam. Scotus procedit dubitando si omnes tres conditiones requiruntur, aut si duæ. Perinde potest de theologia procedi, quia habet duas primas conditiones, licet sit acquisita. Dictumque fuit in prologo quod non distinguitur contra fidem sed abstrahit à fide, & est distinctus habitus ab habitu fidei, & sic est habitus theologicus.

De hac virtute philosophandum sicut circa fidem, quod sumatur pro habitu. 1. Corinth. 13. Manent fides, spes, caritas tria hæc, maior autem horum est caritas. Pro obiecto. Roma. 8. spes quæ videtur non est spes. Expectantes beatam spē, & aduentū gloriæ magni Dei. Pro actu. Debet in spe qui arat arare. 1. Corinthi. 9. psalm. 30. in te domine speravi. Ad eum modum de spe formata, & informi: si spes informis adueniente caritate fiat formata. De actu spei informis quod est sperare de Deo: spei formatæ sperare in Deum videatur Alexan. 3. part. q. 75. M. 3.

Propos. 3. Spes pro habitu sic definitur, aut describitur à Magistro, spes est virtus qua spiritualia, & æterna bona sperantur, id est, cū fiducia expectantur. Pro actu: Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis veniens ex gratia Dei, & ex meritis præcedentibus vel ipsam spem, vel rem speratam, id est, beatitudinem. Vnde ex his sic possumus formare descriptionem. Spes est habitus à Deo infusus, quo voluntas inclinatur ad expectandum cum fiducia bonū infinitum, ex gratia Dei & proprijs meritis. Ad huius intellectum considerandum est aliter loqui philosophos de spe, aliter theologos. Theologi loquuntur de spe virtute infusa, philosophi de spe passione. Quæ passionēs seu affectus sunt

sunt quatuor vide Aristot. 2. Ethic. cap. 5. Boetium lib. 1. de consol. Metro. 7.

*Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq; fugato.
Nec dolor adsit.*

Spes igitur passio, & spes virtus conueniunt in aliquibus, & in aliquibus differunt. Conueniunt primo, quia ambæ sunt circa bonum tamquā obiectum. Non enim speramus nisi bona, in quo differunt à timore, quia mala timentur. Illud Didonis apud Vergilium. 4. Æneidos:

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,

Dicitur improprie pro timere, aut saltem nō secundum quod in præsentī philosophamur. Quod aliqui dicunt spem esse etiam de malo vitando, dicitur, quod illa superatio mali habet quid boni. Secundo conueniunt in hoc, quod tale bonum est futurum, quia de præsentī non est spes, sed gaudium. Tertio, quod tale bonum sit arduum & difficile. Non enim sperat quis quod est facile, & in sua potestate, in quo spes differt à cupiditate. Quarto, quod sit speranti possibile adipisci, quia si apprehenditur vt impossibile non speratur, sed desperatur, in quo differt à desperatione. Hæc etiam quatuor conueniunt spei virtuti morali. Sed tamen spes virtus Theologica differt in obiecto, quia non sperat quodcunque bonum, sed beatitudinem. Siue obiectiuam quæ est Deus, vel subiectiuā, qua perficitur anima beati. In eo quod in descriptione ponitur gratia Dei, & ponuntur merita nostra exprimitur modus quo beatitudo est nobis possibilis, quia ad eā non sufficiunt vires naturales. Rom. 6. Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu. Ponit merita præcedere spē, quia actus sperandi de quo ibi Magister loquitur, non procedit solum ex præsentibus meritis, sed ex præcedentibus actum, hoc est, de præteritis, & ipsa merita præcedunt beatitudinem. Sine meritis est præsumptio. Si autem sperat ex meritis futuris habendis, tunc non præsumit: quia spes sicut fides non amittitur per quodlibet mortale, & inclinatur peccatorem ad sperandum, si non ex præcedentibus, tamen ex futuris. Cadunt sub obiecto spei media supernaturalia antecedentia ad consequendam beatitudinem, vt gratia, auxilium specia-

le, & consequentia, vt glorificatio corporis, Philippē. 3. Saluato-
rem expectamus Dominum Iesum Christum qui reformabit
corpus humilitatis nostræ. Contra hanc Magistri definitionem
1. Argu. dupliciter opponunt hæretici Lutherus, & sequaces. ¶ Primo, q
spes non procedat ex nostris meritis, quia confidentes in suis me-
ritis reprehenduntur per Scripturam. Prouerb. 12. Qui confidit
in cogitationibus suis impie agit. Et Phariseus Lucæ. 18. qui ope-
ra sua commemorabat. ¶ Secundo. Si spes est certa expectatio,
2. Argu. nobis ipsis cōtradiciamus, cum dicamus neminem esse certum de
sua beatitudine. Imo & Concil. Trident. sibi ipsi contraria diffi-
niuit, Sic obijciebat Calvinus, quia Sessione. 6. cap. 9. 12. & 13. de-
creuerat neminem esse certum de sua gratia, de sua prædestina-
tione, de sua perseuerantia. Postea Canone. 26. decernit, quòd
debent sperare certo beatitudinem. Quomodo stant firmissima
spes, & suspensa expectatio? ¶ Dicimus ad primū, quòd illi re-
prehenduntur qui totam spem in suis operibus ponunt, aut in
eis principaliter, quia tales superbi sunt, similes Phariseo. Defi-
nitio seu descriptio dicit spem procedere ex gratia Dei principa-
liter, & ex operibus nostris simul. Neq; sacræ literæ repugnant,
sed fauent nobis. Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus scientes,
quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, pro-
batio spem, spes autem nō confundit. Ecce de primo ad vltimū:
ex nostra patientia in tribulatione propter Christum procedit
spes. Tobix. 4. Fiducia magna erit, coram Deo elemosyna om-
nibus facientibus eam. 1. Ioan. 3. Si cor nostrum non reprehēdit
nos fiduciam habemus apud Deum, & quicquid petierimus, ac-
cipiemus ab eo, quoniā mandata eius custodimus. Potest ad hoc
dari simile in mercenario: qui expectat mercedem pro suis ope-
ribus promissam, & in tali expectatione confidit de veritate &
bonitate promittentis, aliās cum eo non conuenisset, confidit
etiam in suis operibus. Vitam nostram Iob comparauit mercena-
rio. cap. 14. Sicut mercenarij dies eius: & in parabola Euangelij,
Matthæi. 20. de patrefamiliās conducente operarios in vineam
suam. Hæc sententia Magistri definita fuit in Concilio Triden-
tino, Sessione. 6. capit. 16. & Canone. 26. dicente: Si quis dixerit
iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta,
expectare, & sperare æternam retributionem per eius miseri-
cordiam,

Ad pri-
mum.

cordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mā-
data custodiendo vsque in finem perseuerauerint, anathema
sit. Dicit à Deo per Christi meritum, intellige, principaliter:
quia licet sperare per merita, & orationes aliorum secundo,
& hoc non est contra id Hieremiæ. 17. Maledictus homo qui
confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, quia addi-
dit, & à Domino recedit cor eius: sed sperando in Deo princi-
paliter, non receditur à Deo. ¶ Ad aliud vide Bonauentu, hac di-
stinctio. articu. 1. quæstio. 5. Ricardus, articu. 4. quæstio. 2. dicunt
enim, quòd est duplex certitudo, vna fidei quæ opponitur erro-
ri & dubitationi, & ista est in intellectu. Alia spei quæ oppo-
nitur diffidentia, & ponitur in voluntate quæ certitudo compati-
tur secum dubitationem de absoluta consequutione rei speratæ,
quia illa nō prouenit in homine ex parte diuinæ misericordiæ,
cui spes innititur, sed prouenit à vertibilitate proprii arbitrij.
Propterea stat sperare sine diffidentia, & tamen dubitare de sua
saluatione, quia talis dubietas se tenet ex parte intellectus. Vn-
de licet ex parte fidei sit certitudo sine dubitatione, quòd præ-
destinatus, saluabitur tamen de particulari, Ego sum prædesti-
natus, non est certitudo fidei: & tamen certo spero. Est enim cer-
titudo in actu spei, vt Ricardus vbi supra: & Thomas. 2. 2. quæ-
stio. 18. articulo. 4. dixerunt participata à certitudine fidei,
sicut agentia naturalia dicuntur operari certitudinaliter, quia
determinantur ad finem à Deo certitudinaliter mouente: ita fi-
des communicat actu spei certitudinem, vt sit sine diffidentia.
Exemplum in humanis, quando sine diffidentia speramus ab
amicis, de quibus tamen intellectus non cognouit certitudi-
nem sine dubitatione quòd illa dabunt. Hinc patet quomodo
debeamus in oratione petere cum fiducia, id est, sine diffiden-
tia, de diuina omnipotentia, & misericordia. Hoc significat fi-
des, quando Christus iubet nos credere quòd accipiemus, Mar-
ci vndecimo, & Iacobus. 1. c. Postulet in fide, id est, cū fiducia ni-
hil hæsitans. At nō certo scimus, neq; credimus certitudinaliter
quòd accipiemus, cū quid oremus, sicut oportet nescimus, Rom. 8.
Spes subiectatur in voluntate: Hanc docent Bona. citatus vbi
supra, & q. vltima. Thom. 2. 2. q. 18. ar. 1. Ricard. artic. 5. quæst. 3.
Et per hoc differt à spe passione, quæ est in appetitu sensitivo, &
inuenitur

Ad secun-
dum.

Propos. 4.

DISTINCTIO XXVII.

*De caritate in se, & de eius praecepto**Propos. 1.*

CARITAS est habitus infusus à Deo voluntati, quo diligitur Deus propter se & proximus propter Deum, vel in Deo. Estq; virtus Theologica. Ad hanc vide multa in. 1. d. 17. & in. 2. a. d. 26. & que ad. 30. de essentia caritatis, & quæ dicta sunt

Argumentum.

de virtutibus Theologicis. **C**ontra hanc arguitur, quòd ad Deum non potest esse talis virtus, quia illa esset amicitia, ut patet ex actu qui est amare, sed ad Deum non potest esse amicitia. Probarur: Amicitia tria importat: benevolentiam, mutuam affectionem, hoc est redamationem, communicationem, seu conuictum. Ita Aristoteles. 8. Ethicorum. capit. 2. ubi dixit amicitiam esse benevolentiam non latentem in mutua affectione. Perly, non latentem intellige, non tantum quòd audire & cognoscere se debent amici, sed quòd mutua affectio non lateat quin sibi conuiuant. Propter quod cap. 5. dixit: Nihil est ita amicorum ut simul vivere. Nam qui se mutuo admittunt, nò tamen simul viuunt beneuolis potius, quàm amicis similes sunt. Deo non possumus esse beneuoli, quia beneuolentia est velle alicui bonum eius causa, & iste vocatur amor amicitiae, quoniam bonorum nostrorum non indiget. Psalm. 15. sunt quippe in ipso omnia bona. Neque possumus illi conuiuere qui in caelis habitat: neque est mutua redamatio, quia debet esse inter æquales. Vnde ipsemet Aristot. cap. 7. propter multam distantiam hominis ad Deum dicit, inter deos & homines non esse amicitiam. Huic argumento respondet Scotus hac dist. ad primum principale, quòd caritas potest dici amicitia propriè, quamuis non ita strictè ut accipit amicitiam Aristot. Sed extendendo nomen amicitiae, quia ad Deum est aliquid excellentius amicitia, quæ potest vocari superamicitia. Inueniuntur in ea illæ tres conditiones, quia Deo volumus bona quæ habet complacendo nobis, quòd illa habeat, ut quòd sit, quòd bonus sit, sapiens, iustus. Aliqua bona non sunt intrinseca Deo, ut quòd honoretur, quòd ei obediantur. Hæc nobis complacent quando sunt, procuramusque illa,

trista-

tristamur quòd offendatur. De vtrisque bonis quatuor animalia, & viginti quatuor seniores dabant gloriam Deo, Apocalypsis. 4. & 5. dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Dignus est agnus accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & 7. capita. Benedictio & claritas, & cætera. Inuenitur communicatio, Philippenses. 3. Nostra conuersatio in caelis est. Aristoteles posuit amicitiam civilem quæ est inter ciues, paternam, fraternam, regiam, familiarem. Ita in Scriptura hæc communicatio similibus nominibus exprimitur inter Deum & hominem, ciuium. Ephesios. 4. Estis ciues Sanctorum & domestici Dei, Sponsæ in Canticis: & Apocalyp. 21. Vocatur sponsa & vxor. Dicimus & Pater noster. Matth. 6. Vocatur & frater. Cant. 8. Quis det mihi te fratrem? Rex vocatur Deus sæpissimè. Psalm. 2. Constitutus sum Rex ab eo: vocatur & paterfamilias. Matth. 20. & 24. Beatificatur seruus constitutus à Domino super familiam suam: est & mutua redamatio. Ioannis. 14. Qui diligit me, diligitur à Patre meo. Proverb. 8. Ego diligentes me diligo, est & similitudo; quoniam ad imaginem & similitudinem Dei factus est homo.

Caritas sumitur pro obiecto, pro habitu, & pro actu. Pro obiecto. 1. Ioannis. 4. Deus caritas est. Pro habitu. 1. Corinthiorum 13. Manent tria hæc. Romanorum. 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris. Pro actu. 1. Timoth. 1. Finis præcepti est caritas. Nam præcepta dantur de actibus qui sunt in nostra potestate, & non de habitu. Ita docet Alexand. 4. p. quæst. 54. M. 1. articulo. 1. ad sextum argumentum. Et Scotus in hoc. 3. distinct. 9. littera. B. quòd tentio non est propriè de virtute, sed de actu. 1. Ioã. 5. Hec est caritas Dei, ut mandata eius custodiamus. Sunt quatuor in Scriptura ferè idem significantia. Amicitia, Amor, Dilectio, Caritas. Dicit autem Arist. 8. Ethic. c. 5. quòd amicitia habet similitudinem, dilectio affectui, hoc est passioni. Alia translatio pro dilectione habet amor, unde amicitia significat per modum habitus, amor & dilectio per modum actus. Verum est tamè quòd in Scriptura quæ loq. pro eodem sonant. Cant. 8. Fortis est ut mors dilectio. Vbi ex gloss. ordi. tumitur pro habitu. Nam ait: Subiungit de dilectione, ut non ex merito ostendatur de-

hh 2 Eccl. 1.

Ecclesie, ergo intelligit de habitu, de quo Paulus Rom. 11. Si ex operibus iam non est gratia, Eccle. 1. Dilectio Dei honorabilis sapientia: ubi eadem glossa ex Rabano. Caritas Dei vera est sapientia, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Pro actu Roma. 13. Plenitudo legis est dilectio. Sed lex non precipit nisi de actibus. Amicitia pro actu. Exod. 34. Caue ne cū habitatoribus terræ illius iungas amicitias, id est, facias illis opera, quæ fiunt amicis. Pro habitu, quia ipsa facit amicos Dei. Ioannis. 15. Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Amor videtur inter illa esse terminus, seu vocabulum magis commune: quia potest competere cuiusque inclinationi, quæ est in bonum. Sic dixit Arist. 1. Ethic. c. 1. Bonū est quod omnia appetunt. Et. 2. de anima, tex. cōm. 34. seu cap. 4. q. vniuersa appetunt semper esse vt conditionē subeant quoad possunt diuinā. Hic vocatur à Dionysio. 4. de diuinis nominibus: Amor naturalis, & est inclinatio quæ nō distinguitur à re, cuius est. Si talis amor præsupponat apprehensionem animalis, vocatur amor animalis. Si talis apprehensio sit cognitio rationis, vocatur amor rationalis seu intellectualis: qui si est tantum inclinatio in bonum sine deliberatione, dicitur esse à voluntate, vt natura. Si est cum deliberatione, est amor electiuus, qui propriè dicitur dilectio, quamuis in Scriptura irrationabilia dicantur diligere. Eccle. 13. Omne animal diligit sibi simile: sic & omnis homo proximum sibi. Si talis amor sit per habitum caritatis infusum vocatur amor caritatis, seu caritas & amor gratuitus. Vide Ricardum hac distinct. q. 1. Tho. 1. 2. quæst. 26. Sicut amor passio, qui nihil aliud est quā completio appetitus in appetibili præsentato ab æstimatediua sub ratione conuenientis, mouet appetitum ad desiderandum & prosequendum appetibile quando non habet: ad gaudium & voluptatem, quando habet & in ipso quiescit, & talis appetitus sic motus mouet animal; quo fit, vt ipse appetitus sit mouens, & motus: fiatque vnio amantis cum amato, & transformetur amans in aliquam similitudinem amati, vt aer transformatur in lucem à qua illuminatur, non faciendo, quod amans & amatum sint idem formaliter, sed quod sint similes: ita ad hunc modum est de rationali voluntate in suo actu philosophandum.

Propos. 3. Quamuis habitus caritatis infundatur simul cū fide, & spe, tamen

tamen actus caritatis est posterior generatione, quam actus fidei, & spei: perfectione est prior. Vide Bona. d. precedentin numero. 51. Thom. 2. 2. q. 17. art. 8. facit Arist. 9. Metaphy. cap. 9. Quæ generatione posteriora, specie & substantia (id est perfectione) priora sunt. Vt vir puero, homo spermate. Ad hanc est Glossa. interli. Matt. 1. Abraham genuit Isaac, Isaac autē Iacob. id est fides spem, spes caritatem. Ratione, quia nihil volitum quin præcognitum, & inuisa possumus amare non autem incognita ergo prius est Deum cognoscere per fidem, quam amare per caritatem item de spe, imperfectius est amare aliquid amore concupiscentiæ tanquam bonum sibi; quam amare amore amicitie & propter se: Sed spes desiderat amore concupiscentiæ; caritas amat amore amicitie igitur actus spei est prior. Sic videmus in amore imperfecto quod quis amat illum à quo aliquid sperat, & habere desiderat, amando prius illa bona sibi, quā amet alium propter se. Ex quo fit quod in amando nos ipsos, prior est amor amicitie quam amor concupiscentie: in amando alia à nobis prior est amor concupiscentie. Secundo ex comparatione edificij corporalis cui assimilatur ædificatio & structura spiritualis, quia prius est fundamentum, post parietes, vltimò tectum. Fidei actus comparatur fundamento, spes parietibus, caritas tecto. Quod actus caritatis sit perfectior, patet, quia caritas est forma virtutū, & nullus actus est meritorius nisi eliciatur aut imperetur à caritate, vnde neque primus actus fidei neque primus actus spei sunt meritorij nisi imperetur à caritate. Vt est in illis qui primo audiunt fidem & credunt, & desiderant sibi beatitudinem. Verba Magistri. d. 26. quod caritas natura præit spem exponit Thomas vbi supra. 3. ad quod intelliguntur de spe formata, quam naturaliter præcedit caritas, & merita ex caritate causata. Bonaventura negat Magistrum quia in. 1. d. 17. dixit caritatem esse spiritum Sanctum. & non habitum creatum; nunc locutus est secundum illum suum modum, in quo nō tenetur. Habito actu caritatis, actus spei est perfectior quia ab amicis in quibus nos iā ostendimus beneuolos, & beneficos maxime speramus, & spes est ex meritis vt dictum est. d. 26.

Huius habitus Deus est obiectum formale, seu primum primitate virtutis, id est ratione cuius diliguntur cetera. Et aliud sub

Propos. 4.

Et id sub ratione deitatis quia est infinite bona in se. Hanc docet S. o. hac. d. litera. c. probatur prima pars. 1. Ioā. 4. Hoc mādatū habemus a Deo ut qui diligit Deum diligat & fratrem suum ergo Deus est propter quem proximi diliguntur: Et sic est obiectum formale tam actus qui distinguitur per obiectum, quam habitus qui distinguitur per actus. Secunda pars. probatur. Habitus caritatis est excellentissimus iuxta Paul. 1. Corint. 12. excellentiorem viam vobis demonstro & subdit totum capit. 13. de caritate ergo respicit Deum sub ratione perfectissima, talis est deitas infinite bona in se. Thom. 2. 2. quæstion. 23. articulo quarto & quæstio. 26. articulo tertio videtur quantum ad faciem dicere quod bonitas Dei in quantum est obiectum beatitudinis sit ratio formalis amandi, sed vide ibi Caietanum. ¶ Sed contra deitas in se est obiectum omnium trium virtutum Theologicalium, ergo tres virtutes non sunt ponendæ; sed vna tantum. Patet antecedens supra distincti 26. p. secunda. consequentia probatur quia habitus distinguuntur per obiecta formalia. Ad hoc dicendum quod Deitas est obiectum generale trium virtutum, ratione veritatis est obiectum fidei; ratione beatificantis est obiectum spei; ratione bonitatis est obiectum caritatis. Et est hæc differentia. Quod est obiectum caritatis ut bona est in se, hoc est infinite bona: obiectum spei ut est bona nobis. Vnde in vna virtute cōsideratur ut bonū generale; in alia ut speciale. Conclusio non dicit absolute quod deitas in se est obiectū formale caritatis, sed quia est infinite bona in se. Ex hac inferitur quod eadē caritate diliguntur Deus, & proximus; ita docet Magister licet motus alia ratione sua, quod caritas sit spiritus sanctus.

*Argum.**Soln.**Corol.**Propos. 5.*

Modus dilectionis Dei exprimitur secundum quatuor circumstantias Matthæi. 22. Marci. 12. Lucæ. 10. Ex toto corde; ex tota mente, ex tota anima, ex tota virtute. Per cor intelligitur voluntas, quæ est principium referens actus aliarum potentiarum in Deum, sicut cor est omnium motuum corporalium principium. Psalmo. 36. dicitur de iusto. Lex Dei eius in corde ipsius, id est in voluntate. Sicut Psalmo. 1. in lege Domini voluntas eius. Per mentem intellectus; Per animam appetitus animalis, secundum quem dicimur vivere vitam animale. Genesis primo factus est homo in animam viventem, id est, vitam animale

malem & sensibilem corpori dantem. Per virtutem seu fortitudinem, seu vires, quæ idem sunt, intelligitur vis executiva exterior. Aliter adaptantur hæc circumstantiæ ab alijs, vide Bona. quæstio. literal. numer. 4. Habet ergo dilectio Dei modum secundum circumstantias debitas, non tamen habet modum, id est, medium inter defectum & excessum. Sicut habent virtutes morales, quia in actu diligendi Deum nunquam est excessus iuxta illud Bernardi lib. de diligendo Deum. Causa diligendi Deū Deus est: modus autē sine modo diligere; quia Deus est diligibilis in infinitū. In alijs virtutibus Theologicis etiā non est modus quia quantumcūque aliquis credat & speret, potest amplius credere & sperare.

Modus diligendi proximum, exprimitur, ut cum homo diligit sicut seipsum Magister in litera explicat, ut diligatur ad quod, & propter quod debet seipsum diligere. Hoc est, ad Deum, & propter Deum. Vel quia iustus est, vel ut iustus sit. Aliter enim non bene quis diligit se, & proximum Psalmo. 10. Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Afferit Magister. id Ioan. 13. Mādatum novū do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos: exponit, ad quod dilexi vos ut filij sitis & vitam habeatis. Aduertes autem, quod dicitur, sicut, dicit similitudinē, nō æqualitatē. Est quia proximus omnis homo ut. d. sequenti.

Propos. 6.

Hæc duo præcepta implentur vnum in altero. Magister in litera. Probatur quia diligendo proximum diligitur Deus, qui est ratio diligendi cætera diligibilia ex caritate. Diligendo Deū diligitur proximus quem ipse vult diligi. Vnde Paulus. Galat. 5. omnis lex in vno sermone impletur, diliges proximum sicut teipsum.

Propos. 7.

Præceptum diligendi Deum est primum, & magnum in lege ut ex Christi responsione patet Matth. 22. & cōtinetur in decalogo. Hoc est contra Tho. 1. 2. q. 100. art. 3. & art. 11. dicentem quod inter decalogi præcepta non continentur prima & cōmunia præcepta legis naturæ per se nota, qualia sunt præcepta dilectionis Dei & proximi. probatur conc. quia ille scriba in Euāgelio de maximo, & primo mandato legis Moysæ petebat. Quia primū mandatū Exod. 20. ponitur. Nō habebis Deos alienos contra me: deinde ponitur. Ita nouē. Etiam. 34. ponitur. Noli adorare Deū alienum. Deos conflates non facies tibi: protinus ponit alia

Propos. 8.

alia præcepta de solēnitatibus & primitijs. Ad idem Deut. 5. primo ponitur. Non habebis Deos alienos in conspectu meo. Sed postea in. 6. primo ponitur. Audi Israel. Dominus Deus vester Deus vnus est. Diliges Dominum Deū tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Et quauis non ponantur infra omnia cætera præcepta ponitur tamen secundum præceptum sub hoc. Dominum Deum tuum timebis & illi soli seruias, ac per nomen illius non iurabis. Ex his videtur orta quæstio quod esset primum mandatum & magnum, nunquid non habere Deos alienos, aut dilectio Dei? Vnde Glossa interli. supra ly primum Marci. 12. dicit. Cum in diuersis libris diuerse ordinentur. Hieronymus quem citat Gloss. ordi. atque idē Thomas in sua catena super Marcum. Quæ est hæc quæstio problematica, quod est cōmune omnibus peritis in lege, nisi quod diuersa in Exodo, Leuitico, & Deuteronomio ordinantur mandata, vnde non vnum sed duo intulit mandata, quibus quasi duobus vberibus super pectus sponsæ eleuatis nostra alitur infantia? Et ideo subditur. Primum mandatum est. Audi Israel. Dominus Deus tuus Deus vnus est. Primum omnium, maximum mandatum dicit, Hoc est quod ante omnia debemus in corde singuli quasi vnicum pietatis fundamentum locare, id est cognitio atque cōfessio diuinæ vnitatis cum executione bonæ operationis, quæ in dilectione Dei & proximi perficitur, vnde subditur & diliges Dominum &c. Hæc Glossa citata à Thoma. vbi est aduertendū quod vsque ibi, alitur infantia, sunt verba Hieronymi in originali; cætera sunt verba Glossæ. Ex quibus verbis duo sunt percipiēda. Primum quod inter ipsos scribas & legis peritos versabatur in quæstionem quod esset primum mandatum. Secundū, quod Christus motæ quæstioni respondit per verba Deuteronomij, quæ verba Glossa exponit de cognitione & confessione vnitatis cum executione bonæ operationis, igitur dilectio explicata supra, est mādātum decalogi. Alias enim habebimus vnde decim mādātā: & nisi sit distinctum ab alijs nouem non habebimus decem. Debet ergo esse vnum de decem. Alias etiam Christus extra propositum respondisset. Cuius responsum laudauit & ipse Scriba. Dico quod loci præcitati vnus alterum exponit: ita quod non habere Deos alienos, & diligere Deum sunt idem præ-

præceptum, quia omnis negatio præsupponit affirmationem. Dicere igitur, nō habebis Deos alienos præsupponit affirmatiuē quod habeatur vnus Deus. Vnde Exod. 20. ante, non habebis Deos alienos ponitur. Ego sum Dominus Deus tuus: posito nō habebis Deos alienos subsequitur. Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes. 34. Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen eius, Deus est æmulator: In citatis verbis Deuteronomij à Christo Domino, Audi Israel Deus tuus vnus est: Diliges Dominū, igitur quando ibi prohibita est idololatria de vnus, Dei cultu fuerunt admoniti? In illa enim negatione affirmatio proponebatur. Sed cum diligere Deum ex toto corde sit affirmatio & à Christo expressa vt primum & maximum mandatum, dilectio est contenta in decalogo contra Thomam.

Hoc primum præceptum decalogi partim est affirmatiuum *Propos. 9.* partim negatiuum: partim est particulare, partim generale. Si attendamus illud quod formaliter cadit sub hoc præcepto est peculiare & distinctum ab alijs, primum & maximum in lege. Si attendamus vsque quō pertingit in virtute, est velut genericum distributum & explicatum per alia præcepta. Vnde est illud Christi Ioan. decimo quarto: Si quis diligit me sermonem meum seruabit. Et in prima canonica capitulo quinto. Hæc est caritas Dei vt mandata eius custodiamus. Gregor. Hom. 30. super euangelia. Verè Deum diligimus si ad mandata eius à nostris nos voluptatibus coarctamus. Quod formaliter cadit sub hoc præcepto est, vt Deum sic toto corde colamus vt non diuidamus cor sicut illæ gentes. 4. reg. 17. quæ simul Deum & idola colebant. Totum enim idem est quod perfectum. 3. Physi. text. com. 63. seu capitulo sexto. Nam totum sic consueuimus definire dicentes. Totum id esse cuius nihil prorsus abest. Nam si aliquid abest, id, quicquid abest non est. Vnde subdit ipse Aristot. Totum autem & perfectum, aut idem penitus sunt aut naturam habent finitimam. Dij alieni, cordis, mentis, animæ, ac vitium nostrarum nihil debent habere. Idcirco Samuel. 1. reg. 7. inducens populum ad huius præcepti obseruantiam dixit. Si in toto corde vestro reuertimini ad Deū, auferte Deos alienos de medio vestri præparate corda vestra Domino, & seruite

uite illi soli. 3. reg. 18. Helias populum reprehendebat. Vsq; quo claudicatis in duas partes. David dicitur sequutus Deum in toto corde quia non fecit Deos conflatiles sicut Hieroboam, qui propter illos dicitur non ambulasse coram Deo in toto corde suo. 3. reg. 14. Ecclesiastic. 47. David de omni corde suo laudauit Dominum in. Psalmo. 118. Clamaui in toto corde meo: In toto corde meo exquisiuite, & alia in hunc modum multa, Quæ tamen David certum est alia multa peccata peccasse. Sunt & aliorum regum exempla, qui auferentes idololatriam dicuntur Deum toto corde secuti: qui non abstulerunt dicuntur non sequuti toto corde. Super illud Deutero. 15. perfectus eris & absq; macula Deo tuo, dicit Hieronymus libro primo contra Pelagianos. Perfectus dicitur ibi, non qui cunctas virtutes habet, sed qui perfectum & vnum sequitur Deum. De hac videatur Vega lib. 11. super Decretum. capit. 17. & 18. Augustinus libro primo de consensu Euangel. capitu. 12. dicit quod Romani, qui Deos gentiū quas subiugabant colebāt, vt haberēt propicios, Deū gētis Iudeorū, quādo eā vicerūt nō coluere quia dimittendi cū eo ceteri erāt. Si cōtra dicas quod dilectio est voluntatis, habere vnū Deū potius pertinet ad fidē quæ est in intellectu, igitur præceptum actus dilectionis non est primum, sed præceptum fidei. Potest dici primo, quod actus fidei est à voluntate seu à pia affectione, Affectio vero pia dilectionem præse fert. Secundo quod diligere Deum amore amicitia, est velle illi bona quæ habet vt supra. p. 1. & complacere sibi in bonis illis. Qui ipsum habet pro Deo complacet sibi in illo & vult eum esse qui est, alioquin ipsum nō coleret pro vno Deo. Sicuti Romani, qui cum tot dijs templacōstruxissent nunquam Deo Israel templum ædificauerunt, quia volebat coli solus, & erant ceteri abijciendi coram eo. Vide August. libro primo capitulo duodecimo de consensu Euange. Cū ipsius præcepti verba, voluntatem intellectū, animam, & vires exteriores ad hanc dilectionem requirant, certū est vno & eodem præcepto exigi à nobis, vt sic credamus, sic velimus, sic viuamus, sic operemur, vt vnus nobis Deus sit non plures. Contra hoc posset instari. Igitur quod est formale in hoc præcepto secundum quod ab alijs distinguitur posset impleri in mortali, Et sic dilectio Dei super omnia stabit cum mortali. Respondeo quod

*Argum.**Solu. 1.**Solu. 2.**Replie.**Solu.*

quod non habeo pro inconuenienti concedere quod primum præceptum iuxta id quod in eo est formale & ab alijs distinctum impleatur in mortali, sicut potest impleri aliquod aliud præceptum secundæ tabulæ sine alio, vt honorare parentes & esse homicidam. Neque in citatis verbis Exodi, & Deuteronomij exigitur dilectio Dei super omnia sed dilectio toto corde: ita quod talis dilectio requiritur ex parte subiecti, vt ita dicam, & non ex parte obiecti relati ad cætera diligibilia. Si contra addatur, quod *Rep. 2.* omnis peccans eo ipso quod peccat vult Deum non esse, quia suam voluntatem diuinæ præponit. Ad hanc vide in. d. 1. primi. p. vlt. Dico quod sicut in naturalibus stat vinum aut piper esse formaliter frigidum & virtualiter calidum, sic stat impleri maximū illud mādatū & primū formaliter, nō tamē virtualiter, quia vt dictū est in virtute attingit ad omnia. Vnde quāuis David in multis operibus peccauerit tamē de ipso dicitur Eccles. 47. in omni opere dedit cōfessionē sancto & excelso in verbo gloriæ. Alioquin si ita nō sit, peccans cōtra quodcunq; præceptū formaliter trāgreditur primū mādatū & in quolibet peccato erit specialis circumstantia ex adiuncta transgressione primi. Quando actus caritatis in Deum cadit sub præcepto tenetur homo facere quod in se est vt sit in gratia vt ad susceptione in Sacramento: in periculo mortis & sic intelligo Scotum libro secundo. d. 28. litera B. quod ad actum huius præcepti aliquando tenetur voluntas, quem cum exequitur disponit se de congruo ad gratiam cui oblatæ si resistet peccabit mortaliter si consentiet iustificabitur. Quando hic actus est in præcepto, finis præcepti & sub-stantia sunt idē.

DISTINCTIO XXVIII.

De numero eorum, quæ sunt à nobis diligenda.

Propos. 1.



QUATUOR sunt diligenda ex caritate ut Magister in litera deducit ex August. libro primo de doctrina christiana. Vñ quod est supra nos id est, Deus. Alterū quod sumus nos, id est, animæ nostræ. Tertiū quod est iuxta nos, id est, proximus. Quartū quod est infra nos, id est, corpus nostrū. Ratio huius enumerationis est quia cū Deus sit obiectū ratione cuius cetera sunt diligenda est quasi reflexio à primo obiecto in cetera, ita quod diligatur Deus, & propter Deū diligantur omnia quæ ipse vult secum diligere. Amor Dei nō admittit zelotypiā ita quæ eū sic nobis diligam⁹ quod nō alijs, ut est amor viri circa uxorem, nolētis habere condiligētes. Est Deus bonū vniuersale & cōmune, nihil vni perit si diligatur ab alio. Vnde ad Cain fuit dictum gen. 4. Quare cōcidit vultus tuus nonne si bene egeris recipies? Debemus velle quod diligatur ab omnibus quorum dilectio est sibi grata, sed est sibi gratum cōmunicare beatitudinem nobis, & proximis, imo & corporibus aliqualem ex redundantia gloriæ ab anima ergo debemus diligere hæc quatuor. Ex his possunt decidi quæstiones: Si creaturæ irrationales sunt diligendæ ex caritate? quod nō quia non sunt beatitudinis capaces, neq; dæmones, quorum iam est desperata correctio. Homines viuentes quantumcunque mali, sunt diligēdi, quia corrigi possunt. Angeli & Christus Dominus sunt diligendi non ut habeant, sed quia iā habent beatitudinem complacendo nobis in illa ut d. precedenti. p. prima. At cum Caritas sit amicitia quædam ad Deum & sit lex amicitia, teste Cicerone in oratione pro Plancio, ut idem amici semper velint. Neque est vllum certius amicitia vinculum quā consensus & societas consiliorū & voluntatū, possumus dici diligere creaturas irrationales ex caritate, quia in eis & circa illas volumus id, quod Deus vult. Vnde sapiē. 11. Diligis Dñe omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, neque enim odiēs aliquid constituisti aut fecisti. Sic Iob non solum actum patientiæ producebat sed etiam

etiam caritatis, quando dicebat: Sicut Domino placuit ita factū est. Beatus Franciscus pater noster infirmitates & pœnales passionis sorores suas esse dicebat. Imò qui omnia opera sua in Deū sic ordinaret, ut ea propter hoc faceret, quia Deo placent, & ipse vult ea fieri excellentissimo fine moueretur: ieiunium quod ieiunaret procederet à caritate, & esset magis laudabile, quam si propter temperantiam & carnem domandam ieiunaretur.

Nota.

Hæc quatuor diligenda continentur in præceptis dilectionis Dei & proximi Magister in litera ex Augustino. Pater, quia dicto quod debemus diligere proximum sicut nos, debemus & nosmetipsos diligere, qui sumus regula diligendi proximum. Cum ex anima & corpore constemus, debemus vtrumque diligere. Sanctus Bonauen. in quæst. literali num. 1. dat rationē, quare de proximo sit datum expressè mandatum, & non de se, sed implicite. Quoniā ad propriā dilectionē est inclinatio naturalis, quia nemo carnē suā odio habuit, sed nutrit & fouet eam Ephes. 5. Viri iusti cruciando corpus, non corpus sed corruptiones eius & pondus oderunt, ut est in litera. Ad proximum non sic inclinamur ut ad nos, maximè si est aduersari⁹: ideo de diligēdo proximum est mandatum explicitum, de nobis implicitum. Si dicas ex Gregor. Homil. 17. super Euangelium. Minus quam inter duos haberi caritas nō potest Nemo enim propriè ad semetipsum habere caritatē dicitur, sed dilectio in alterū tendit, ut esse caritas possit. Dicendum quod Gregorius loquitur de caritate, prout est amicitia, quia hominis ad seipsum non est propriè amicitia, sed aliquid maius amicitia, quoniā amicitia importat vniōnem amantis & amati, hominis ad seipsum est vnitas, quæ est potior quam vniō. Loquendo de caritate, ut est amicitia ad Deū, & ad cetera propter Deum, hominis ad seipsum est caritas. Ita respondet Ricardus hac dist. art. 1. q. 2. & Thom. 2. 2. q. 25. arti. 4. Qui seipsum occidunt, secundum affectum diligunt se, secundum effectum odiunt, quia ut confusionem, vel tristitiam euadant, faciunt, ita dicit Bona. quæst. literali, num. 4. Similiter dic de peccante & animam suam occidente, quia per accidens se odiunt, non de per se.

Propos. 2.

Argumentum.

Solutio.

Proximus, ut est in litera, relatiuè dicitur, hoc est, ad aliquid, qui proximus est proximo proximus. Poni Magister quatuor

Propos. 3.

ii 3 modos

modos quibus dicitur proximus. Cōditione primæ natiuitatis. 2. spe conuersionis. Tertio propinquitate conditionis. 4. ratione beneficij exhibitionis; vnde constat Angelos esse proximos, qui sunt nobis beneficii. Christus Dominus etiam, qui se in parabola Samaritani, Lucæ. 10. proximum nostrum dixit. Psalm. 121. Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te. De dilectiōe Christi hominis philosophare sicut. d. 9. de eius adoratione. Magister in litera dicit, quod in quantum homo, est diligendus supra nos. Bona. num. 7. Exponit ly in quantum, quia si dicit vnitatem personæ verum est, si specificat solam naturam humanam diligendus est iuxta nos, quia è sola natura humana non est caput nostrum, neque Redemptor noster. Scotus hac. d. litera. f. dicit, quod proximus est cuius amicitia est grata Deo, id est, à quo Deus vult diligere. Secundū hanc notificationem, neque dæmones, neque creaturæ irrationales sunt proximi, quia gratitudo prædicta à Scoto est in ordine ad beatitudinem. Idem Scotus. d. 30. litera. b. dicit, quod ille est proximus cui possumus benefacere. Hoc modo beati quos possumus diligere & honorare sunt proximi, non tamen Deus cui non potest addi aliquod bonum. Psalm. 15. Bonorum meorum non eges.

DISTINCTIO XXIX.

De ordine caritatis, videlicet, quid cui sit præferendum in actu dilectionis?

Propos. 1.



N actu diligendi est ordo, quem, qui non seruat, peccat. Magister in litera, probat ex Cant. 1. Ordinavit in me caritatem. Et ex Augustin. de doctrina Christiana. Cuius autoritatem vide in litera. Adverte sç; quod ordo in præsentī nō dicit modū prioris & posterioris secundū tēpus, sed secundū perfectionem. Est autem ordo iuxta eundem August. 19. de Ciuit. Dei. c. 12. rerum parium, dispariumq; congrua dispositio tribuens vnicuiq; sua loca. 1. Corinth. 14. Omnia honestè & secundū ordinē fiant in vobis. Et. 15. In Christo omnes viuificabuntur: vnusquisq; autē in suo ordine. Primitiæ Christus, Sed qui diligit quod non est diligendum,

gendum, aut quod est diligendum nō diligit, seruato modo & gradu suæ diligibilitatis agit præposterè & nō suo ordine: ergo peccat, & per consequens in caritate seruandus est ordo sub pœna peccati.

Primum locum in ordine caritatis tenet Deus, ita quod super omnia est diligendus. Magister in litera ex præcitato Augu. præcedenti. d. p. x. Probatur, quia de dilectione Dei est primum & maximum mandatum, vt dictum est. d. 27. Matth. 10. Qui amat patrem aut matrē plus quam me, non est me dignus. Et. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam. Sed si naturali dilectione plus inclinatur homo ad Deum quam ad se, vide in. 2. distinctio. 3. p. 19. Hæc maioritas dilectionis, vt dixit Aliacen. quæsti. 2. primi. litera. f. non est attendenda penes intensionem gradualem, quia eodem actu potest diligi Deus & proximus, & sic erit æqualitas gradualis, seu essentialis, quauis Gregorius de Arimino dicat, quod non potest eodem actu Deus diligi & proximus. Secundo, quia præceptum diuinum de dilectione non determinat sibi certā intensionem. Maioritas igitur attenditur secundum bona volita, vt dictum est. d. 3. lib. 2. Deo enim volumus bona plura, & infinita. Attenditur etiam secundum appretiationē, quia illud magis appretiamus, quod pro alijs non dabimus, & cuius comparatione cetera vilescunt. Sic videmus aliquos intensiori amore affici ad res temporales, & ludicras, quam ad filios: illas tamen pro filijs perdent. Hanc distinctionem antiqui non faciebant de maioritate dilectionis, sed ponebant distinctionem de amore teneriori, & fortiori, vt Scotus dist. 27. litera. l. de matre tenerius diligente filium, & de patre diligente fortius, quia maiori periculo se exponit pro filio, & dicit quod illud magis diligitur, quod fortius & firmiter diligitur. Quia illa dulcedo seu teneritudo quam multi deuoti sentiunt non est actus amoris intellectui, sed passio quædam retributa actui, qua Deus allicit & nutrit paruulos ne deficiant in via. Subdit Scotus, quod Deus est amandus super omnia maiori affectu, non intelligendo intensionem gradualem per maiorem affectum, sed appretiationem. Ait enim: Maiori dico simpliciter, scilicet, quia magis repugnat effectui opposito, quia facilius posset inclinari ad oppositum dilectionis cuiuscumque alterius quam Dei. Hæc Scotus. Thomas etiam. 2. 2. q. 26, artic. 6. ad

Propos. 2.

ad primum. & arti. 7. & 8. Sumit intensiorem amoris, non gradualiter, sed appreciativè. Nam si talis intensio requireretur, esset nobis incerta, & ignota invincibiliter, de qua semper essemus anxij, quod est contra suavitatem iugi Evangelici.

Propos. 3.

Dilectio Dei, imò & cætera bona opera hominum non vitiatur per intuitum ad æternam mercedem. Hanc definiuit concilium Tridenti. Sessione. 6. capit. 11. & Canone. 31. Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu mercedis æternæ bene operatur, anathema sit. Probat ex P salm. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. Paulus Hebr. 11. De Abraham quod expectabat fundamenta habentem civitatem. De Moyse quod aspiciebat in remunerationem. Christus Dñs, Lucæ. 16. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Matth. 4. Agite poenitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum. Hæc conclusio docetur à Bonaven. in hoc. 3. distinct. 27. num. 39. & à Ricardo hac. d. q. 3. art. 1. ad primum argumentum. Est que contra quendam Bugaurium de monte falcone damnatum in Catalonia, per Archiepiscopum Tarraconensem. Autoritas Ioan. 10. ubi reprehenditur pastor mercenarius, intelligitur de habente respectum ad mercedem creatam & temporalem, ita quod si talis merces cessaret non operaretur, quod & ipsum nomen mercenarij præfert. Nam qui sine mercede nihilominus operaretur, quamvis speret retributionem, non potest dici mercenarius. Et Concil. Trident. ubi supra, cap. 11. dixit. Quod cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuetur æternam. In orationibus multa petimus & expectamus à Deo temporalia: sunt que in Ecclesia peculiare orationes, pro pluvia, pro serenitate. Per quas exploditur opinio Durandi hac dist. q. 3. dicentis, quod non licet ordinare maius bonum, ad minus bonum. Maius bonum est oratio quam pluvia, quæ tamen ordinatur ad pluviam. Atque ut scholasticè dicam, possunt temporalia esse causa, sine qua non, aut motiva, non verò finalis. Sicut sacerdos, aut prædicator mouentur mercede temporali ad officia sua, idque licitè. Merces æterna, est ipse Deus, Genè. 15. Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Alia est, beatitudo formalis, seu subiectiva. Qui probe capiunt, quid est beatitudo,

*Argumentum.
Solutio.*

tudo non distinguunt Deum ab æterna mercede, qui capiunt grosso modo possunt expectare proprium commodum beatitudinis, & sine illo non diligere Deum.

Secundum locum in ordine dilectionis tenet anima propria. *Propos. 4.* Magister in litera. Probat ex illo. Matth. 16. quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiat. Igitur salus animæ nostræ præponderat omnibus alijs. Augustinus in Enchir. cap. 42. tractans illud. Date elemosynam, & omnia munda sunt vobis, dicit, quod qui vult ordinate elemosynam dare à seipso debet incipere, & eam sibi primum dare. Aristo. 9. Ethi. cap. 4. Ea quæ ad amicos attinent, & quibus amicitia definiuntur, ex ijs, quæ erga se vnusquisque agit esse videtur profecta. A scholasticis communiter sic allegatur. Amabilia ad alterum mensurantur ex his quæ sunt ad seipsum. Quod exponit Scotus distinct. 27. ad secundum principale, quantum ad innotescentiam, quia innotescit amicitia quando appeto similia amico, quæ appeto mihi. Et id ibi significat, definiuntur amicitia, id est, notæ ac manifestæ fiunt. Cum igitur ex Aristotelis, imò & Christi sententia nos simus mensura ad dilectionem proximorum, ut eos diligamus sicut nos, prius debemus nos diligere. Ratio ad hanc est, quia in dilectione caritatis attendendum est ad duo: ad bonitatem obiecti diligibilis, & ad vnitatem dilecti ad diligentem, pensandumque quid præponderet alijs. Summa bonitas in Deo excedit quamcunque bonitatem creatam, & est potior quacunque vnitatem etiam hominis ad seipsum, idcirco est super omnia diligendus. Est maxima vnitas hominis ad seipsum excedens vnionem ipsius ad cætera, & sicut ignis prius calefacit propinqua quam distantia, ita caritas quæ est calor spiritualis facit quod homo sibi velit prius beatitudinem quam alijs. Confirmatur, quia Deus est ratio diligendi omnia, sed ipse vult quod prius nos diligamus quam proximos, ut patet excitato Mattheo. Item si liceret propter saluandum proximum peccare iniustus esset Deus, qui propter tale peccatum nos puniret: igitur neque mortaliter, neque venialiter licet peccare, etiam pro aliena salute. Vide Paulum Romanorum tertio: Contra dicentes faciamus mala, ut veniant mala. Si veritas Dei in meo mendacio abundauit, quid ego tanquam peccator à Deo

k k iudicor.

Argumē cum. iudicor. Nunquid iniquus est Deus qui infert iram. Illud quod de Paulo legimus, Romanorum. 9. Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, potest intelligi de tempore, quo *Solutio. 1.* persequebatur Ecclesiā, quia pro Iudæis optabat à Christo separari. Secundo, iam conuersus optabat retardari à gloria, non priuari, neque peccare, sed secundum quod dicebat, Philippenses 1. Coarctor è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multo melius, permanere in carne necessarium propter vos. Eadem expositio dari potest verbo Moyſis, Exod. 32. Dete me de libro quem scripsisti, aut dimitte illis hanc noxam. Dicitur liber vitæ per metaphoram, & iuxta Bouauenturā in quarta distinctione. 43. numero. Est ipsa Dei notitia, qui est filius: Scriptura libri est prædestinatio electorum qui prædestinati sunt conformes fieri imaginis filij Dei, Romanorum 8. Alexander. 1. p. quæstione. 33. M. 1. articulo. 1. dicit, quod liber vitæ dicitur tripliciter. Primo notitia Dei, sed vt exponit M. 3. articulo. 1. non notitia absolutè, sed notitia respectu meritorum. Secundo, ipse filius secundum humanitatem, qui est exemplum expressissimum ad exemplar diuinum. Tertio, sacra Scriptura Ecclesiast. 29. Hæc omnia liber vitæ. Vbi glossa interli. Hic est liber nouum & vetus testamentum, in quo est agnitio veritatis: nam continet ea quibus, peruenitur ad vitam. Posset ex hoc tertio exponi, quod nolebat legem veterem dari suo nomine, neque inscribi legem Moyſis. Ad cuius confirmationem adduci potest, quod ante illa verba tabulas scriptas digito Dei confregerat. Liranus dicit, quod sit loquutus hyperbolicè, ostendens quantum salutem populi desiderabat. Neque in his hyperbolis est mendacium, vtiturque illis Scriptura, Iudic. 20. de filijs Benjamin, quod fundis ita iaciebant ad certum locum, vt capillum possent percutere, per quod tantum significatur, quod essent boni fundibularij. Rabbi Salomon quem citat Burgenſis illo cap. addit. 8. est in priori expositione, quod lex non scriberetur nomine Moyſis. Gregorius libro nono Moralium, cap. 11. exponens illa verba, Iob. 9. Deus cuius iræ resistere nemo potest, videtur sentire quod Moyſes petierit mortem corporalem, & liber sit vitæ præsentis. Ait enim: Moyſes iræ Dei resistit, qui pro cadente populo erectus ipsum supernæ percussio-

percussionis impetum mortis suæ oblatione restrinxit, dicens: Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro.

Licitum est aliquando cessare à profectu spirituali proprio, *Propos. 5.* hoc est, à maiori vtilitate propria, propter bonum spirituale proximi, & est ibi magnum meritum, verbi gratia, à contemplatione propter prædicationem. Sic dicitur in capit. licet. de Regul. & transeun. ad religionem. ab Innocentio tertio, quod communis vtilitas speciali vtilitati præfertur, & in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti. Vnde mirum est fuisse hæreticos, docentes semper esse tacendum more Pythagoricorum. Nam Christus Dominus, & Prophetæ, imò & Dauid, qui petierat ori suo custodiam Psalmus. 140. Multa loquuti sunt. Isaias. 6. capit. Væ mihi, quia taciui. Hi autem hæretici dicti sunt Pattalorinchitæ, quasi palum, seu digitum nari imponentes, quia *πάταλος* pattalos Græcè, Latine valet: palus, & *ρινχος* Rinchos, nasus vel rostrum. Bernardus sermone. 26. super Cantica laudat fratrem suum Gerardum, quod se ingerebat curis, vt ipse Bernardus Deo vacaret, & doctrinæ monachorum vtilius intruderet. Inde licitè dispensatur in votis principum, ex quibus pendet bonum publicum & commune, ne seruent castitatem, aut religionem intrent.

Tertium locum tenet anima proximi. Vnde Ioannis. 1. capitulo. 3. in hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quod si debemus animas ponere multo magis diuitias, & substantias. *Propos. 6.*

Ex hac patet, quod si anima proximi est in peccato mortali, vel in periculo peccandi, & possum illum à peccato retrahere, ita quod certitudine moralis sum certus quod retrahetur, & non per alium, nisi per me teneor etiam cum vitæ detrimento illum retrahere, nisi aliunde sit mihi animæ propriæ periculum probabile, vt quia sum fragilis & infirmus ad martyrium: quia sicut elemosynam corporalem non teneor dare cum æquali dispendio, ita neque spiritualem. Casu quod peccator nolit exire à peccato, nisi tale, vel tantum sibi detur, nemo illi dare tenetur. Vnde Cyprianus lib. 1. epistola. 10. dicit de quodam histrione. Non putet salario se esse redimendum vt à peccatis cesset, quando *Corollarium.*
kk 2. hoc

hoc nō nobis, sed sibi præstet: sed addit, quòd patiens penuriam inter cæteros pauperes sustentetur ab Ecclesia. De ista elemosyna spiritualium propria vitæ dispendio prolixè & variè tractatur à multis præcipuè à Ricardo in. 4. distinctione. 19. artic. 2. quæst. 1. A Thoma. 2. 2. quæstio. 33. artic. 2. ad tertium. & 26. articu. 5. Ab Adriano de correctione fraterna. A Gabriele super Canonè, lect. 74. A Medina complutensi Codice de elemosyna q. 6. Maironis super lib. 1. Augustini de Ciuita. Dei, cap. 9. veritate. 7. dicit quod nunquam priuata persona peccat mortaliter non corripiendo proximum, vel ad salutem animæ auxiliū præstando, nisi quando consentit & cooperatur peccato: dicit, priuata persona, quia prælatus sub mortali tenetur. Plurimi alij doctores dicunt contrarium.

Propos. 7 Quartum locum tenet proprium corpus: ita quòd non teneor pro saluanda alterius vita corporali, propriam exponere, nisi forte in casu, vt in bello pro saluando rege, qui est persona publica, cuius vitæ respicitur, vt bonum commune. Fortis etiam Politicus vitam exponit pro Republica: pertinet ad perfectionem cū propriæ vitæ periculo seruire infirmis tempore pestis, prosequi pia negocia postposito timore naufragij. Vide Thom. 2. 2. quæstio. 123. articu. 5. possetque forsan casus accidere, quòd sub mortali teneretur seruire infirmis, cū tali periculo. Probat, de morte mea si accidet ex contingencia de vita proximi quòd liberabitur est certitudo, ergo in aliquo casu possem teneri plus ad salutem corporalem proximi, ne si non liberem fiam particeps suæ mortis.

Propos. 8 Inter ipsos proximos est ordo, quia plus tenemur vni quam alteri. Ad hanc ponit Magister in litera duas opiniones. Prima, quòd quantum ad affectum interiorem æqualiter sunt omnes diligendi: quantum ad effectum exteriorem, qui est illis impendendus, non sunt æqualiter diligendi. Alia opinio est, quòd non solum quantum ad effectum, sed etiam quantum ad interiorem affectum, est vnus plus altero diligendus. Hanc magis approbat Magister, & Bona. q. vlt. huius. d. Tho. 2. 2. q. 26. art. 6.

Propos. 9 Inter ipsos proximos primum locum obtinent parentes, inde filij, post domestici, qui si boni sunt, malis filijs præponendi sunt. Magister in litera, & est Ambrosij. Bona. in quæst. literali expositurus,

expositurus distinguit amorem, in amorem complacentiæ, & beneficiæ. Amor complacentiæ fundatur in bonitate, quo amore sunt plus diligendi extranei virtuosij, quia plus debemus approbare bona facta extranei, quam mala facta parentū. Amor beneficiæ fundatur in coniunctione, isto amore non solum diligimus proximum quia bonus est, sed vt bonus sit. Tali an ore præferendus est pater malus extraneis virtuosis & bonis. Sunt vt bene Thom. ait. 2. 2. q. 26. art. 7. plures rationes dilectionis in propinquis, quia ad alios est sola caritas: ad propinquos alia amicitia atque obligationes. Non facimus iniuriam si non omnibus in particulari optamus omne bonum cuius sunt capaces, neque tenemur orare pro quolibet in particulari. Ideo si huic vel illi maius bonum desidero, aut pro vno magis quam pro alio oro nō propterea caritas æmulatur, aut agit perperam contra Pauli sententiam. 1. Corinth. 13. Ex his patet ratio multarum quæstionum quas vide in Ricardo hac. d. & in Tho. citata. q. 26. Breuiter, quia plura recipit homo à parentibus & meliora, filijs vero dat, præponuntur parentes omnibus, etiam filijs vide Arist. 8. Ethic. ca. 11. Pater enim carnalis est causa essendi filijs, educat, & instituit, quia est causa dans esse substantiale præponitur patri spirituali, vt dicit Ricardus, qui dat ministerialiter esse accidentale, id est, gratiam. Quia pater est causa magis principalis in generatione præponitur matri loquendo de per se: posset quidem de per accidens plus teneri matri, bonæ quæ ipsum aluisset, quam patri iniquo qui ipsum deseruisset. De dilectione vxoris dicit Thom. quod ratione boni plus sunt parentes diligendi qui habent rationem principij: ratione coniunctionis plus est diligenda vxor, maior autem reuerentia debetur parentibus. Ricardus dicit quod responsio nō declarat ad quem caritas magis inclinatur, & cui plus teneatur homo existenti in necessitate. Tene vero quod plus ad parentem à quo maius bonum recipitur, quā ab vxore quæ est in adiutorium contra concupiscentiam, & ad proles procreationē & solatiū societatis. Quod dicitur Genes. 2. propter vxorē relinquet homo patrem & matrē, exponitur quantum ad colubitan dū. Est in hoc bona apparentia, quia amor viri & vxoris non est sic stabilis, quia vt in pluribus facilius soluitur quam amicitia parentū. Si contra dicta arguas ex Arist. 9. ethic. ca. 7. quod benefaciens

plus afficitur beneficiato quam è contra ergo plus filio quam patri plus vxori, quam parenti, quia benefacit vxori. Dico quod Aristo. ait. Benefici magis amare videntur eos, quos beneficijs affecerunt quam affecti illos à quibus acceperunt. Nota quod dixit. Videntur, assignatque quadruplicem rationem quã vsurpauit Thomas. citata. q. 26. art. 12. vide & Ricardum. q. vltima huius. Sed dico quod aliud est quod inclinatur ad intensiorem amorẽ, ad quẽ inclinare potest habitus voluntatis acquisitus, aliud quod teneatur magis appretiare vt dictum est. p. 2.

Propos. 10. In caritate sunt tres gradus. Caritas incipiens, Proficiens, & perfecta. Hos ponit Magister in litera ex Augustino. Ad incipientem pertinet recedere à peccato, & resistere vitijs. Ad proficientem dare operam vt placeat Deo & abundet magis iuxta sententiam Pauli. 1. Thessalo. 4. & 2. Corinth. 5. Contendimus siue absentes siue presentes placere Deo. Perfecta cupit dissolui & esse cum Christo. Philipp. 1. vnde in litera ex Augustino. perfecta caritas hæc est, vt quis paratus sit pro fratribus etiam mori. Potest perfectio caritatis dupliciter considerari, vel ex parte obiecti diligendo illud quãtũ est diligibile, hoc modo nulla caritas creata est perfecta: Vel ex parte diligētis, & isto modo loquitur conclus. Qui modus etiã consideratur dupliciter; vno modo est perfectio sufficientiã; quã habetur in via alio modo est perfectio excellentiã, hæc non habetur nisi in patria. Vide Bona. hac. d. nu. 6 Ex his colliges errasse Lutherũ dicendo quod dilectio Dei super omnia non poterat haberi in via; & sic in illo præcepto erat nobis mandatum aliquid impossibile, quia necesse est vt aliqua præter Deum amemus; Non de tali excellentia fuit datum præceptum, vt videlicet nihil præter Deum amemus, aut quod omnia in ipsum referamus, & de ipso semper actualiter cogitemus. Est hæc perfectio caritatis in patria, non in via. Ex hoc errore alium deducebat videlicet omnia opera etiam iustorum esse peccata, quia tenebantur illa facere ex consummata & perfecta caritate, quã in via non potest haberi. Contra quem facit quod est dictum libr. 2. d. 40. p. 4. quod non omnia opera peccatorũ sunt peccata ergo multo minus opera iustorũ. Facit cõtra ipsum aperte scriptura. Nam Iob dicitur. 1. ca. in omnibus illis non peccasse. Paulus. 1. Corint. 7. Si acceperis vxorem non peccasti & si nupse

rit

rit virgo non peccauit. Infirmo sanato. Ioan. 5. præcepit Christus. Iam noli amplius peccare. 1. Ioan. 4. Omnis qui manet in caritate in Deo manet, & omnis qui in Deo manet non peccat. Est & Concil. Triden. sessio. 6. canone. 25. Si quis in quolibet opere bono iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est mortaliter, atque ideo poenas æternas mereri, tantũ que ob id non damnari, quia ea opera Deus non imputat ad damnationem, Anathema sit. Cũ dixit sapiens Eccle. 7. Nõ est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet, intelligitur quantum est de se, non autẽ adiutus gratia Dei. Non enim possumus vitare omnia venialia vt in. 2. d. 36. p. 6. Propter quã venialia si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus. 1. Ioan. 2. In multis enim offendimus omnes Iacob. 3. Non vero in omnibus. Autoritas Isaiã. 64. Facti sumus vt immundi omnes & quasi pãnus mēstruatã vniuersã iustitiã nostrã multas habet expositiones. Vna est quod Isaias loquebatur cõparatiuẽ comparando vtique iustitias nostras diuinã iustitiã & sanctitati, ad cuius comparationem omnes nostrã sunt immundã. Aut iustitiam veteris legis cõparabat ad iustitiam euangelij prædicandi per Messiam cuius ibi aduentũ deprecabatur. Nam ad comparationẽ rei albissimã minus albũ dicitur nigrum. Vnde Paulus. 2. Corinth. 3. comparatione euangelij dicit non fuisse glorificatũ vetus testamētum. Alia expositio est quia propheta sæpe loquitur in aliena persona sumendo se loco aliorum. Loquebatur ergo Isaias nomine prauorum peccantium. Et sicut Ecclesia ex eo quod habet malos cum bonis admixtos ratione malorum vocatur nigra: ratione bonorum formosa Cant. 1. ita in præsentia ratione peccatorũ, dicuntur immundi omnes, & omnes iustitiã peccatorum immundã; quia pauci erant iusti. Sicut Dauid dixit omnes declinauisse. Psal. 13, propter paucitatem non declinatium. Potest dari tertia quod Isaias ibi loquebatur nomine populi Israelitici post aduentum, & mortem Messia. quando sunt sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod, sine Teraphim Osee. 3. quibus per totum orbem dispersis sua sacrificia & ritus sunt immundi; & mensa eorum coram ipsis in laqueum Psalm. 68. comedendo azyma; & abstinendo à cibis legis.

Distin-

Argu. 1.

Argu. 2.

1. Solu.

Solu. 2.

Solu. 3.

dictæ non iustitiæ zelo seipfos quærunt vindicare, nam zelo iustitiæ, correctionis, & satisfactionis possunt peti iniuriæ.

Propos. 5.

Duplex opinio refertur à Magistro in litera de merito dilectionis amici & inimici inter se collatæ. Quidam tenent quod est maioris meriti diligere amicum. In hanc est Magister ut ait Bona. hac. d. q. vlti. quia talis dilectio est feruentior. Facit autoritas Christi Ioann. 15. Maiorem caritatem nemo habet ut animam suã ponat quis pro amicis suis. Ratione, quia amicus est melius obiectum & actus recipit suam speciem ab obiecto, & non à difficultate operis. 2. quia actus procedens à pluribus virtutibus est melior. Vide Scotum in. 4. d. 46. q. 4. ar. 4. sed dilectio inimici procedit à sola caritate dilectio amici à caritate & gratitudine. Tertio quia odire amicum est peius, ergo diligere illum est melius, quia contrariorum eadem est disciplina. Alex. 3. p. q. 67. M. 4. dat instanciam huic rationi. Peior est infidelitas seu hæresis, quæ opponitur fidei, quam inuidia quæ opponitur caritati, ergo fides est prestantior caritate, nõ valet quia ut Bona. dicit in hoc. 3. d. 36. num. 40. quando que minori bono opponitur maius malum. Nihilominus Alex. ipse tenet hanc primam opinionem, quod magis meritorium est diligere amicum, magis tamen satisfactorium diligere inimicum. 4. est ad opinionem quia si amicus & inimicus sint in extrema necessitate, & non possim subuenire ambobus plus teneor amico. Alioquin diceretur quod dixit Ioab David. 2. reg. 19. quando plorabat Absalonem. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te. In hanc primam est & Tho. 2. 2. q. 27. art. 7.

Alia opinio tenet quod diligere inimicum sit maioris meriti. Hanc sequitur Duran. hac. d. q. 2. sequitur & Almainus, hac. d. prope finem. Bona. vtrâq; reputat probabilẽ. In hanc est Matth. 5. Si diligitis eos qui vos diligunt quã mercedem habebitis. Rom. 5. Cõmendat Deus caritatẽ suã, quia cū adhuc inimici essemus Christus pro nobis mortuus est. Hanc cū inimicis caritatẽ vocat nimiam Ephes. 2. propter nimiam caritatem qua dilexit nos Deus. Ratione, quia ad dilectionem inimici requiritur maior conatus voluntatis, & ubi maior est conatus voluntatis, ibi maius meritum, quia virtus est circa difficile. Secundo quia in vtrâq; dilectione obiectum formale est idẽ, quod est Deus, ex parte inimici est maior conatus, ex parte amici licet sit maior bonitas, ipsa nõ est summa,

quæ

quæ est obiectum ibi materiale, cui preponderat fortior conatus voluntatis, qui conatus concurrat essentialiter cū habitu caritatis ad meritum. Nã expecificatio actus potius est ab obiecto formali, quã à materiali. In hoc est tota difficultas, quid sit potius respiciendum respectu meriti, bonitas obiecti materialis, an difficultas operis existendo omnia cætera paria. Nã bonitas obiecti formalis est summa, idcirco ipsum diligere est magis meritorium, quã quæcūque obiecta materialia etiã si ad illa sit maior difficultas. Vtrâq; opinio soluit rationes alterius. Ricardus etiã videtur esse cū prima hac. d. q. 3. sed hæc secunda deberet potius prædicari in Ecclesijs pro extirpandis odijs, quicquid fiat in scholis.

DISTINCTIO XXXI.

De duratione caritatis, & euacuatione aliarum virtutum.



Caritas in via potest amitti. Magister in litera contra quosdam quos non nominat. Sed contrarium conclusionis fuit error Ioviniani de quo supra. d. 3. p. 14. Prob. Apocalyp. 2. dicitur episcopo Ephes. Habeo aduersum te pauca quia caritatẽ tuam primã amisisti. Memor esto vnde excideris. 1. Corinth. 10. Qui se existimat stare videat ne cadat. Roma. 11. Tu fide stas, noli altum sapere sed time. Alioquin tu excideris. Ioann. 6. dicitur quod multi ex discipulis abierunt retro. Ratione, quia de fide est quod paruuli in baptismo recipiunt gratiam & caritatem, quorum multi postea peccant, & damnantur, alias omnes baptizati saluarentur. Amittitur autem non quia ipsam effectiue peccatum corrumpat, sed demeretur quod Deus illam conseruet. Vide Scotum in. 2. d. 37. litera. F. & X. & in. 4. d. 1. q. 1. litera. Q. Q. quia in via Scoti culpa & gratia non sunt formaliter opposita ita docet in eodem. 4. d. 16. q. 1. litera. B. Tho. 2. 2. q. 24. articulo. 11. dicit quod caritas non replet in via totam capacitatem subiecti, ideo est amissibilis sicut forma naturalis non replens totã capacitatem materiæ. Non sic forma cœli, quæ satiã totam potentiam materiæ, à simili est caritas patriæ inamissibilis, quia semper actu repleto fertur in Deum. Hic modus exponendi non placet Ricardo,

ll 2

hac.

hac. d. q. 1. quia in patria aliqua voluntates non habent tantam caritatem, quantæ sunt capaces, quæ tamen illam nequeunt amittere. Potest confirmari quia multi in via habuere maiorem caritatem, quam aliqui in patria, qui tamen poterant peccare. Igitur in amissibilitas gratiæ non prouenit ex repletione voluntatis. Ponit ipse Ricardus quinque modos, quibus accidens corrumpitur. Primo subtractione influentis & conseruatis sicut lumina aeris per absentiam solis. Secundo per corruptionem subiecti, sicut sanitas corrupto corpore. Tertio actione contrarij, ut calor per frigus. Quarto subtractione obiecti, siue termini quando ab illo dependet ut paternitas, mortuo filio audire deficiente sono. Quinto per corruptionem dispositionis subiecti necessariæ ad existentiam accidentis, ut imago relucens in speculo, verso speculo in partem aliam, definit relucere. Ad hunc modum caritas amittitur verso arbitrio in peccatum, corrumpitur enim dispositio voluntatis.

Argumenta quæ possunt contra hanc fieri ex autoritatibus scripturæ, aut sanctorum exponuntur à Magistro dupliciter. Vno modo in sensu composito, quia dum habetur caritas non finit peccare. Secundo quod non fuit vera caritas quæ deserui potuit, quantum ad efficientiam, quia non facit beatum neque; perducit ad verum finem, ita exponit illud Augustini. Caritas est fons proprius cui non communicat alienus, quod usurpauit Innocentius, extra de Regula. & transe. ad religi. cap. Licet. Est que sumptum ex prouerb. 5. Habeto solus aquas tuas. nec sint alieni participes tui. Alieni sunt damnandi qui non participant caritatem finalem. Exponit tertio Magister de caritate perfecta quæ non amittitur ut amittitur incipiens, & proficiens. Ricardus glossat quod loquatur Magister id est, de difficili amittitur, vel quod loquatur de caritate patriæ. Est. 4. expositio Thomæ quod de ratione sua caritas non potest deficere, sed deficit ex mutabilitate subiecti. 22. loco citato. ad. 2. Tres harum expositionum habes. d. 3. p. 14.

Propos. 2.

Per quodlibet mortale amittitur caritas. Hæc est de fide definita in Concilio Trid. sess. 6. cap. 15. & canone. 27. doceturque à Tho. 2. 2. q. 24. ar. 12. A Scoto in. 2. d. 37. littera A. Est contra quosdam qui asseuerauerunt gratiam non amitti per quodlibet mortale sed quando quis effrenate se dabat virijs. Vide Andream Vegā. li. 14. super decret. cap. 1. forte mouebantur opinione Durandi dicentis fidei

fidei habitum se compati cum hæresi: inde videri potuit quod & habitus caritatis cum aliquo mortali. Sed Iacobus. 2. Quicumque; totam legem seruauerit offendat autem in vno factus est omnium reus. Hoc est ita dānabitur ad Gehennam sicut si in omnibus offendisset, quod non est intelligendum in æqualitate ut tantum damnetur pro vno, quantum pro omnibus, sed similiter. 1. Ioan. 3. & 4. cap. docetur, ex vno peccato odiendi proximum quod non diligimus Deum neque; eius veritas in nobis est. Ad Leonem in serm. de passione Domini alloquentem sic Petrum: vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam, respondet Thomas quod dilectio non fuit auersa per actualem Christi contemptum, sed ex peccato à timore orto. Ad Bernardum, qui dixit quod in Petro caritas non fuit extincta sed sopita, dico quod non fuit finaliter extincta quanuis fuerit amissa, fuit enim cito recuperata, sicut ignis quando non ardet, & postea exufflatur ut ardeat dicitur sopitus.

Quidam, ut est in litera dixerunt quod præsciti nunquam habent gratiam, quod est hæreticum, quia Iudas, & mali Christiani damnati gratiam habuerunt. Facit & Concilium Tridentin. sess. 6. canone. 23. dum damnat dicentes eum qui labitur, & peccat nunquam fuisse iustificatum. Et canone. 17. si quis dixerit iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere, reliquos vero, qui vocantur vocari quidem sed gratiam non accipere ut pote prædestinatos ad malum diuina potest, anathema sit.

Propo. 3.

Quidam scripti sunt in libro vitæ secundum præsentem iustitiam qui non sunt scripti secundum præscientiam. Magister in litera. Vide & in. 1. d. 40. p. 6. & supra. d. 29. p. 4. Cum liber vitæ dicatur per metaphoram, ut ibi habes dicitur etiam liber vitæ consciëntia cuiuslibet, in qua sunt scripta facta & dicta propria testimonium reddente illis consciëntia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die cum iudicabit Deus occulta hominum. Rom. 2. sic erunt multi libri Apocaly. 20. sed isto modo non usurpat scriptura librum vitæ. Nam ibidem facit differentiam dicens. Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ. Et iudicati sunt mor-

Propo. 4.

tui ex his que scripta erant in libris secundum opera ipsorum. De libris conscientie. Magister. in. 4. d. 43.

Propo. 5.

Caritas per peccatum amissa recuperari potest per poenitentiam. Hæc est de fide contra Nouatum & Montanum, de qua in 4. d. 14. p. 6. & ibi si resurgat homo in maiori vel minori caritate. Quod Bona. & Ricardus tractant hac. d.

Propo. 6.

In patria fides & spes euacuabuntur quoad habitus, & actus earum: caritas vero perficietur. Ita docet Bona. Scotus. & Ricardus. hac. d. Tho. 1. 2. q. 67. De fide & spe vide supra. d. 26. p. vltima: de actibus earum nulla credo est ambiguitas: De habitu est duplex dubium. Primum quomodo euacuatur? Scotus hac. d. respondet quod non euacuatur ex eo quod succedunt habitus incompatibiles, puta visio, & tentio. Nam Paulus in raptu habuit actum visionis cum habitu fidei ergo non habet propriam incompatibilitatem. Confr. quia si per instans se compateretur in eodem frigiditas & caliditas non essent incompatibiles de se. Euacuatur, igitur quia esset superflui cum eorum inclinatio superflua esset. Neque in patria ponendi sunt habitus manere frustra. Caietanus citata. q. 67. ar. 5. dicit quod lumen gloriæ per modum habitus repugnat formaliter habitui fidei, & virtualiter habitui spei qui est in voluntate, quia forma desinit esse non solum per successionem contrariæ formæ, sed per subtractionem eorum quibus conseruabatur, ut patet de lumine. Intellectus est causa conseruandi spem in voluntate & deficiente fidei habitu ab intellectu, desinit spes à voluntate. Additque quod visio per lumen gloriæ in statu completo est incompatibilis habitui fidei, non autem visio per modum transitus. Nam incompatibilitas non se tenet ex longitudine temporis, sed stante vno opposito in actu completo. Sicut mansuetudo quæ est habitus in viro mansueto se compatitur cum actu iræ & cum habitu inchoatiue qui habitus non est nisi ira per modum passionis. Euacuatur itaque fides & spes ex utraque ratione & propter incompatibilitatem, & quia superflua. Secundum dubium, an sit hæreticum dicere quod habitus fidei possit manere in patria: quoniam aliquid est hæreticum de facto, quod non est hæreticum de possibili. Durandus hac. d. q. 2. tenet quod non, & quod possit manere fidei habitus in patria. Idem tenet Petrus de Aliaco in. q. super. 3. librum. littera. R. Cum eis est Gabriel

briel. d. 24. huius libri. conclusione. 2. & etiam hac. d. & Almainus hac. d. Imo idem Durandus. q. 3. tenet quod actus fidei potest manere in patria. Tam de actu quam de habitu dicit non esse determinatum per scripturam quod de facto non maneat. Quia sicut dicit scriptura. 1. Corinth. 13. quod fides euacuabitur, ita dicit quod scientia & prophetia, & tamen Christus qui erat comprehensor vocatur in Euangelio Propheta. Doctores etiam dicuntur quod scientiæ quantum ad habitum non euacuabuntur. Aliacenensis dicit quod est problema ad utramque partem sustentabile si actus fidei, & visionis repugnent & similiter actus spei, & an de facto stent simul. Propter sanctorum autoritates tenet quod neque habitus neque actus fidei, & spei maneat sed non propter rationem. Posset cum his afferri Scotus dum hac. d. ad. 3. principale distinguit tripliciter credibilia. Quædam sunt quorum visio per se pertinet ad beatitudinem, ut visio trinitatis, de his non manet fides. Alia quorum visio non pertinet essentialiter ad beatitudinem sed concomitanter, ut Christum fuisse natum & passum: Hæc non videbuntur in se, quia non videbitur Christus in utero virginis, neque in cruce. Sed videbuntur in verbo. Huius generis est existentia corporis Christi in Eucharistia ut dicit idem Scotus in. 4. d. 10. q. 8. conclu. 3. Alia neque sunt visibilia neque scibilia quia facta temporalia neque pertinentia ad beatitudinem principaliter neque concomitanter, ut historie quæ nunquam sciuntur, sed creduntur: de talibus potest concedi quod si viator habeat fidem, quod illa manet. Hæc Scotus. Sed fidei habitus vel totus abest, vel adest quia non desinit esse per partes, modo per Scotum potest manere fides circa historias Sacre scripture ut, v. g. quod filij Israel fuerunt in Aegypto, & ambulauerunt per siccum mare, quæ fides est habitus infusus ergo fides habitus potest in patria manere. Probat minor quod sit illa fides infusa: quia qui hodie non crederet pertinaciter talē historiā & similes esset hæreticus igitur ad illas inclinatur fides infusa. Ad hoc potest dici quod respectu illorum quæ non pertinent ad beatitudinem manet fides acquisita quia de illis neque est visio in verbo, neque scientia, neque obliuio. Imo posset beati de illis seculi colloqui ut cum Iosue, David, Machabeis de bellis à se gestis, cum apostolis de sua peregrinatione, & predicatione. De fide acquisita circa hæc forte loquebatur Scotus. Caritas perficitur ex presentia obiecti & non ex quantitate maiori. Propo. 7. Patet

Patet quia in via multi habent maiorem caritatē quantitatiuam quā alij in patria. Imo quicūq; beatus habuit in via tantā caritatē quantam in patria. Quia cū caritas nō augeatur nisi virtute operis operati, id est sacramēti, aut operis operantis, id est, boni motus, quando homo in extremis fit extra statum merendi habet totam caritatem sibi debitā, quæ neque in præsentī augetur neque in futuro. Hoc dicit Almainus tenere Henricum. Si dicas quod Deus præmiat ultra condignum. habes in. 2. d. 27. p. 7. expositum. perfectio igitur caritatis in patria nō est ex augmento habitus, sed ex præsentia obiecti approximati voluntati. Nā actus diligendi Deum non procedit à sola caritate, & voluntate sed ab obiecto per intellectum apprehenso, cum nihil sit volitū nisi præcognitum ergo diuersa approximatio obiecti faciet ad perfectionem & intensiōem actus, quia visio est quædam causa amoris vt dicitur. 9. Ethico. Sap. 11. Cum autem caritas de ratione sua non inclinet in obiectum præsens, vel absens vt faciūt fides, & spes, fit cōsequens quod caritas non euacuetur iuxta id Pauli. 1. Corinth. 13. Caritas nunquam excidit, fit etiam manifestum quod respectu habitus caritatis cognitio obiecti non se tenet ex parte ipsius obiecti, quia cognitio nō est per se causa amoris, sed quoddam prærequisitum necessario ad amorem qua cognitione habita amamus, vel non amamus. Vide Scotum hac. d. ad. 1. Tho. 1. 2. q. 67. art. 6.

Propos. 8.

In patria non euacuabitur scientia quantum ad essentiam, hoc est, quantum ad habitum, sed euacuabitur quantum ad vsum & modum Magister in litera exponit Tho. citata. q. art. 2. Quia phantasmata quæ sunt quasi materialia in virtutibus intellectuales destruentur destructo corpore, & modus cognoscendi per phantasmata remanebunt tamen species intelligibiles receptæ in intellectu possibili immobiliter. Videmus etiam in vivis ex ægritudine corrumpi habitum scientiæ quantum ad materialia phantasmata, manere vero eundem habitum quantum ad speciem intelligibilem, quæ est sicut formale. Bona. hac. d. ar. 2. q. 3. tenet scientiæ habitus manere contra aliquos: perfici autē quantum ad vsum, contra alios tenentes manere scientiam quantum ad habitum non autem quantum ad vsum. Addit etiam quod mutabitur quoad modum, qui non erit per successionem & discursum

scursum sed per simplicem intuitum. Ricard. hac. d. ar. 3. q. 1. concordat. dicit tamen quod post resurrectionem corporū poterūt beati intelligere scibilia quorum habēt scientiam cum phantasmate, & sine illo si voluerint & intelligendo sine phantasmate & sine discursu erunt similes angelis: sic vsus euacuabitur respectu phantasmatum. Modus respectu discursus. Si arguas, quod qui in præsentī habet scientiam gaudebit de pluribus in patria. Concedendum est cæteris paribus. Neq; est inconueniens cum tale gaudium sit accidētale. Huc respicit illud Danielis. 12. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti.

Argum.

Solutio.

De virtutibus moralibus idem est dicendum quod de scientia. Ita Magister infra. d. 33. quæ omnes si sunt in voluntate, facile videtur quomodo manebunt, quia sicut iustitia est perpetua & immortalis sapientiæ. 1. sic erunt & alię in voluntate. Tenendo solam iustitiam in voluntate & cæteras in parte sensitiva dicit Tho. 1. 2. q. 67. ar. 1. quod manebunt quantum ad formale, quod est ratio ordinis, in quantum ratio vnjuscuiusq; erit restitissima circa ea, quæ ad ipsum pertinet secundū statum patriæ. Quātū ad materiale q̄ est inclinatio partis sensitivæ appetitiuæ ad passiones, vel operationes euacuabūtur. Erunt igitur prudentia sine periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum. Tēperantia sine repugnatione libidinū. Iustitia habebit actū suum faciēdo subditum Deo. Videatur Magister infra. d. 33. & Alex. 4. p. q. 54. M. 1. art. 1. ad. 1. arg. & q. 21. M. 1. ar. 2. arg. 14.

Propos. 9.

Ordo dilectionis in patria nō est omnino idē quī in via. Ita videtur sentire Magister in litera. Bona. & Ricard. citant diuersos modos dicēdi. Sed probatur cōclusio à Magistro quoniā ibi tamerūt addicti iustitiæ Dei, quod nihil eis placebit nisi quod Deo videriōt placere, & diligent quomodo Deus vult illos diligere. Christus dñs, ait Magister, seruabat in via, quia erat cōprehensor, ordinē patriæ. Hinc sanctus qui libet de sua gloria contentus volet sancto maioris meriti maiorē gloriam quā sibi. Intensiōne voluntatis credo quod post Deū propriam gloriā sibi magis diligit. vide Ricard. & Tho. 2. 2. q. 26. ar. 13. quoniam sicut in via plus debet sibi diligere Deū amore concupiscentiæ, ita in patria plus cōplacēbit sibi in eo, quod tenet iā Deum, quā quod alius teneat. Tētio enim est actus volēdi sibi Deū presentē. Dato optimo

Propos. 10.

mm

posito

posito plus homo diligeret proximū amore amicitie quā cōplaceret sibi in Deo presenti, q̄ videtur incōueniens, cū in ratione beatitudinis includatur q̄ Deus sit bonū ipsi beato. Hac ratione in quantū est bonū beatorum quilibet beatus est propinquior Deo quā alius, quanuis absolute ut est summū bonū sit propinquior illi qui magis de ipso participat. De affectu in proximos posset dici, vel quod æquali affectu omnes diligit volendo illis inæquale bonum, sicut Deus vna voluntate vult cōmunicare in æqualia bona, vel potest dici cum Ricardo quod maiori affectu volet maius bonū habenti illud quā minus bonum habenti minus. De habentibus æquale quod maiori affectu volet illud bonum sibi coniunctiori. Erit nihilominus gaudiū accidentale videre saluos quos quisq̄ in hac vita dilexit. Temporalia non erit opus ibi desiderare, nisi ante resurrectionē propria corpora.

DISTINCTIO XXXII.

De Caritate qua Deus diligit nos.

Propo. 1.



Dilectio Dei est duplex, vna secundū essentiam, alia secundū efficiētiā. Magister in litera. Hoc est quod dilectio Dei erga nos potest cōsiderari vel secundū actum ipsius voluntatis, vel secundū effectum quē operatur. De hac dilectione vide Alex. 1. p. q. 31. & 32.

Propo. 2.

Dilectio Dei ut est actus diuine volūtatis est vna respectu sui, & creaturarū, & immutabilissima. Vno enim & eodē actu volūtatis diligit se & omnia, neq̄ iste actus recipit magis aut minus ut dicit Magister in litera. Facit autoritas sapientie. 6. Æqualiter est illi cura de omnibus, quia ex parte Dei est indifferentia. Vel potest alio modo intelligi, quod ibi æqualiter dicit similitudinem, quia similiter curat & prouidet de magnis & paruis.

Propo. 3.

Secundū effectus quos Deus operatur in creaturis dilectio recipit magis, & minus. Magister in litera. Per hoc decidūtur multe quæstiones. Si Deus plus diligit hominē quā angelū, quia iuxta naturā, plus angelū cui data fuit natura melior. Secundū gratiā & gloriā plus aliquos angelos, & cōuerso. Hinc Deus diligit omnia quæ sunt & nihil odit eorū quæ fecit sap. 11. Quamuis

uis enim irrationabilia nō sint beatitudinis capacia ut diligātur amore amicitie tamen diliguntur aliquid ut scilicet sint, & seruiant homini. De quo Aristo. 2. Phy si. c. 2. omnia sunt gratia nostri, sumus enim & nos quodāmodo finis. Diligit plus præscitos, & damnatos, quā irrationalia, quibus dat naturā meliorem. Possibilia quæ nunquā erunt non diligit quia nihil efficit circa illa. Quantū ad statū prælationis plus dilexit Petrū, quam Ioannem, quantum ad signa exteriora plura ostēdebat Ioanni, quod sufficit ad veritatem scripturæ vocātis eum discipulum à Christo dilectū. De gratia & gloria nobis incertum est. Nihilominus Alex. citata. q. 32. M. 4. tenet quod maiorē caritatem cōtulit Petro, & maiorē gloriā præparauit, iuxta id prouerb. 8. Ego diligētes me diligo: Petrus plus in amore Christi feruebat, quāuis Ioanni dedit in maiori excellētia cognitionē in presenti. Quæstionē tractat Bona. hac. d. Almainus dicit quod quæstio est antiqua & ruinosā. Plus etiam diligit simpliciter loquendo prædestinatum in peccato: præscitum in gratia plus diligit ut nunc & in presenti. Cæteris paribus plus diligit innocentē quam poenitentem quia bonū diuturnius, est eligibilis: quod dicitur Lucæ. 15. Maius est gaudium pro vno peccatore poenitentiam agente, intelligitur vel respectu poenitendi, ita quod maius gaudium est de poenitētia peccatoris quam de poenitentia iusti qui ea nō indiget, vel quia ut in plurimum tales peccatores plus feruent.

Dilectio Dei erga creaturas propriē & strictē loquendo est respectu beatitudinis, & tantum est intellectualium & electorum Malachie. 1. & Rom. 9. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Hanc sæpe commemorat scriptura. Rom. 8. In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Galat. 2. qui dilexit me & tradidit seipsum pro me.

Deus plus dilexit Christū in quātū est homo quā totū genus humanū. Magister in litera. Sequuntur Bona. & Ricar. Probatur quia si attendatur esse nature humanę, ipsa est vnita verbo, & sic ille homo est Deus q̄ non fuit datū toti mūdo. De gratia, & gloria patet supra. d. 13. q̄ ipse est caput, de cuius plenitudine omnes accipimus. Si petatur quare ergo pater dedit id q̄ maius & melius erat in pretiū, pro eo q̄ minus erat? Bona uentura dicit q̄ nō alie. nauit pretiū, sed ipse qui dedit recepit, redimebat misericordie

Arguens.

Solutio.

manus à manu iustitiæ; dabat vidā filij quam ei erat redditurus. Si arguas ex. i. post. tex. com. 5. seu. cap. 2. Propter quod vnū quodq; tale & illud magis, sed dedit filiū pro mundo: ergo plus dilexit mundum propter quem ipse factus fuit homo. Respondent Bona. & Ricar. quod Aristoteles est intelligēdus quando ly propter, dicit causam finalem principālē, sed mundus in proposito fuit causa inducens, et minus bonū potest esse causa inducens ad faciendū maius bonum etiā in nobis vt eleemosyna inducit sacerdotē ad celebrandū, & prædicatōrē ad concionandū.

Propo. 6.

De beata virgine satis est probabile quod ipsa non sit plus dilecta quā cætera Ecclesiæ mēbra simul sumpta. Quoniā Christus Dñs in Euangelio prætulit obseruantiam mandatorum maternitati, vide supra. d. 2. p. 6. Neq; ipsa virgo fuit caput Ecclesiæ, sed vnum membrum. Et sicut in corpore vnum membrum non præpōderat omnibus alijs membris, nisi caput, quoad hoc, quod in ipso vigeant omnes sensus, ita si gratia omnium electorum & gloria essent in vno solo non equarent gratiā & gloriam animæ Christi. Sed beatæ virginis non video quare non æquarent, & excederent, & hīc habet locum superius argumentū ex. i. post. quia tāta gratia fuit sibi data in ordine ad maternitatem, maternitas in ordine ad ecclesiam, iustitiam & cetera.

DISTINCTIO XXXII.

De quatuor virtutibus Cardinalibus.

Propo. 1.



Quatuor sunt virtutes cardinales. Iustitia, Fortitudo, Temperantia, Prudentia. Iustitia secundū August. lib. 18. de Trinit. est in subueniendo miseris. Prudentia in præcauendis insidijs, Fortitudo in perferendis molestijs, Temperantia in coerecendis prauis delectationibus. De his sap. & sobrietate & prudentiā docet, iustitiā & veritatem sobrietatē vocat temperantiam, veritatē fortitudinē, Magister in litera. Vocantur cardinales, seu principales, quia sicut ianua voluitur ex cardine, sic in istis vitæ humana & cætera omnes virtutes ad has quatuor reducuntur. Hieronymus vt habetur in litera dicit q. his quatuor in hac vitæ mortali bene viuatur & post:

& post ad æternā vitam peruenitur. Propter quod citatus locus sapi. 8. addit, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.

Hæ quatuor virtutes plenissimè fuerunt in Christo domino in quo habuerunt eosdem vsus quos habent in patria, atque etiā quosdam vsus Magister in litera: est ratio quia Christus erat cōprehensor & viator.

Virtutes cardinales non euacuabuntur in patria. Magister in litera contra aliquos. Habebunt tamen alios vsus tunc, quam habent modo in via. Citat Magister Augustinum & Bedam. Vide & supra. d. 31. p. 9. Quauis hæc quæ dicta sunt ad virtutes morales sufficerent petendo alia ab Aristotele in ethicis. Vel à moralibus doctorū Christianorū, interferā tamen nonnulla breuiter.

De virtute morali in communi.

Virtus est quæ ipsum cuius est bene affectum reddit, & opus eius bene efficit. Ita Arist. 2. Ethic. cap. 6. Quod alijs verbis sic dicitur, virtus est quæ habentē perficit & opus eius bonū reddit. Exemplificat Arist. oculi virtus, & bonū facit oculū, & opus eius putat videre, cum oculi virtute fiat vt bene videamus. Sic & virtus equi, ipsum facit bonum, & idoneum ad cursum & ad gestandū sessorem. Hæc definitio amplior est & cōmunior, quā definitio virtutis moralis. In agentibus vero naturalibus, quia sunt determinata ad vnū, neq; est in eorū potestate agere, neq; modus agēdi: virtus nō distinguitur à naturali potētia, sed ipse potētie naturales sunt, & virtutes vt virtus ignis, ipse ignis. Virtus coelorum ipsi coeli. In agente libero nō dicitur sic virtus. Idcirco virtus prout conuenit homini sic ab Aristotele definitur.

Virtus Moralis est habitus electiuus in mediocritate cōsistēs quoad nos: illoq; bonus homo efficitur, & bonū opus suū reddit. Quod sit habitus probat vbi sup. cap. 5. quia nō est passio neque potētia ergo habitus quoniā ista tria sunt in anima. Ratione quia homo cū sit rationalis, & liber quantū ad voluntatē ex se: quantū ad ceteras potētiās ex participatione voluntatis: voluntas enim est libera ad cōtraria & contradictoria, vt ad amādum & ad non amādum, & etiā ad odiendum. Ceteræ potētiæ participant libertatem in quoad contradictoria tantum, ex imperio voluntatis.

tis, vt oculus ad videndum & non videndum, non tamen ad audiendum. Igitur est necessarium aliud determinans potentias tales est habitus. Ponitur electius quia bonitas operationis humanae est a voluntate in qua laus, aut vituperium existit, vt idem Aristo. ait. 3. Ethic. capi. 1. Electio est voluntatis ponentis ante alia id quod eligit, & quasi ex alijs legentis. Idem ibi capit. 2. vide & in. 1. d. 40. r. p. Dicitur in mediocritate, id est, in medio. A signat vero Aristo. citato cap. 6. duplicem mediocritatem siue medium: vnum rei. Alterum quo ad nos: siue rationis, quoniam in omni re continua & diuisibili est aliquid aequale quod est medium: aliquid plus, aliquid etiam minus. Medium rei est ubique idem omnibus verbi gratia si duo sunt pauca: & decem multa, sex mediant proportionem arithmetica, quia in quatuor excedunt duo: & in quatuor exceduntur a decem. Medium rationis, seu quo ad nos, est iuxta quod recta ratio determinat, quia si comedere decem est multum, & comedere duo, paucum non idcirco debent alicui dari sex, sed sunt iuxta rationem mensuranda habito respectu ad comedentem. Medium igitur in virtutibus est non rei sed rationis. Virtutes morales vt idem Aristo. libr. 2. cap. 3. dicit sunt circa actiones & affectus. Hoc est habent pro obiecto vel operationes: vel passiones: atque in his est medium inueniendum rationis, vt sit virtus. In capit. 7. inquit & assignat media inter extrema virtutum, vide ibi. Sit vnum exemplum. Nimum comedere est extremum: & parum comedere, ergo comedere moderate erit virtus. Virginitas, quae videtur tenere quoddam extremum, quia dicit perpetuam continentiam ab actu venereo, est extremum rei: sed non extremum rationis: quia secundum rationem tenet medium, cuius extrema sunt velle frangere claustrum sine necessitate: & nolle frangere pro necessitate: quia pro necessitate ratio dicit quod virgo nubat. 1. Corint. 7. Melius est nubere quam vri. 1. Timo. 5. volo iuniores nubere, matres familias esse, filios procreare, nulla occasione dare aduersario. Si dicas quod virginitas inclinabit ad non cognoscendum virum postquam fuerit nupta, & sic non erit inclinatio in actum virtuosum. Communis respectio est quod habitus inclinatur in similes actus in genere rei, sed non in genere moris. Quoniam vero tenere medium in operationibus est difficile facile autem aberrare a scopo (vt dicit ipse Aristo.

Argu.
 Solu. 1.

Aristo. ibi cap. 6.) virtus dicitur esse circa difficile: vcl etiam quia est aliquando difficile inuenire medium secundum rectam rationem. Inde sunt variae hominum sententiae, & vnusquisque in suo sensu abundat. Rom. 14. quare quae possunt in partem bonam accipi non debemus iudicare in deteriorem, vt ibidem Paulus docet. Si virtutem comparamus respectu cuiuslibet extremi, ipsa tenet extremum quantum ad bonitatem ad vnum attributa, quia est bona: extrema sunt vitium, atque inter bonum & malum non mediat nisi indifferens. Hoc autem modo non loquebatur Aristo. de mediocritate in qua est virtus. Cum dicitur quod virtus facit opus bonum intellige, in quantum est principium operandi & sic nullus potest male vsque virtute vt dixit Augustinus. 1. de libero arbitrio. Posset autem quis vt in male virtute vtendo illa tanquam obiecto ad malum, vel odiendo virtutem, vel operando secundum illam malo fine, atque intentione. Vt forte Augustinus loquebatur de fide formata. Definitionem virtutis data a Augustino habes in. 2. lib. d. 27. in litera Magistri. Virtus est bona qualitas mentis, qua recte viuatur, & qua nullus male vitur, quae Deus solus in homine operatur. Vbi nota quod loquitur de virtute in se, de bonitate Morali vt supra in. 2. d. 7. p. 6. & Scotus ibidem, & eundem li. 1. d. 17. q. 1. laterali litera O. & lib. 2. d. 4. litera A. De subiecto virtutum moralium diuersimode loquitur doctor Propos. 6. Tho. 1. 2. q. 56. ar. 4. & 6. dicit quod virtutes quae ordinant nos ad Deum & proximum vt caritas & iustitia, & similes habent pro subiecto voluntatem. Aliae morales quae sunt hominis ad seipsum vt fortitudo, & temperantia habent pro subiecto appetitum sensitiuum. Et sic ponuntur in irascibili, & concupiscibili, non in quantum sunt partes appetitus sensitiui, sed in quantum participant rationem, per hoc quod natae sunt obedire rationi. Monet Thomas ex Aristo. 3. Ethic. cap. ult. ubi ponit virtutes in illa parte sensitiua quae participat rationem, videlicet concupiscibili, & appetibili, hoc est irascibili, quia vt dicit commentator Eustratius, non solum cupiditas, sed iracundia quoque appetibilis anima facta est. Scotus hac d. ponit omnes virtutes morales in voluntate. Et fuit opinio A. lex. 2. p. q. 29. M. 3. qui ponit in Angelis virtutes morales. Tho. 1. q. 59. ar. 4. negat eas ab Angelis. Cum A. lex. & Scotus est Bona. hac. d. q. 3. Ricar. q. 1. arti. 1. Tam Scotus quam Bona. ponunt in voluntate irasci-

irascibilem, & concupiscibilem. Sicut etiam est in appetitu sensitivo. Vide Scotum ad. 2. principale. Cum hoc tamen concedunt Scotus & Ricardus quod in appetitu sensitivo sit & generetur qualitas, quæ potest dici virtus. Ad hunc modum interpretatur Scotus in 1. Aigo. principali autoritates Aristotelis, ponentes virtutes in appetitu, seu parte sensitiva. Gabriel tenens cum Bona, & Scoto atq; Ricardo cum quibus est & Ochā, dicit quod virtutes morales quæ formaliter & intrinsecè sunt virtutes sunt in voluntate: quæ sunt in parte sensitiva sunt virtutes denominatione extrinseca. Ratio pro his opinantibus est, quia virtus est principium actus laudabilis, nulli autem debetur laus nisi voluntariè agenti.

Propo. 7.

Virtus Moralis dicitur à more, idest, cōsuetudine, eò quod cōsuetudine acquiratur. Ita Arist. 3. Ethic. cap. 1. vnde infert quod nulla virtus moralis in se nobis à natura, quia nihil ex ijs quæ natura fuit potest aliter assuescere. Sicut lapis quantumcunq; sursum iaciatur nō assuescit ascēdere. Similiter è conuerso corrumpuntur virtutes morales vel per cessationē ab actu quia insurgūt passiones quæ non moderatæ per rationem corrumpunt habitus: vel corrumpuntur per actus contrarios, vt castitas per actus luxuriæ.

Propo. 8.

Virtutes morales non pertinent essentialiter ad vitam contemplatiuam, quia ipsa cōsistit in contemplatione veritatis, sed pertinent dispositiue, quia moderantur passiones, quæ per suā vehementiam impediunt contemplationem. Ex quo fit vt qui alios docere voluerit vitam contemplatiuam figuratam in Genesi per Rachelem in Euāgelio per Mariam Magdalenam, & per Ioannem Euangelistam, prius eos docere debet exercitia vitæ actiuæ moderando atq; reprimendo passiones, & bene operando, quæ vita figurata fuit in Lia, Martha, & Apostolo Petro.

Propo. 9.

Virtutes morales differūt ab intellectualibus per act⁹ & obiecta: quia intellectuales habēt act⁹ intellectuales, & ipsi act⁹ habēt verū pro obiecto. Morales versantur aut circa passiones vt tēperantia & fortitudo quibus homo bene se habet ad seipsum: vel circa operationes vt iustitia per quam bene se habet ad alterū. Differunt etiam ex parte subiecti quia intellectuales sunt in intellectu: morales habent aliud subiectum supra. p. 3. Dicuntur intellectuales esse virtutes quoad facultatē operis in genere principij, quia secūdu eas operatio intellect⁹ circa verū est bona: quia vero

vti

vt tali operatione in bonum pertinet ad vim animæ appetitiuā dicuntur solum intellectuales, non appetitiuæ aut morales, quia non dant vsum bonum.

Habitus intellectuales quibus non constringit dicere falsum, qui & habitus veridici dicuntur ab Arist. 6. Ethico. c. 3. sunt quinque. Intellectus, sciētia, sapientia, ars, & prudentia De quibus solet tractari in libris posteriorū. Et ipse Arist. de singulis tractat ibi in Ethicis, per capita sequētia. Intellectus est habitus principiorū: scientia conclusionis demonstratæ: sapientia vtrūq; cōpletur, vnde ibi. c. 7. dicit Arist. Sapientia est rerū præstantissimum natura, intellectus, & scientia. Quod est intelligendū non quod sapientia integretur ab intellectu & sciētia, quia nullus habitus integratur ab alijs habitibus, quia est forma & qualitas simplex recipiens vnitatē ab obiecto: Sed pro tanto dicitur cōtinere intellectū & scientiam, quia eminentiori modo continet quæ illi continēt, quia iudicat principia esse vera ex terminis defenditq; illa, & inchoat, vtiturq; principijs per se notis deducendo cōclusiones quod est sciētia. Res præstantissimæ natura, dicit ibi cōmentator Eustratius, sunt vel principia præstantissima, vel diuina quæ & incorporea sunt, & materia carent ex se seq; subsistūt. Quare Arist. manifeste sapientiā vocat habitum Metaphysicæ. Nam Metaphysica est scientia quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se in sunt. Hoc est qd habet ens pro subiecto & eius passiones. Et sic est circa prima principia entium siue incomplexa vt Deus atq; intelligētiæ, siue cōplexa vt communia principia, & talis habitus facit hominē simpliciter sapientē, quia ipse est scire omnia in vniuersali. Scire autem in particulari arte vel sciētia, & esse absolutissimū in illa, est esse sapientem non simpliciter, sed in particulari, vt sapiens architectus, sapiens barbitor sicut ipse Arist. ait in principio citati. c. 7. quod in artibus sapientianihil aliud est quā artis ipsius virtus, idest, vltimum de potentia. Ars (vt idem Arist. dicit eodem li. 6. c. 4.) est habitus vera cum ratione effectiuus. Hoc alijs verbis dici consuevit. Ars est recta ratio factibilium. Vnde ars non est eorum quæ ex necessitate fiunt, neque eorū quæ secundum naturam sunt, sed eorum quæ possunt aliter esse, idest, contingentium. Distinguit Arist. factibilia & agibilia. Respectu actionum est prudentia, respectu

Propo. 10

n n esse 10

effectuum ars. Et in 9. Metaph. cap. 9. Differunt agere & facere per hoc, quod facere habet principium in faciente. 1. Metaph. ca. 1. & tamen transit in exteriorem materiam, sicut ædificare habet principium in artifice & transit in domum: Agere est actus permanens in agente ut visio in vidente, speculatio in speculante, & vita in anima. Ars igitur sic exposita est habitus intellectualis quo nullus male vitur secundum quod ipsa est principium sui operis. Nam malitia moralis prouenit ab appetitu. Mendacium in opere ut bene dixit commentator Eustratius super cap. 3. li. 6. prouenit ex materia non ex arte, exemplum in medico omnia faciente secundum artem cui tamen infirmus moritur non ex defectu medicinæ sed ex defectu naturæ quæ instabilis est. Idem dicendum in ædificatore, idem etiam in ciuibus actionibus secundum prudentiam. De qua prudentia infra.

Propos. 11

Iracundus & concupiscibilis: quarum sunt omnes passiones ad quas moderandas sunt virtutes sunt duæ vires animæ siue sensitivæ siue rationalis, ut habes sup. 3. p. Concupiscibilis est ad persequendum ea, quæ sunt conuenientia sensui, aut rationi, & ad refugendum nociua. Iracundus est ad resistendum illis, quæ possunt inferre nocumenta, & impugnare conuenientia. Passiones concupiscibilis sunt respectu obiecti conuenientis, Amor, prosecutio, voluptas quiescendo in re amata, & hæc pro appetitu sensitivo, nam pro rationali est gaudium. Respectu obiecti disconuenientis sunt alia tres: odium, fuga, dolor in parte sensitiva, cui correspondet tristitia in rationali: quid sit dolor habes in dist. 15. p. 5. huius tertij. Ad obiectum esse conueniens, aut disconueniens sufficit quod tale extimetur. Ad gaudium & tristitiam etiam satis est quod obiectum extimetur valde propinquum, quia quod parum distat nihil distare videtur. Iracundus habet pro obiecto arduum, quod si reputatur possibile causatur spes ut supra. dist. 26. Si impossibile desperatio. Spem sequitur audacia, desperationem timor: cum malum est præsens causatur ira, quæ respondet tristitiæ in concupiscibili. Et sic sunt quinque passiones. Spes, audacia, Desperatio, timor, ira: Quæ passiones iracundus oriuntur à passionibus concupiscibilis. Concupiscibilium prima est amor à qua omnes oriuntur, quia ex amore ad vnum causatur odium sui contrarij, & sic causantur alia. Ira in iracundus non habet
contra-

contrarium nisi priuatiuè idest, carentiam iræ, & sequitur tristitiam, quia prius est habere quod nolumus, quam velle vindicare illum, qui intulit iniuriam, videatur Ricar. in hoc. 3. dist. 26.

De Prudentia.

Prudencia est habitus vera cum ratione actiuus, circa ea quæ & bona & mala homini sunt, ita Aristoteli lib. 6. Ethic. capit. 5. *Propos. 12*
Dicitur habitus quia generatur ex frequēti dictamine, idest, ex frequenti apprehensione determinate hoc esse agendum sicut alij habitus generantur ex frequentatione. Dicitur vera cum ratione, quod alijs habitibus intellectualibus cōgruit, quia sunt veridici. Actiuus ponitur ad differentiam artis. Et sic prudentia est recta ratio agibilium. Ponit Aristoteli ibi differentiam prudentiæ & aliorum habituum intellectualium: quia scientia, intellectus, & sapientia sunt de necessarijs: prudentia & ars de contingentibus quæ possunt aliter esse. Ponit & differentiam artis, & prudentiæ penes agibilia, & factibilia: Secundo, quia artis est virtus: prudentiæ minime. Debet enim artifex, ut in vsu artis non erret habere aliam virtutem qua bonus sit, & arte bene utatur. Prudentia ipsamet est virtus regulans alias virtutes, & sic nequæ ipsa eriat nequæ prudens, aliàs enim prudens non esset.

Prudentia est virtus intellectualis & moralis intellectualis secundum essentiam, quia est in intellectu, & eius actus est intellectualis: *Propos. 13*
Dicitur Moraliscum secundum materiam, siue secundum obiectum, quia versatur circa illud quod versantur ceteræ virtutes morales, videlicet passiones, & operationes.

De perfectione prudentiæ est duplex opinio, vna diu Thomæ 1. 2. quæst. 66. artic. 3. quod simpliciter loquendo est perfectior quàm ceteræ virtutes morales, idemque dicit de omnibus virtutibus intellectualibus quia habent pro obiecto verum, & obiectum rationis est nobilius quàm obiectum appetitus. Tum etiam quia secundum Thomam intellectus est perfectior potentia quàm voluntas, & ipse est subiectum intellectualium secundum quid, videlicet, comparando ad actum, morales sunt perfectiores, quia perficiunt potentiam appetitiuam, & sunt principium actus, propter quod debet dici nobiliores in ratione virtutis quàm
n. 2. intelle-

intellectuales sint nobiliores habitus. Scotus è contra tenet hac. d. 33. litera. M. quod cæterę morales sunt perfectiores & nobiliores simpliciter, Sed prudentia est nobilior secundum quid quia præcedit alias generatione, actus enim eius prærequiritur ad actus aliarum: est nobilior in ratione regulæ & mensuræ ad quam regulantur actus aliarum. Sic interpretatur Aristot. 6. Ethico. capitulo sexto. siue. 7. qui videtur præferre prudentiam alijs, dum ait quod prudentia non est honestissima, quia potior est sapientia, quæ est altissimarum causarum. Nisi quis dicat, hominem esse optimum omnium quæ in mundo sunt: igitur secundum hoc prudentia est honestissima omnium quæ ad hominem sunt, & conferunt, & sic alijs moralibus præferenda. Exponit Scotus in ratione regulæ. Apud Scotum voluntas perfectior est quã intellectus. Prudentia igitur virtus moralis non habet aliud obiectum, nisi obiectum aliarum virtutũ quas ipsa regulat, ideo ex parte obiecti nõ est maior nobilitas, sed ex parte potentiarũ. Ad intellectũ pertinet dictare, ad voluntatẽ eligere. Sed electio est nobilior quã dictamẽ, quia posteriora generatione sunt priora perfectione ergo aliæ virtutes sunt perfectiores quã prudẽtia.

Propos. 15

Prudentiæ assignantur partes subiectiuæ, partes integrales: partes potentiales. Vide Ricard. hac. d. art. 2. q. 8. Tho. 2. 2. q. 48. Subiectiuæ dicuntur, quæ ei subijciuntur secundum coordinationem prædicamentalẽ, & sunt tres. Prima quæ ordinat hominem circa seipsum, & hæc cõmuni nomine vocatur prudẽtia. Alia ordinat ad bonũ domus seu familię vocatur œconomica, id est domestica aut familiaris. Alia ordinat ad bonũ ciuitatis & vocatur, politica id est, ciuilis. De his tribus Aristot. 6. Ethico. c. 8. Vbi hanc ciuilem fecat bifarie, in illã quę regulas præscribit quomodo sit tractãda res publica, & hæc est legislatrix: in illã quæ ciuitatẽ administrat & hæc est iudicialis. Prima dicitur Consultatiua, Architectonica & præses quia præcipit quę sunt agenda. Legislatores enim quatenus legislatores non administrat ciuitatẽ. Partes quasi integrales prudentiæ sunt octo quas vide in Ricard. & Thomã citatis. Dicuntur integrales quia integrat & perficiunt actũ huius virtutis. Partes potentiales dicuntur quia nõ habet totã potẽtiã principalis virtutis. Hæ assignantur ab Aristotele tres. Eubulia, id est, bona consultatio. Synesis, id est perspicacia, quę est iudicatiua vt ibidẽ capit.

cap. 10. Aristot. ait: Iudicat autem secundum communes leges de agendis: Gnome, id est, sententia, de qua idem Aristot. c. 11. Hæc sententiat de agendis præter communes regulas. Põnit ibi exemplum Commentator, de Imperatore diruente muros ciuitatis, quibus ciues fidebant, vt spe murorum deposita fortiter hostilibus resisterent. Has sequitur prudentia, quæ vt ibi capit. 10. autor est Aristot. est præceptiua. Nam quid agendum, aut non agendum finis est ipse, verbi gratia, Eubulia consiliatur de medijs & circumstantijs, danda est eleemosyna: quanta, quo tempore, cui, & similia. Habito consilio Synesis iudicat dandam secundũ communes regulas: Gnome præter communes. Tunc ly. Danda est, valet, ac si, dignũ est quod detur. Prudentia præcipit, fac, da eleemosynam. Sic Dauid. 1. Reg. 22. iuxta Gnomen, præter communes regulas modestiæ iudicauit dignum, simulare insaniam corã Achis, & prudentia præcepit insaniam. De his tribus partibus vide Thomã. 1. 2. quæst. 57. art. 6 & 2. 2. quæst. 51. vbi etiam põnit has tres esse habitus distinctos à prudentia. Alijs videntur superfluum ponere tot habitus, sed quod isti sunt tres actus eiuẽdem prudentiæ non differentes à prudentia aliquo absoluto, sed tantum relatione, quia prudentia includit relationẽ ad virtutes morales: hi verõ actus non includunt: ita tenet Ricardus. Nemo enim prudenter agit nisi bene consiliata & iudicata, executioni applicentur. Cum dicit Aristoteles cap. 10. quod non est idem Synesis & prudentia exponit Ricard. quod prudentia comprehendit Synesin & Eubuliam & prædictam relationem ad virtutes morales. Cum autem in cap. 11. vocat eas habitus, exponit quidam alius doctor, id est, habilitates naturales, quoniam idem Aristot. ibi infra dicit. Quocirca esse hæc naturalia videntur. Nam sapiens natura nemo est, sed sententiam habet, & perspicaciam, & intellectum. Cum Aristoteles dicit prudẽtiã esse præceptiuã, debet intelligi secundum Ricardum, quia de sui ratione est coniunctio cum virtute morali, per quam iudicium rationis rectum applicatur ad opus. Ille alius doctor dicit, quod illud præcipere est stimulare voluntatem ad bonum, quod à Theologis in. 2. distinct. 39. vocatur synterizare. Quod si aliter exponatur præcipere, vt videntur sumere Thomistæ impugnat Almainus tract. 3. Moral. cap. 2. quia Aristoteles non põnit nisi tres operationes intellectus,

Nicolaus
Dorbellis
super Ethicã

lectus, videlicet, simplicem apprehensionem, discursum, compositionem vel diuisionem, quarum nulla est præceptio. Secundo, quia stante illo præcepto voluntas est libera ad faciendum, ergo ille actus nõ est nisi stimulatio ad bonum. Tertio, quia ille actus si est naturalis, non est bonus, neque malus moraliter: si est liber, ergo bonitas & malitia actuum moralium pertinet ad intellectum. Quarto, quia communis sententia est, quod voluntas est regina in regno animæ cui subseruit intellectus sicut puer luminis portitor. Dominicus Soto lib. 1. de iustitia & iure quæstio. 1. ar. 1. conclusione. 1. ridet hanc communem sententiam, & dicit intellectum esse regem, non attendens quod est maximum & præcipuum in rege, scilicet, potestas coerciua subditorum, quam non habet intellectus. Communis opinio sequitur Anselmum de concep. Virgi. c. 4. tribuentem voluntati dominium & imperium in regno. Ad has tres reducuntur illæ octo partes integrales prudentiæ, quia ad Eubuliam, id est, consiliũ, quia consiliari est quoddã quærere requiritur potestas inueniendi, quæ si habetur propria sagacitate potest dici solertia, seu Eustochia, id est, bona cõiecturatio de medio: si per alienã eruditionẽ est docilitas, vt sit homo bene susceptibilis doctrinæ. Requirit & memoria inuentorũ. Hæ sunt quatuor partes: solertia, eustochia, docilitas, & memoria. Ad secundã quæ est synesis pertinet aliq̃ tres, scilicet, intellectus, seu ratio, quæ est sana estimatio finis. Circũspectio circumstantiarũ quæ debetur operationi, cautio bonorum & malorum possibilium euenire operationi. Ad ipsam prudentiam pertinet prouidentia, à qua per syncopen est nomẽ ipsius prudentiæ, quasi è procul videntia, per quã prospiciuntur futura vt caueatur, vel effectui mancipientur. Hæc vtrumque de partibus prudentiæ.

Propos. 16

Ex dictis possunt inferri vitia quæ opponuntur prudentiæ per defectum, aut per excessum. Puta ipsi prudentiæ imprudentia, non vt negat habitum prudentiæ in apto nato habere illam: sed vt agit homo contraria actibus prudentiæ, vt quia agit contra bonum consilium; quia agit contra id, quod synesis iudicat, quia agit contra id, quod prudentia dicit. Sicut in omnibus virtutibus inuenitur prudentia tanquam regula: ita in omnibus peccatis est imprudentia. Per excessum possunt dici opponi quæ habent similitudinem cum ipsa prudentia, vt astutia, fraus, nimia solici-

sollicitudo temporalium circa futura. Sicut ad illos tres actus prudentiæ reducuntur omnes partes integrales prudentiæ: sic contrariè omnia vitia imprudentiæ. Contra Eubuliam, id est, bonũ consilium præcipitatio, siue temeritas, quæ opponitur docilitati, solertiæ, atque memoriæ, quando quis præceptis ruit ad operandum. Contra synesin & gnomen inconsideratio, seu incircũspectio. Contra ipsam prudentiam negligentia, qua quis non est sollicitus de agendis: inconstantia, qua bono dictato à prudentia non adhæret, sed iam hoc iam illud dicit eligendum. De quibus vitij potes videre summistas.

De Iustitia.

IUSTITIA sic definitur. ff. de iustitia, & iure. l. iustitia. Est constans & perpetua voluntas ius suũ vniciquẽ tribuens. Ab Aristotele. 5. Ethicorum. c. 1. iustitia est habitus ex quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur, ex quo item iuste agunt voluntateque iusta. Et infra. Iustitia virtus perfecta est, non absolutè, sed ad alterum. De his descriptionibus videatur Thomas 2. 2. quæstione. 58. articulo. 1. Ex prædictis habemus, quod cum sit ad alterum versatur circa operationes, quæ operationes sunt materia propinqua iustitiæ: obiecta harum operationum sunt materia remota: obiectum autem formale, virtute cuius iustitia ordinat operationes in alium est ius concordans rationi rectæ: & sic est medium, seu mediocritas in qua consistit virtus iustitiæ. Vbi aduertendum, quod in iustitia idem est medium rei, & rationis, quod in alijs virtutibus potest esse distinctum, vt supra de virtute. p. 2. Hoc medium debet esse secundum proportionem arithmeticã, vel geometricam, verbi gratia, furatus sum quinque, vt seruetur iustitia debent reddi eadem quinque secundum numerum. Secundum geometriam, distribuendo in Republica dare vni centum plus est secundum arithmeticam, quam alteri decem: secundum geometricam possunt fieri æquales vnus per decem, alter per centum. Iustare enim aut iustificare est adæquare, & iustum vocatur æquum, & iustitia æquitas. Possunt igitur esse vni tantum decem, quantum alteri centum.

Propo. 17.

Ius, quod est obiectum iustitiæ est multiplex; dicitur enim in

Propo. 18.

in decretis dist. 1. ius generale nomen est. Diuiditur ibi in ius naturale, ciuile, & gentium. Naturale est commune omnium nationum, quod instincta naturæ non constitutione habetur: vt liberorum educatio, rei depositæ restitutio. Ius ciuile, quod quisque populus, aut ciuitas sibi propriam diuinam humanaque causa constituit. Ius gentium, quia illo omnes fere gentes vtantur, vt fœdera pacis, induciæ, legatorum non violandorum religio. Omne autem ius legibus & moribus constat. Hæc omnia ex Isidoro citata. d. 1. per Gratianum. De iure diuino positio nihil est dictum, neque de Canonico, nisi fortè comprehendatur sub ciuili. Vnde ius diuinum naturale iam definitum est: ius diuinum positium est, quod per legem à Deo impositam vim habet, vt patet per vetus & nouum testamentum. Ius humanum distinguitur in ecclesiasticum, siue canonicum, & in ciuile. Dicitur canonicum, quia canon est regula, & illud continet regulas sanctorum Patrum. Hoc ius est digestum per decretum, & decretales epistolas: estque commune toti Ecclesiæ. Ciuile longius patet iuxta regna & imperia.

Propos. 19 Iustitia cum pluribus modis dicatur, vt ait Aristoteles, ibidè 5. Ethic. cap. 1. vt est virtus communis virtutes in se complectitur omnes, estque præstantissima, vt neque Hesperus, neque Lucifer fit à Deo admirabilis, ita Aristoteles citatus. De qua & Ambrosius supra cap. primum Lucæ. Iustitia communis est virtus. Hæc de causa in diuina Scriptura vocantur iusti qui omnes habent virtutes, & nullo vitio subiacent. 1. Corinth. 15. Euigilate iusti, & nolite peccare. Ratione probatur, quia iustitia habet pro obiecto ius, sed ius est naturale diuinum & humanum, ergo iustus debet seruare omne ius, alioquin est iniustus peccans & violans aliquod ius. Quæstio est non parua, an iustitia sic generaliter sumpta sit specialis virtus, an sit ita generalis quod per essentiam sit communis omnibus virtutibus, vt animal est idè essentialiter omnibus de quibus prædicatur. Thom. 2. 2. quæst. 58. artic. 6. dicit, quod est specialis virtus, neque eadem per essentiam cum alijs virtutibus: sed pro tanto est generalis, quia imperat actus aliarum virtutum. In eadem sententia est Ricardus hac. d. art. 3. q. 5. Sicut caritas potest dici generalis virtus, quia ordinat actus aliarum virtutum ad bonum diuinum. Per hoc exponitur
Aristo.

Aristo. quod est communis virtus per causalitatem, & secundum virtutem, non per prædicationem. Alij tenentes contrarium vt Buridanus aliter exponit & intelligit Aristotelem. Hæc virtus generalis seu communis, quæ etiam dicitur legalis residet in principe architectonicè, in subditis secundario, quia sicut Architectus omnia disponit, quæ ad fabricam pertinent, sic princeps ciues omnes ad bonum commune.

Vltra hanc iustitiam communem & legalem est alia particularis quæ diuiditur in commutatiuam & distributiua. Ita Aristoteles. 5. Ethic. cap. 2. Distributiua distribuit honores, & diuidit onera, tributa vectigalia. Commutatiua consistit in mercimonijs emendo, & vendendo. Hæc possunt dici partes subiectiuæ iustitiæ particularis. Iustitiæ communis possunt dici partes, iustitia legalis, & particularis, quia sunt diuersæ species iustitiæ. Alterius enim speciei est debitum quod debetur communitati, quod debitum est obiectum legalis iustitiæ, quam illud quod debetur singulari personæ. Debitum singulari personæ de bonis communitatis est obiectum iustitiæ distributiue, & est alterius rationis à debito singulari personæ vt sibi proprium, quod est obiectum commutatiue. Ita Ricardus hac distinct. artic. 3. quæst. 8. Vbi & dicit, quod partes integrales iustitiæ sunt declinare à malo, & facere bonum, id est, reddere proximo debitum, & non sibi subtrahere quod suum est. Docet etiam quod iustitia legalis in principe sit alterius speciei, à iustitia legali in subditis iuxta Aristotelè. 3. Politi. cap. 3. dicentem. Iustitia alias species habet cum præest, alias cum subest. Partes potentiales assignat illi sex, iuxta Ciceronem libro secundo de inuentione rhetorica. Ad has distinctiones iustitiæ, vide & Scotum in. 4. distinct. 46. quæstione. 1.

Ex prædictis deducitur diuersitas virtutum, iuxta diuersos actus & obiecta, sub iustitia. Quoniam alter, aut est superior, vt Deus, princeps, pater, prælatus: aut æqualis, vt ciuis, amicus, frater consanguineus, vxor: aut est inferior, vt seruus, subditus. Ex quibus personis quid cuique sit debitum deducitur iuxta legem naturalem, diuinam & humanam. Ad seipsum non est iustitia proprie, vt autor est idem Aristoteles. 5. Ethicorum, cap. vltimo, quia ius debet esse inter plures, & iustitia est a seipsum.

Per translationem & similitudinem potest poni iustitia ad se, quasi ad alterum. Hoc modo poenitentia est iustitia punitiua sui ipsius quasi alterius: & pars animæ nostræ rationis particeps distat ab illa, quæ est rationis experta: unde illa debet dominari, altera subijci. Ex aduerso iustitiæ constabit iniustitia.

Propo. 21 Iustitia secundum Thomam. 1. 2. quæstione. 66. articul. 4. primum locum obtinet post prudentiam inter virtutes morales, quia habet obiectum perfectius, puta operationem, qua homo bene se habet ad alterum. Cæteræ virtutes habent pro obiecto passionem, sed operatio est præstantior passionem. Secundum Scotum, quia prudentia non est præstantior simpliciter, iustitia absolute est præstantior. Deinde sequitur fortitudo, quia circa maiora subijcit appetitum sensitivum voluntati, puta in ijs, quæ ad vitam & mortem attinent: vltimum gradum tenebit temperantia.

De fortitudine.

Propo. 22 **FORTITUDO** mediat inter timores & fiducias. Aristoteles. 2. Ethic. c. 7. & lib. 3. c. 6. Ratio huius est, quia ponitur ad moderandam irascibilem, ne retrahatur à sequendo bonum arduum propter aliquam difficultatem, & sic est contra timores. Quoniam verò difficilia sunt inuadenda moderatè ipsa moderatur audacias: unde extrema fortitudinis sunt audacia, & ignauias, ut ibi Aristoteles dicit. Audax enim arrogans & fortitudinis affectator videtur. Ponit ibi lib. 3. cap. 8. quinque modos non veræ fortitudinis, quos vide & in Ricardo hac distinct. articulo 4. quæst. 1. extremum respectu nihil timendi, quia exuperat quis in intrepiditate dicit Aristoteles, quod caret nomine, quod & in alijs fatetur esse quod aliqua extrema nomen non habent. Possentque dici insanus aut indolens, quia nihil eorum timeat quæ fortibus dolorem afferre solent.

Propo. 23. Fortitudo non est circa quodcunque terribile, sed circa maximum quod est mors. Sed neque circa quamlibet mortem, ut in mari, & in morbo, sed circa mortem in bello. Ita Aristoteles libro. 3. capi. 6. Bellum, vel est generale, ut in acie, vel speciale ut cum iudex, aut priuata persona non recedit à iusto propter mortis

tis timorem. Ita exponit Thom. 2. 2. quæst. 123. art. 4. Extendit nihilominus Arist. fortitudinem, ut sit homo impavidus in alijs mortis generibus, ut morbo, & mari. Non tamen extendit quando aliqui maritimi homines desperata salute mortem ægrè ferunt, & spe bona ob nauigandi peritiam freti sunt.

Propo. 24 Fortitudinis præcipuum est reprimere timores, quam moderari audaciam & aggredi. Ita Aristoteles libro. 3. capit. 9. dicens: Qui in timendis rebus imperturbatus fuerit magis est fortis, quam qui in illis quæ fiduciam afferunt. Quippè cum molesta sustinere, quam à iucundis abstinere difficilius sit. Ratio est, quia in obiecto fortitudinis quod est malum arduum, consideratur esse malum tanquam id, quod conuenit illi per se: victoria quæ speratur, consideratur conuenire per accidens, si malum superatur, quæ est quoddam bonum. Fortius autem mouet quod conuenit per se, quam quod ei conuenit per accidens, idcirco sustinere molesta, & reprimere timores est in ea magis principale, quam aggredi spe victoria. Vide Ricardum hac distinct. articulo 4. quæstione. 5. Unde Sanctus Mauricius & socij, magis elegerunt sustinere quam aggredi, magisque propter id laudantur. Hinc Proverb. 16. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Ecclesiast. 7. Melior est patiens arrogante, id est, audaci est fortior. Aristoteles. 3. Ethic. c. 7. ponit differentiam inter audaces & fortes sic inquit: Audaces quidem præcipites sunt, voluntque ante ipsa pericula periclitari: in ipsis verò constituti abstant: sed fortes in operibus ipsis acres ac celeres, antea quieti sunt. Contra audaces facit illud Psalm. 77. Filij Ephrem intendentes arcum, conuersi sunt in die belli. Nam cum aggredi possit quis ex subito motu, sustinere verò sonet temporis diurnitatem, sitque difficilius diu manere imperturbatum, quam cito moueri, sit consequens, ut fortior sit patiens audaci. Tum etiam, quia qui patitur, patitur ab alio tanquam à fortiori, qui aggreditur, aggreditur ut fortior sperans victoriam, sed fortius est pugnare cum magis forti, quam cum debiliore, ergo patiens fortior est arrogante. Tertio, quia sustinens sentit mala præsentia, aggrediens considerat mala, ut futura: sed difficilius est non moueri à præsentibus, quam à futuris, ergo fortior est, qui pugnat cum præsentibus, quam qui cum futuris.

Propos. 25 Martyrium est actus fortitudinis non politicæ, sed gratuitæ: de cuius ratione est quod mors sequatur. Ratio est, quia licet id sit martyrium quod testimonium, in Ecclesia usurpatum est ut sit testimonium pro Christo usque ad mortem. Quod sit fortitudinis patet ex Paulo Hebr. 11. ubi loquens de martyribus, ait: Fortes facti sunt in bello. Dicit & Beatus Maximus in sermone. Qui occiditur pro Christo victus non dicitur, quia non vincitur, quamvis occidatur: sed re vera victor occiditur, quia cum occiditur victor efficitur, corona verò victoribus datur. Neque ordinatur martyrium ad hanc politiam & civilitatem inferiorem, sed ad civilitatem civium superiorum. Qui passus pro Christo non moritur, dicitur confessor & non martyr, etsi pluries patiatur, vocatur pluries confessor, ut bis, vel ter, aut quater. Ad martyrium non refert, quod aliquo tempore post tormenta vivatur, neque qualiter mors sequatur, modo illi mors infligatur ab extrinseca actione persecutoris, ut si carcer sit atrox; quia si est levis & infirmitas succedat, non est propriè martyr, idem est dicendum de exilio. Quamvis caritas concurrat ad martyrium, & quandoque iustitia elicitur nihilominus propriè à fortitudine. De qua dicit Aristoteles. 3. Ethic. cap. 9. quod finis fortitudinis est iucundus, sed quæ circumstant molesta. Et subdit, quod non in omnibus virtutibus inest cum iucunditate operari, nisi quatenus finem ipsum attingimus. Hoc maximè relict in martyrio sicut. 2. Machab. 6. dicebat Eleazarus. Domine qui habes sanctam scientiam manifestè tu scis, quia cum à morte possem liberari: duos corporis sustineo dolores, secundum animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior. Scotus in hoc. 3. d. 15. litera. H. dicit, quod si martyres expositi maximis tormentis habuerunt usum rationis fuit ex gratia speciali creatoris, quoniam sicut Aristoteles dicit 7. Ethic. cap. 10. constitutus in voluptate venereorum nemo intelligere quippiam potest, quia, scilicet, priuatur vsu rationis: igitur multo magis dolor vehemens natus est de communi lege impedire usum rationis, quoniam passiones causatæ à tristibus plus movent, quam causatæ à delectabilibus: ut idem Scotus ibi dicit, & in. 4. d. 20. litera. A. deducit ex Augustino. 83. q. q. 36. Neque propterea martyres non sunt laudandi, & alij fortes morti se exponentes pro virtute, quia illa privatio vsus rationis non est perpe-

perpetua sed brevis, & licita: sicut eligit homo somnum propter bonum finem meritorie, in quo se priuat vsu rationis, quod meritum & laus non est in ebrioso

Fortitudo non habet partes subiectivas, quia cū sit circa materiam valde specialem non diuiditur in multas virtutes differentes specie. Ita Ricardus hac. d. art. 4. q. 8. Tho. 2. 2. q. 128. Assignatur vero illi partes integrales quatuor. Quoniam respectu aggressio nis quæ est actus fortitudinis requiritur confidentia, & ne ab incepto desistatur requiritur constantia. Ad sustinendum ne homo cadat per tristitiam requiritur patientia: & ne ex diuturna passione difficilium homo fatigatus desistat sustinere requiritur perseverantia, quæ est permanens stabilis & perpetua in ratione bene considerata. Non sumitur in proposito pro continuatione in bono usque ad finem vitæ, quia sic est conditio cuiuslibet virtutis vnde Math. 10. & 24. Qui perseveraverit usque in finem salvus erit: sed sumitur prout per eam eligit quis durare usque ad debitum finem in incepta sustentia non obstante diuturnitate temporis Heb. 12. Non fatigemini animis vestris deficientes. Hæ quatuor concurrunt ad integrandum actum fortitudinis. Quæ quatuor si referantur ad alias materias minus difficiles, quæ periculum mortis, dicuntur & sunt partes potentiales fortitudinis, & virtutes ab illa distinctæ, vocanturque eisdem nominibus excepta constantia, quæ vocatur à Tullio. 1. Rhetoricæ. Magnificencia, id est, rerum magnarum & excellentiarum cum animi ampla quadam & splendida propositione cogitatio, atque administratio. Quæ magnificentia ab Arist. 4. Ethico. ca. 2. ponitur circa magnos sumptus pecuniarum, & quod excedit liberalitatem magnitudine, quia liberalitas est circa omnes pecunias. Magnanimitas quæ videtur esse idem cum fiducia ponitur ab eodem Arist. ibi capitulo tertio circa magnos honores dicendo. Esse sane Magnanimus is videtur, qui cum magnis sit dignus, magnis quoque se dignum esse existimat. Nam qui non pro dignitate id facit stolidus est: & qui cum sit indignus dignum se magnis putat inflatus est. Qui vero arbitratur se dignum minoribus quàm sit pusillanimitas est. Qui parvis dignus est, & illis se dignum censet temperans est non magnanimus. Hæc Arist. A Christo Dño sumus edocti Christiani aliam virtutem contentam sub temperantia quæ vocatur hu-

militas, de qua tractat specialiter viri religiosi, quæ pertinet non ad vitam civilem, ad quam ordinantur virtutes vt de eis locutus est Aristoteles, sed pertinet & ordinatur ad vitam Christianam & spiritualem. Hæc virtus tractat de eadem materia de qua Magnanimitas, videlicet de honoribus, reprimendo appetitum ad illos: Magnanimus habet pro obiecto operari magna: Et quia honor sequitur magna operantes qui honor speratur potest impedire ab operando, nam si speretur aut procuretur excessiue vt procurant ambitiosi, desistitur ab operando magna, & quæritur honor per alias vias: Si sit incuria & despectio honoris immoderata desistitur ab operando magna. Idcirco Magnanimitas mediat refranando spem, & moderando vt solum speret honorem sibi debitum, & cui secundum rectam rationem homo videt se esse parem. Humilitas de qua tractamus Christiani est subiectio sui ad Deum, & ad ea quæ dei sunt, vnde sic definitur à sancto Bona, in expositione regulæ sancti Francisci cap. 3. Humilitas est virtus, qua homo vera cognitione sui sibi ipsi vilescens appetit tractari vt huiusmodi, & non sublimius gubernari. Ad hæc pertinet moderari spem & reprimere ab honoribus sperando & procurando illos proprijs viribus, quia hoc contrariatur subiectioni, quam habet ad Deum, & ad ea quæ Dei sunt. Licet hæc duæ virtutes tractent de eadem materia, quia tractant ex diuersa ratione, sunt diuersæ Magnanimitas fortitudinis: Humilitas temperantiæ. Habent itaq; præfatæ quatuor virtutes hæc nomina. Fiducia, seu Magnanimitas: Constantia, seu magnificentia: Patientia: Perseuerantia: Cū vero magnificentia addat quandam magnitudinē supra liberalitatem, illa magnitudo quia habet rationem ardui pertinet ad obiectū irascibilis, & ideo ad fortitudinē. Ex his potes philosophari ad vitia opposita.

De Temperantia.

Propos. 27 **T**emperantia, vt ait Arist. 3. Ethico. cap. primo versatur circa voluptates, & non omnes, sed illas quas habemus communes cum animalibus, quæ sunt tactus & gustus. Neq; tactus intemperantis versatur circa totum corpus sed circa partes quasdam. Quod exponēs cōmentator Eustratius dicit, illas esse gulā & pudenda in quibus ingluuiēs & luxuria inest. Quoniā istæ voluptates

tates non sunt in nobis quatenus homines sumus, sed quatenus animalia dicit Aristot. quod seruales & ferinæ habentur. Ponitur temperantia ad moderandam & regulandam vim concupiscibilem. Est principaliter respectu voluptatis tactus. Secundario respectu delectationū aliorum sensuum vt olfactus, visus, & auditus, quāuis non quarūcunq; rerū sed illarum quæ in recordationem rerum concupitarum ducere consueuerunt, vt olfactus vnguentorum, opsoniorum visu, & auditu venereorum. Vide ibi Aristot. Quoniam verò gustus propinquior est tactui, quam alij sensus, ideo temperantia magis est circa gustum, quā circa alios. Et quoniā delectatio causata à delectabili præsentis in re est fortior, quā causata à delectabili præsentis in spe, principaliter actus temperantiæ est respectu delectabilis præsentis realiter, ex consequenti respectu præsentis in spe. Ita Ricar. hac d. art. 5. q. 3. Scotus, dist. 34. Sequenti litera. K. dicit quod prima concupiscibilia videntur esse duæ, honor, & voluptas vel delectatio stricte sumpta. Aut sic: sunt bonum conueniens, honestum & delectabile, quia vtile non concupiscitur nisi in ordine ad aliud, Dicit ergo quod primæ species temperantiæ erunt duæ, Humilitas respectu honorum: quæ circa voluptates retinet sibi nomen Temperantiæ hoc est nomen generis. Ex quo apparet secundū Scotū qd temperantia potest capi dupliciter, vno modo stricte & sic est circa delectationes tactus & gustus: Alio modo largius & sic est virtus cardinalis circa omnia cōcupiscibilia. Vnde & idē Scotus ait ibidē, qd fortitudo, temperantia & iustitia sunt genera virtutū intermedia. Neq; solum ponit temperantiā respectu voluptatū sensibilium, quibus delectatur voluntas coniūcta sensibus, sed respectu voluptatū quæ sunt propriæ ipsi voluntati, vt est voluntas. Quare dicit quod voluntas angeli potest appetere bonum delectabile, quamuis non habeat appetitū sensitiuū. Addit etiā quod illæ temperantiæ distinguuntur, cū possit vnus esse temperatus circa venerea, & non circa gustabilia: temperatus circa sensibilia, & nō circa speculabilia. Per dicta possunt patere extrema quia per excessum respectu tactus, est luxuria: respectu gustus gula. Per defectum erit insensibilitas, quando quis in tantum refugeret delectationes qd prætermitteret illa quæ sūt necessaria ad cōseruationē speciei, & indiuidui: quia talis dicitur insensibilis & agrestis.

Propo. 28. Partes subiectiuæ temperantiæ respectu tactus sunt duæ, castitas, quantum ad delectationem principalem coitus: pudicitia quantum ad delectationes circumadiacetes, in osculis, tactibus, & amplexibus. Respectu gustus aliæ duæ. Abstinencia quoad cibum: Sobrietas quoad potum. Partes integrales sunt duæ, verecundia per quam homo refugit turpitudinem: Honestas per quam amat pulchritudinem temperantiæ. De verecundia quæ est timor de turpi actu dicit Ricardus hac. d. articulo quinto questione. 8. quod potest capi tripliciter. Primo pro passione, & non est virtus & de hac est intelligendus Arist. 2. Ethic. capitulo septimo dum ait. Verecundia virtus quidem non est, sed laudatur tamen. Et lib. 4. capit. 9. Verecundia affectus magis est, quam habitus. Quippe quæ timor infamiæ definiatur. Secundo modo pro actu, & sic est actus virtutis. Tertio pro habitu habituante appetitum ad actum verecundandi secundum rectum iudicium rationis. Et sic est virtus. Tenetque per hoc contra Thomam. 2. 2. q. 144. arti. 1. negantem illam esse virtutem loquendo proprie de virtute: sed sumendo communiter nomine virtutis omne quod est bonum & laudabile in humanis actibus. Partes potentiales sunt plures. Assignat Tullius. 2. rhetor. tres, Continentiam. Et ipsa refrænât voluntatem ne sequatur prauas concupiscentias, Clementiam: quæ refrænât exteriorem vindictam: vt refrænât passionem interiorem iræ, vocatur in assuetudo. Modestiam: quæ moderatur actus & gestus corporales. Aliqui ponunt humilitatem sub modestia. Per quam vt dictum fuit modo in fortitudine, homo subijcit se & sua Deo, & ijs quæ sunt Dei. vbi pondera quod subijcit se & sua in quantum sua. Quapropter homo videns aliquid Dei in alio homine, subijcit alteri sua in quantum sua verbi gratia iudicibus, & ducibus tanquam à Deo missis homo subditur, imo & omni humanæ creaturæ. 1. Petri. 2. & Rom. 13. Quia pie iudicat homo per humilitatem esse aliquod bonum in proximo quæ ipse non habet debeat alteri propterea subijci. Peccata nostra scimus, aliorum ignoramus, idcirco nos reputamus alij proximis esse sepeiores. In eo autem quod quis videt se habere de Deo non debet alteri subijci. v. g. prælati & iudex habent potestatem à Deo non debent potestatem suam prætextu humilitatis alteri vt homini subijcere. Quare prælati sine detrimento humilitatis honorem & obedientiam

à subdr

à subditis exigunt. Iudices inter se de iurisdictione ad quem pertineat litigant. Inferiores iudices quamuis habeant à Deo potestatem, alteri potestati superiori quæ à Deo etiam est suam subijciunt. Ideo Paulus Corinth. 1. cap. 14. dicebat. Prophetæ duo aut tres dicant, ceteri dijudicent. Quod si alij reuelatum fuerit sedenti prior taceat. In lib. 3. Reg. capit. 13. sefellit propheta prophetam vt comederet contra domini præceptum, qui tamen formaliter contra humilitatem non egit subijciendo suam reuelationem, alij reuelationi, cui cito credidit vt leuis corde, non probans an ex Deo esset.

Aristoteles. 7. Ethic. cap. 1. ponit tres species siue gradus vitiorum & virtutum. Primus est vitium: Secundus, incontinentia. Tertius feritas. Contra vitium est virtus: Contra incontinentiam continentia. Contra feritatem virtus heroica & diuina quæ supra nos est. Tantum enim valet Heros apud Græcos, quod apud Latinos semideus: ita quod Heros neque homo est neque Deus & simul vtrumque est. Late has prosequitur Aristoteles. Christiani qui facilius possunt euadere in philosophos Morales quæ Ethnici ponunt tres gradus in virtute vt supra. d. 29. incipientem, quando quis operatur virtuosè in principio: proficientem, quando habetur virtus iuxta communem modum humanæ possibilitatis prætendendo semper in ea crescere: perfectam, & Heroicam quando superexcedit communem modum. Vnde homines excellentes vocamus Angelos, sanctos & diuinos quasi angelica & diuina virtute insignes dum adhuc viuunt. Et contra de vitijs, vt primus gradus sit vitium correspondens cuiusque peccato. Secundus Malitia quando quis peccat sciens & volens. Tertius Bestialitas, quando iam tam est effrenis quod excedit communem modum peccandi de quo Prouer. 18. impius cum in profundum venerit contemnit & sequitur eum ignominia & opprobrium. Idcirco aliquos vocamus leones, vt feros porcos, tigres. Iuxta id Psalm. 48. Homo comparatus est iumentis insipientibus & similibus factus est illis.

Propos. 3.

pp. D. L.

DISTINCTIO XXXIII.

De septem donis Spiritus sancti: specialiter de dono timoris.

Propos. 1.



Dona Spiritus sancti sunt septē quæ fuerunt in Christo domino. Magister in litera. Et probat Isaia. 11. Egredietur virga de radice Iesse, idest, beata virgo, & flos, idest Christus de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini.

Propos. 2.

Ista dona sunt virtutes. Magister in litera ex Ambrosio. Ratione huius est inter doctores quæstio an hæc dona sint iisdem habitus cū virtutibus. Sæctus Bona hac. d. q. 1. tenet quod sunt distincti habitus à virtutibus. Eandē tenet Ricardus. q. 1. qui & ait suo tēpore fuisse communem opinionē doctorum. Et videtur fuisse etiā Alex. 3. p. q. 72. M. 2. ar. 2. sequitur eam Tho. 1. 2. q. 68. art. 1. Scotus. hac. d. tenet sine assertionē tamen, quod dona Spiritus sancti, & octo beatitudines quas ponit Matthæus. 5. cap. Et duodecim fructus Spiritus sancti quos Paulus Gala. 5. numeravit sunt iisdem habitus cum tribus virtutibus theologis, & quatuor cardinalibus, quia in via demptis his septem virtutibus non sunt alij habitus necessarij. Ante solutionem argumentorū dicit quomodo scriptura frequenter eadem exprimens exponit sub alijs verbis nunc omittens quedam, nunc alibi omissa explicans. Vnde Petrus. 2. ca. 1. ponit octo. Ministrare in fide vestra virtutem, in virtute scientiam & cætera. Paulus 1. Corinth. 12. ponit nouem quæ non ponuntur habitus distincti vt gratia sanitatum, operatio virtutum quæ non videntur habitus. Igitur ex eo, quod scriptura nominet beatitudines, dona, & fructus non sunt idcirco habitus. Diuus Thomas ponens dona & virtutes esse habitus distinctos, ponit beatitudines & fructus esse operationes, distinguque à virtutibus & donis sicut actus distinguuntur ab habitibus, vide 1. 2. q. 69. ar. 1. & q. 70. ar. 2.

Ex

Distinctio XXXIII.

Ex prædictis patet intellectus Magistri, quia secundum vnam opinionem cum sint habitus distincti sunt virtutes. Secundum Scotum sunt proprie virtutes, & eadem quæ theologales & cardinales. Cum Scoto sunt Almainus hac. d. & tracta. 3. Moral. cap. 13. Gabriel hac. d. citat pro ea Ocham tacito tamen loco. Et forte est in. 4. q. 3. Dum ait à litera. N. & deinceps, quod præter virtutes theologicas quæ infunduntur in baptismo & virtutes morales acquisite non sunt necessariæ aliæ virtutes infusæ, sed si dona reputasset pro habitibus distinctis à virtutibus concederet, quod infunderentur.

Hæc dona Spiritus sancti manebūt in patria & fuerūt in Angelis. Magister in litera. Probatur quia fuerūt in Christo qui fuit in via beatus. Dic verò quod manebūt secūdu excellentiorē vsum, & actū quam habent modo in via, vt supra. d. 33. de virtutibus.

Timor distinguitur quadrupliciter, in mūdanum siue humanum, seruilem, initialem, & filialem, qui est castus siue amabilis. Magister in litera, vide & supra. d. 15. p. 6.

Sed Arg. Timor filialis est volūtaria subiectio diuinæ volūtatī vt ibi. d. 15. sed humilitatis est eadē definitio seu notificatio vt. d. præcedenti in materiā temperantiæ ergo timor filialis est idē cum humilitate. In via Scoti concedendum est Argu. Ait enim ipse litera. O. Timor est species temperantiæ, idem est omnino quod humilitas licet alio nomine nominetur. In alia via posset dici quod differunt, quia licet sint de eadem materia non sub eadem ratione seu obiecto formali: quia ratio formalis in timore est diuina excellentia cognita vt talis: in humilitate est propria paruitas cognita vt talis. Timor filialis refrænāt voluntatem à culpa. Humilitas ab honoribus: & sic differunt.

Timor seruilis non est malus, neque actus ab eo procedens: imo est bonus: Itatenet Bona. hac. d. numero. 64. Hæc est definitio in Concilio Trident. Sess. 6. cano. 8. Si quis dixerit Gehennæ metū per quem ad misericordiā Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus peccatū esse, aut peccatores peiores facere anathema sit. Et sess. 14. ca. 4. de cōtritione, est ad idē contra Lutherū dicentē contritionē propter timorē gehennæ esse peccatum. Hunc timorem Ioannes Baptista prædicabat dicens vt fugerent à ventura ira, quia arbor non faciens fructum

pp 2 est

personam, atq; industriam studij necessarii, ad quod non est idoneus foeminarum sexus: in Prophetia nihil industriae personae requiritur, Sed quod ipsa gratia prophetandi agnoscat esse in persona prophetante, qua sic agnita non minus creditur foeminae quam viro. Aliae gratiae gratis datae sunt ad honorificationem diuinae bonitatis quae bonitas communicatur hominibus vt prouocent proximos suo exemplo, secundum hoc est illud. 1. Corinth. 13. Si linguis hominum loquar & angelorum: si distribuero in cibos pauperum facultates meas: Si tradidero corpus meum ita vt ardeam. Nam pietas naturalis ad pauperes: Patientia, & mititas naturalis: lingua placabilis quae prouer. 15. dicitur lignum vitae. Et Eccli. 6. verbum dulce multiplicat amicos, mitigat inimicos: Sunt dona gratiae gratis datae potentes esse in peccatore, faciunt vero ad alliciendos proximos in bonum.

DISTINCTIO. XXXV.

De differentia donorum Sapientiae, scientiae intellectus: & de vita contemplatiua.

Propo. 1.



Sapientia proprie est cognitio rerum diuinarum, scientia rerum humanarum, sed non omnium, verum illarum tantum, quibus fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleat ipsa fide plurimum. Magister in litera ex Augustino. 14. de Trinit. Quod haec dona distinguantur patet ex Paulo. 1. Corinthio. 12. Alij datur sermo sapientiae, alij sermo scientiae. Exempli gratia in Christo est diuina natura, & humana, ideo habemus de ipso sapientiam & scientiam. Potest tamen sapientia dici scientia, & e conuerso, idem Augustinus. Loquitur in praesenti non de sapientia, quae Deus est, sed de sapientia creata quam communicat hominibus.

Propo. 2.

Intellectus est de Diuinis, & etiam de creatis inuisibilibus vt de angelis, de animabus, de bonis affectionibus. Neque scientia & intel-

& intellectus prout sunt dona Spiritus sancti sunt iidem cum habitibus intellectus, & scientiae naturalibus, quia dona infunduntur vt naturalia reformatur, vide in litera.

Sapientia pertinet ad vitam contemplatiuam, scientia ad vitam actiuam. Magister in litera, ex eodem August. Affert illud Iob. 28. Sapientia est pietas, scientia vero abstinere a malis. Nomine pietatis capit Dei cultum qui est in cognitione & dilectione. Traductio comunis sic habet verba Iob. Ecce timor dñi ipsa est sapientia, & recedere a malo intelligentia erit timor ille Domini sanctus, & intelligentia erit scientia, ita quod nomine ipsius intelligemus ea, quae ex lege Dei, & scripturis sacris valent ad rerum temporaliu administrationem, & ad bonam conuersationem vt habes in litera ca. 2. Inde idem Iob vbi supra dixerat. Trahitur sapientia de occultis ca. 7. in manu Dei nos & sermones nostri & omnis sapientia, & operu scientiae disciplina. Vbi Dionysius Carthusiensis exponit. Idest, Moralis doctrina operum scientiae ethicae ac practicae: ex qua opera bona reformationesq; passionu procedunt. Et per scientiam potest hic specialiter prudentia designari. Haec Dionysius. Sed cum in litera Iob ponatur in intelligentia satis constat vnu pro alio sumi. Propter quod ibidem sapi. 7. gloriatur Salomō, se habere scientiam veram, hoc est sine errore, sicut est in scientijs acquisitis & philosophicis, vt sciret dispositionem orbis terrarum, virtutes elementorum & caetera.

Quaestio est de actiua & contemplatiua quae sit praestantior & maioris meriti. De actiua prout consistit in exercitio virtutum moralium hominis ad seipsum, puta ieiunando, manualiter operando non est dubium quin sit maioris meriti & praestantior contemplatiua quam actiua, sicut finis est praestantior ijs quae sunt ad finem. Sed de actiua prout procedit a contemplatiua, videlicet docendo proximos, & gubernando quod est praetatoru officium quidam tenent quod actiua sit praestantior quoad vsum, & hoc non solum alijs proximis, verum ipsi met operanti, sicut res minus nobiles in substantia quantum ad vsum preponderat, vt argentum preponderat passerculo cum tamen creatura viuens sit melior non viuente. Alijs videtur e contra quod simpliciter contemplatiua sit melior & magis meritoria, quia radix meriti est caritas Dei. Vita contēplatiua magis ordinatur ad dilectionem

nem Dei, quā actiua. Vnde Grego. homil. 3. super Ezech. quia actiua minor est merito quā cōtemplatiua recte dicitur, manus hominis sub pennis eorum. In hanc sunt Bona. in opusculo de Vita Christi, ca. 57. vbi de his duabus tractat latissime Tho. 2. 2. q. 182. ar. 1. & 2. Ricardus hac. d. ar. 1. q. 4. & fuerat hęc eadem mens Alexan. 4. p. 1. q. 87. M. 2. & q. 106. M. item Secūdo ar. 1. in solutione arg. 2. & hoc ex natura rei, tamen ex aliquo alio, puta obedientia, nimio ad proximos amore aut necessitate superueniente posset quis plus mereri in actiua: vt habetur cap. Licet. de regul. & transeun. ad religi. quod utilitas communis præfertur speciali, & in casu præponitur doctrina silentio sollicitudo cōtemplationi, labor quieti. Vnde citatus Bona. ponit in cap. 58. tres causas propter quas à cōtēplatione, transmigratur ad actiua, vna est lucrum animarū: Secunda ratione officij imminētis: tertia quando recedente sponso non sentit anima solitas consolationes. Lia typus vitæ actiue fecundior fuit Rachele, at vnus filius Rachelis plus à patre diligebatur quam alij filij Lia, & ipse Ioseph parentē & fratres aluit in Ægypto. Moses orando plus faciebat contra Amalech quam Iosue pugnando exod. 17. Atq; oratio maxime mentalis pertinent ad cōtēplationem. Quod vero Augustinus de opere Monachorum reprehendit non laborantes prætextu orationis, ideo fuit, quia cū in sæculo essent laboriosi volebant esse in religione ociosi vacantes debiliter cōtēplationi. Cum non deceret vt in ea vita vbi senatores sunt laboriosi, ibi fiant opifices ociosi. Ex his apparet inter religiones varietas opinionum quæ sit præstantior. Quædam se tuentur cōtēplatione ad quā ordinantur, & dicunt esse tutius habere reditus in communi, quam viuere sine proprio in cōmuni, & mēdicare, quia mendicantes in mundū exire coguntur inter viros, & mulieres, vbi multæ sunt occasiones peccandi. Alij se tuētur, quia eorum institutum sit ad opera prædicationis, & cōfessionis quæ procedunt ab ipsa vita cōtemplatiua. Alij redemptione captiuorū, pro quibus in casu teneantur vitam exponere, & maiorem caritatem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis. Ioannis. 15. alij videntes opera religionū esse dispositiones ad cōtemplatiua, & per se tria vota esse omnium religionū substantialia, illam volūt esse perfectiorē simpliciter & per se, quæ

Coroll.

quæ ad triūm votorum obseruantiam plus disponit, & in ipsis tribus votis plus excedit. v.g. vouere paupertatem hoc est viuere sine proprio in particulari est perfectio, vouere sine proprio in cōmuni est perfectio, ergo maior perfectio vouere vtrūq; simul, quā vnū sine alio. Perinde attendūt quæ sint de per se obligantia ad perfectiorē obseruantiam aliorū votorū substantialiū.

DISTINCTIO XXXVI.

De connexionione virtutum.



Omnes virtutes sunt cōnexæ, ita vt qui vna caruerit *Propo. 1.* omnibus careat, & qui vnam habet omnes habet. Magister in litera ex Hieronymo super Isaiam. sed quia Magister probat hanc ex caritate posset esse dubiū de intellectu. Qui tenuerint opinionē Stoicorum quod omnes morales sunt cōnexæ (vt tenet Cicero in paradoxis quod paria sunt peccata) dicent Magistrū suæ opinionis. Qui tenuerint è cōtra exponent Magistrū intelligere de sola caritate. Quam Paulus post enumeratas cæteras virtutes Colos. 3. vocauit vinculum perfectionis. Bona. hac. d. nu. 23. docet quod vna virtus moralis potest esse sine alia simpliciter loquendo: tamen vna virtus non potest perfecta esse in aliquo sine alijs moralibus. Idē docet Tho. 1. 2. q. 65. ar. 1. Quomodo sine caritate sint aut non sint virtutes habes supra. d. 23. p. 6.

Duplex opinio refertur à Magistro si virtutes in quocūq; sunt *Propo. 2.* sint æquales vna est negatiua sicut Iob eluxit in patiētia. David in humilitate, Moyse in mansuetudine. Alia est affirmatiua ad quam declinat Magister tanquam ad veriore dicēs quod sunt pares in animo hominis: secundum autem vsum exteriorē, aut secundum cōparationem aliorū hominū dicitur vnus præeminere in aliqua virtute. Hoc est quia plus exercet actus illius, ad quos actus nō solū concurrat habitus, sed etiā liberū arbitriū: vel quia homines vidētes iudicant qd plus habeat de vna virtute quā de alia. Affert pro se Augustinū. Ratio ad hanc fundatur in quatuor cōditionibus quæ debēt in quolibet virtutis actu cōcurrere, quæ cōditiones, quælibet suæ virtuti cardinali tribuitur. Hæ sunt discretio, rectitudo, firmitas, moderatio. Nō enim est actus

virtuosus nisi sit cum discretione, quæ appropriatur prudētiæ: Cum rectitudine quæ iustitię: Cū firmitate animi in bono, quæ appropriatur fortitudini: Cum moderatione quæ temperantię. Sunt in homine virtutes æquales quando in eo sunt, quantum ad habitum licet non quantum ad actum. Thom. 1. 2. q. 66. ar. 2. quia ponit connexionem virtutum ex parte prudentiæ ponit æqualitatem virtutum ex parte ipsius prudētiæ. Si dicas virtutes tā acquisitæ quā infusæ differunt specie, & species sunt sicut numeri ergo virtutes nō sunt æquales in perfectione. Respōdetur quod æqualitas intelligitur secundum proportionem, sicut digiti manus crescunt æqualiter, & augentur secundum proportionem. Vbi erit æqualis prudētia quæ est forma virtutum moralium erit æqualitas virtutum in proportione: Erunt itaque virtutes æquales quantum ad formale, & inæquales quantum ad materiale cum sint circa diuersas materias: Propter quas materias vnus magis ad actum vnus inclinatur, vel ex consuetudine, vel ex Dei dono præueniente in benedictionibus dulcedinis. Quod de prudentia est dictum potest & de caritate dici, quæ est forma perfectior quam prudentia. Si dicas virginitas & continentia sunt virtutes quas non habet homo vxoratus. Respondet Magister: quod habet habitus illarum licet nō habeat actus. Potest dari ratio quia caritas inclinatur coniugatos ad actum matrimonij secundum legem Dei: Eadem caritas inclinatur virginē ad actum castitatis. Secundum hoc dicitur magis inclinare ad actum vnus virtutis diuersos homines, imo & eundem secundum diuersos status. Quæ inclinatio caritatis est imperando nō eliciendo.

Argum.

Propos. 3.

Si habito recto dictamine sine electione, tale dictamen sine hoc quod voluntas illud sequatur, sit prudētia: ita quod prudētia sit sine virtute morali, dubium est. Thom. 1. 2. q. 58. art. 5. & q. 57. art. item. 5. tenet quod non est prudentia sine virtute morali: Sed tale dictamen erit scientia moralis. Dixit enim Aristo. 6. Ethico. cap. 2. quod rationis actiuę & cogitatiuę est veritas quæ appetitui recto cōsentanea est. Hoc est, quod intellectus practicus non est circa verum simpliciter, sed circa verum consonum appetitui recto. Sed prudentia est habitus actiuus vera cum ratione vt supra. dist. 33. igitur sine electione non erit prudentia.

Confir.

Confir. quia verum intellectus speculatiui est necessariū quod non potest aliter esse, ideo nullus habitus speculatiuus est de cōtingentibus: sed verum intellectus practici est de cōtingentibus quæ possunt aliter esse, ergo solum dictamen sine electione non est prudentia sed scientia speculatiua. Secundo quia prudentia est bene consiliatiua, bene iudicatiua, bene præceptiua, sed vno horum deficiente definit esse prudentia, deficit vero actus præcipiendi si non sequitur electio, ergo prudentia est necessario connexa cum virtute morali. Scotus hac. d. litera. I. hanc opinionem reputat probabilem, sed contrariam probabiliorē: quia prius nō dependet à posteriori, sed prior est prudentia saltem natura quā electio, id est quam virtus Moralis, ergo in illo priori saluatur ratio prudentiæ. Confir. quia illis tribus positis non necessario sequitur electio, sed per illos tres actus est prudentia bene consiliatiua, iudicatiua, & præceptiua, igitur est prudentia sine electione. Addit ibi Scotus quod prudentia non solum est circa media, sed dicitur etiam de fine saltem particulari vt verbi gratia de castitate. Generatur castitatis virtus ex electione ipsius castitatis, quam electionem præcessit prudentia, igitur prudentia dicitur de fine, & non solum de medijs vt Thomas vult. Authoritatem Aristo. exponit Scotus vt sufficiat quod quantum est de se appetitus rectus debeat sibi conformari siue in dictante sequatur electio, siue non. In isto dictamine plus requiritur quam sola aptitudo vt sibi conformetur appetitus: requiritur enim illa stimulatio quam facit, quæ videtur addere supra aptitudinem solā. Per quam stimulationem habet etiam aliquid supra scientiam Moralem, quæ scientia sistit in intellectu vt sciat, & cognoscat, virtus autem Moralis non potest esse sine prudētia. Morales esse possunt sine intellectualibus vt sine sapientia, scientia, & arte: Non tamen sine intellectu & prudentia. Vult idem Scotus litera. L. quod cuilibet Morali correspondet sua particularis prudētia. Sequitur Bassolis hac. d. arti. 2.

Virtutes theologice quantum ad actualem existentiam neq; in via neq; in patria sunt necessario connexæ, vide supra de fide, & spe informi quod sunt sine caritate d. 23. & 26. & d. 31. de euacuatione fidei & spei in patria.

Quoad infusionem, infusa caritate aliæ virtutes infunduntur. *Propos. 5.*

99 3

Patet

Patet ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 7. vide & in 1. lib. d. 17. vide & Scotum in. 4. d. 4. q. 2. ad 1. argu. Si autem absq; caritate infundantur alia: duplex opinio est, vna Scoti hac d. litera. R. dicitis quod licet non implicet contradictionem infundi vnam sine alia tamen ex diuina liberalitate cōnectūtur in infusione. Quia Deustotum hominem perficit, & sicut corporaliter nullū Christus sanauit nisi perfecte, ita spiritualiter perfecte sanat intellectum per fidem: volūtatem spe & caritate. Alia opinio est quod infunditur vna sine altera, vt in recipiente baptismū fide, quia est in mortali infunditur fides sine caritate: item hæreticus respiscens si complacet in peccato aliquo recipit fidem sine gratia. Hanc tenet Tho. 2. 2. q. 6. art. 2. ad 3. Quæstio cum sit de facto ne que habens scripturæ loca expressa in vtramq; partem facile sustentabitur. Qui tenuerit cum Scoto vt tenet Almainus in. 2. tract. Moral. cap. 2. dicit quod talis fide baptizatus si est fidelis est per charactere suscepti sacramenti fidei. Dicit etiam quod character non sic sanat, vt sanat fides intellectū. Similiter donū prophetiæ & virtus miraculorū, nō ordinantur ad sanitatem anime propriæ, vt ordinatur fides. Idcirco possunt dari sine gratia. Non sic fides & spes. Ad quarū infusionem sufficit obex peccati mortalis cuiuscumq; licet iam infusis non sufficiat, vt desinat esse in peccante. Semel infuse debent desinere esse per sua vitia opposita, vt caritas per quodlibet mortale: fides per infidelitatem spes per desperationem, vnde non solum in aliquo sunt fides, & spes informes, verum est fides sine spe, vt in damnatis tenendo quod manet fides, vt. d. 23. p. 9. & in desperante fidei, vide Ioannem de Balsolis in hac. d. art. 3. ita tenentem, quanuis de damnatis ponat sub dubio si habet fidem. Almainus etiam tract. 3. Moral. cap. 9. dicit dari posse infidelem sine desperatione, & desperantem sine infidelitate quanuis regulariter desperans peccet peccato infidelitatis. De primo potest dari exemplum in hæretico sperate.

Duplex opinio est & vtraq; probabilis si virtutes Morales infunduntur cum Theologicis. Affirmatiuam quod infunduntur tenet Alex. 4. p. q. 21. M. 1. art. 2. & in solut. argu. 14. tenet quod tales virtutes sunt necessariæ in gloria ad ornatum animæ. Cum eo est Tho. 1. 2. q. 63. ar. 3. Bona. in. 4. d. 4. nu. 63. Negatiuā tenet Scotus hac. d. litera. P. & dicit quod in gloria eas paruuli non habebunt,

Propos. 6.

bebunt, quia non eas acquirerunt, vel si sunt necessariæ & de statu beatitudinis, infundentur in beatitudinis instanti potius quā in baptismo cū Theologicis. Vel dicit tertio quod beati poterūt eas acquirere, sicut poterunt addiscere aliqua in genere proprio. In hanc secundā est & Ochā citatus suprā dist. 34. p. 2. & Durā. in hoc. 3. d. 33. q. 6. Ricardus d. 33. art. 1. q. 2. distinguit virtutes cardinales: quia que ordinant nos ad ciuitatem ciuim supernorū quarum principia sunt virtutes Theologicæ infunduntur quia debent proportionari principio à quo sunt: & fini ad quē sunt. Alię que ordināt ad politiā mūdā que est nostræ facultatis, acquiruntur per actus: & vocātur eisdē nominibus, quanuis sint specie differentes: quoniam habent diuersa media. Aliud est medium quantū dicitur ratio secundum legem Dei: aliud quod dicitur ratio per naturalia sua ad ciuitatē que est facultatis nostræ.

Ex his inferatur varius modus respondendi ad Dona Spiritus sancti tenendo illa esse distinctos habitus à virtutibus sunt infundēdi à Deo: tenendo esse eosdem cū virtutibus, & virtutes omnes infundi dona etiam infundentur: Tenendo cardinales non infundi. Illa dona que ad Theologicas reducuntur infundentur: que ad cardinales non infundentur. Has duas opiniones refert Clement. de summa trinit. & fide. catho. 5. Ad hoc Baptisma vnicum. Quarum neutram damnat, approbat vero magis affirmatiuam, quod infunduntur.

Corol.

DISTINCTIO XXVII.

Vsq; ad quadagesimam inclusiuē.



B hac distinctione tricesima septima ad finem vsque libri tractat Magister de decē præceptis legis. Quæ materia cum sit latissima, vt pote circa quam tota fidelium vita versetur, & quæ passim aut omnis aut pars à multis per diuersa scripta tractetur per ordinem Mandatorum libuit illā nostra breuitate transcurrere.

De primo Mandato.

Primum mādātū primæ tabulæ est. Nō habebis Deos alienos: Non

Propos. 1.

Nō facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo neq; in terra, neq; in aquis, neq; sub terra. Exod. 20. Hæc ut in litera refertur, dicit Origenes esse duo mandata: Augustinus vnū, ponit Magister hac. d. ex Origene differentiam idoli, & similitudinis quia similitudo habet speciem alicuius rei, vt quando ex auro fit serpens: idolum, nihil habet simile sui, vt quando facit homo speciem nunquam visam, sed fictam animo suo, vt humano capiti ceruicem equinam, & per corpus varias inducens plumas. Ideo Paulus 1. Corinth. 8. idolum nihil est in mundo. Augustinus citatus in litera exponit, quod inter creaturas mundi non est forma idoli. Materiã formauit Deus, sed stultitia hominum formam dedit.

Propos. 2.

Quomodo intelligatur hoc præceptum habes sup. d. 27. Ex quibus patet quæ peccata huic præcepto opponantur: Nempè tres species infidelitatis: infidelitas paganorum, & gentiliū qui nunquam fidem susceperunt: infidelitas Iudeorum qui sub velamine fidem Christianorum susceperunt: Hereticorum qui à vera fide suscepta deficiunt. Opponitur incantatio, hoc est, dæmonum inuocatio. De qua supra in lib. 2. d. 7. Hæc siue sit expressa, siue tacita, vt qui dicit verba incantationis, licet secum nō fuerit factum expresse pactum Dæmonis, dicit tamen verba incantationis vt valeant quantum valere possunt, talis peccat. Opponitur & superstitio quando cultus soli Deo debitus, non exhibetur ei modo debito, neq; etiam sanctis: vide summissas iuxta verba sua. A postasia: Astronomia, Diuinitio, incantatio, & similia. Contra hoc præceptum dicunt esse Blasphemiam: Quæ est attribuendo Deo quod sibi non conuenit, vt quod est inuitus, poenitens: vel ab eo auferendo quod sibi conuenit, vt quod non curat res humanas: vel quod Dei est creaturæ attribuendo, vt quod Diabolus aliquas fecit creaturas: Aut iniuriosè & irreuerenter loquendo de Deo, & de sanctis, vt eis maledicendo iurando per sanctorum membra pudenda. Quæ blasphemia quia sæpe cum iuramentis inuenitur ab aliquibus doctoribus in secundo præcepto tractatur. Si blasphemia est in corde vocatur Blasphemia cordis opponiturq; fidei quæ corde credit: in ore opponitur confessioni fidei quæ fit ad salutem.

De

De secundo præcepto, Non assumes nomen Dei in vanum.

Iurare est Deum in testem vocare: ita quod dicere per Deū *Propos. 3.*
est dicere testis est mihi Deus, & è cōuerso. Neque solum iurando per Deum, sed per creaturas adhibetur creator in testem. Magister. d. 39. cap. 6.

Iurare non est intrinsece malum, cū in multis casibus liceat iurare & expediat. Magist. citata. d. cap. 3. Contrariū huius est hæresis, quam Bona. d. 39. art. 2. q. 1. imponit Manicheis: Castro verbo iuramentum, Vvaldensibus, & pseudoapostolis: Secutus est Vvicleph. Cuius error. 43. dānatus est in Cōcilio Cōstāt. dicebat. Iuramenta illicita sunt quæ fiunt ad roborandum humanos cōtractus, & cōmercia ciuilia. Probatur concl. Deut. 6. & 10. Dominum Deū tuum adorabis & illi soli seruias, ac per nomē illius iurabis, vbi aduerte post adorationē iuramētū subiungi, tanquā opus religionis & patriæ, cedens in honorem Dei, quia & Paulus dixit Heb. 6. quod homines per maiores se iurāt: iurās veneratur, aut diligit illū per quē iurat, vt dicit Hieronym⁹. psal. 62. dicitur. Laudabuntur omnes qui iurant in eo. Ipse dñs iurauit. psal. 109. & 131. & Genes. 22. Angelus in Apocalyp. 10. Paulus. Testis est mihi Deus. Rom. 1. 2. Corinth. 1. Philipp. 1. Autoritas Christi Matt. 5. Dico vobis nō iurare omnino. Hieronymus dixit esse referendā ad cœlū, & terrā: ita quod prohibeatur iuramētū per cœlum & terram, non tamen per Deum, sed exploditur hæc expositio quia Iacobus. 5. dixit. Nolite iurare fratres mei neque per cœlum neque per terram, neque aliud quodcunq; iuramentum: ideo exponitur à Magistro, vt quantum in seipso est quisq; non iuret, citat Augustinus quod ideo prohibetur iuramentum, ne quisquam sicut bonū appetat iuramentū, & assiduitate iurādi labatur in periuriū, videatur de hoc præcepto Ale. 3. p. q. 31. & 63.

Iuramentum vt sit bonum tres comites debet habere, veritatem, iudiciū, & iustitiā. Magister in. d. 39. ex Hieronymo, veritas est contra falsitatem: iudiciū contra indiscretionem, & leuitatem iurandi: iustitia vt res quæ iuratur æquā sit & licita. Hieronime. 4. iurabis in veritate, & iudicio, & iustitia.

Periuriū hoc est mēdaciū iuramēto firmatū est illicitū & morale *Propos. 6.*

rr tale

tale peccatū. Contrariū huius fuit hæresis Priscilliani. Docebāt namq; Priscillianistæ discipulos suos nequid reuelarent de sua doctrina ad quam occultandam licitum aiebāt esse periurium. Eundem errorem Bernardus super Cāt. ser. 65. & 66. dicit tenuisse quosdā sui tēporis, qui se iactabant Apostolicos. Contra quos Leuitici. 19. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Malachiæ. 3. minatur Deus. Ero testis velox maleficis, adulteris & periuris. Scotus refert d. 39. litera. A. pro dicto, & sententia communi: quod vnicum periurium leue non sit peccatum mortale, sed ex consuetudine. Quod sic impugnat. Si primus actus periurij non est mortale ergo neq; alius quicumque, ex paritate rationis. Neq; obstat quod fieret ex habitu: quia si habitus nō est generatus ex actibus mortalibus, sed venialib⁹, ille habit⁹ nullā addet grauitatē, quia habit⁹ nō est grauior actib⁹ ex quibus est genitus: imo habitus ex actibus mortalibus genit⁹ quāuis inclinet multū iam pœnitentē non facit per hanc inclinationē ipsum plus peccare quā peccet qui talē habitū non habet.

Propos. 7. Qui iurat tanquam verum, illud de quo dubitat an sit peccatū mortaliter quia se exponit periculo, & deest iudicium, id est discretio tali iuramento: Qui vero iurat contra iustitiam, vt quod faciet aliquod peccatum peccat mortaliter si quod est faciendum est mortale: venialiter si est veniale.

Propos. 8. Iurare veritatem absque necessitate, est peccatum veniale & vocatur periurium large.

Propos. 9. Iuramentū diuiditur, vñ dicitur assertoriū, quo res assertitur & affirmatur tāquā vera: Aliud dicitur promissoriū, requirēs quod res promissa fiat vera pro tēpore futuro, & tēpore iuramētī promittēs debet habere verū & firmam animū adimplēdi. Ad hoc reducitur comminatoriū, quo quis minatur pœnas de futuro.

Propos. 10. Iuramentū promissoriū potest nō impleri licite tēpore executionis ex quadruplici ratione. Prima est, si sit de materia mala etiam veniali. Secunda, si impediatur maius bonum, vt iurans contrahendum matrimonium licite intrat religionem. Tertia, si res est indifferens vt exire in agrum. Quarta ex parte modi intelligendi talia iuramenta, vt quando quis iurat causa honoris se non præcessurum alteri: subintelligitur enim quantum est de se: qui postea ne appareat importunus & aggressus licite præcedit. Sic comminans

minando intelligitur secundum præsentem iustitiam, vnde ad petitionem veniæ & intercessionem aliorum sine peccato desistit. Sicut Hierem. 18. Repente loquar aduersus gentem vt eradicem, & destruiam. Si pœnitentiam egerit gens illaagam ego pœnitentiam super malo. Sic David. 1. Reg. 25. Ad preces Abigail pepercit Nabal. Pater non punit filium ne maior turbatio fiat in domo. Adde & quintam, si iuramentum relaxetur a superiori, vel ab eo in cuius fauorem est præstitum, vt si iuravi dare tibi decem & tu remittas: Ex leuitate materiæ esset veniale vt si iuravi dare pomum & postea non dedi.

Iurare nō facere opera supererogationis, vt nō intrare religionem, non mutare, Scotus. d. 39. litera. M. reputat mortale quia ponitur obex Spiritui sancto. Sequuntur Ange. verbo, iuramentū. 5. §. 3. Siluestrina iuramentū. 4. §. 1. Contrarium tenet Caieta. 2. 2. q. 89. art. 7. Et in summa verbo, periurium, sed quod tantum venialiter, quia iurans fundat se super libertate, quod non tenetur facere, & non ponit obiectionem spiritui sancto formaliter.

Qui iurauit nō accipere episcopatum, vt habetur. d. 85. de Archidiacono Florētino. Dicit Alex. 3. p. q. 31. M. 3. ar. 4. quod si absolute iurauit in quocūq; casu nō acceptare, indiscrete iurauit: Si autem tempore electionis inuenitur alius sufficiens tenetur seruare iuramentum: si non inuenitur alius sufficiens debet suscipere perita dispensatione. In casu illius textus inueniebatur alius dignus episcopatu. Ricardus. d. 39. artic. 2. q. 3. dicit quod ille Archidiaconus repellebatur ab episcopatu, nō quia tale iuramentum obligaret, sed quia solenniter iurando cum illicitum fuerit iuramentum grauitate peccauit. Thom. 2. 2. q. 185. artic. 2. ad. 3. & ibi Caieta. dicunt licitum esse vouere non accipere episcopatum nisi imminente necessitate. Exprimunt Caieta. quod acceptando est reus violati voti. Sed non video quare non possit contrauenire tali voto, sicut iuramento impeditiuo maioris boni. quia status prælatorum perfectior est. Votum & iuramentū in tali casu paria, quia iuramentum soli Deo factum, est votū. Non loquor de religioso qui acceptare non potest sine licentia superioris, De elect. si religiosus. lib. 6.

Iuramenta ciuitatis, vniuersitatis, aut collegij, transeunt in successores ratione rei iurata: non tamen ratione periurij. Sic.

intelligēdi sunt textus dicētes quod obligatio antecessoris trāsfit in successorem vt in cap. 1. de solutionibus. Et tua nos, de vsuris. Reputatur enim pro eodē populo, & pro eadē persona antecessor & successor quantū ad rem quę trāsfit cū suo onere non tamē quantū ad obligationem personalem quę cum ipsa persona extinguitur, neque in aliam trāsfit vide Alex. citata. q. 31. M. 3. art. 4.

Propos. 14.

Iuramentum promissorium factum cum animo non implendi est peccatum mortale, nō tamen obligat. Ita Scotus. Quod intellige ex vi iuramēti, quia ex damno alij dato posset quis obligari. Si autem sit factū sub verbis dubijs aut æquiuocis, quę aliter intelliguntur à petente iuramentum, aliter à iurante: si petēs est iudex legitime interrogans peccatum est mortale sic iurare, patet in Decretis. 22. q. 5. cap. Quacunq; , quod est Isidori. Quacunq; arte verborū quis iurat Deus ita hoc accipit sicut ille, cui iuratur intelligit. facit & cap. sequēs, quod est Augustini & extra. cap. Ex literis, el. 1. de sponsalibus, verba obscura iubētur reduci ad cōmunē intelligentiā, & quod sic ab vtroq; seruentur, vbi nō esset iudex neq; legitime iuramentū exigeretur, posset quis vti verbis æquiuocis qualia sunt. Hoc dico tibi corā Deo: Hoc tibi promitto corā Deo, quia quidquid dicimus & facimus est corā Deo. Ex cōmuni intelligentiā Archidiacon⁹ bene iurat Episcopo dignos ad ordines quos indignos nō nouit. Quia intelligitur secundū fragilitatē humanā, quę quē indignum non nouit dignū debet estimare cap. vnico de scrutinio in ordine faciendo.

Propos. 15.

Iuramentum coactum per metum cadentem in constantem virum quia minantur illa, quę homines constātes timere solēt, vt mortem exilium perpetuum, perpetuos carceres, notabilē infamiam, quę vt mors timeri solēt. Si obligat, duplex opinio est vna affirmatiua in quam magis declinat Alex. 3. p. q. 31. M. 3. art. 4. §. 2. sequunturq; Bona. 39. d. nu. 51. Ricard. art. 2. q. 2. Tho. 2. 2. q. 89. art. 7. ad. Tertium pro qua est cap. verum extra de iureiurādo, vnde qui ex tali metu aliquid promisit soluere tenetur, potest tamē in iudicio repetere: Ecclesia talia iuramenta facile relaxat. Alia est opinio quod non obligat, ipsam referūt Alex. & Bona. citati. Angelica, iuramentū. 5. §. 11. tenet quod obligat sub veniali, non tamē sub mortali. Asertoriū nullo metu est licitum.

Propos. 16.

Iuramēto quandoq; adiungitur execratio, aut blasphemia, vt dicen-

dicendo hoc malum mihi, aut meis veniat. Sic accipitur quando iuratur per salutem filiorum, obligat enim illos Deo, vt ita illis veniat si non dicit verum. Sic iurabat Ioseph. Genes. 42. Per salutem Pharaonis. Vide literam Magistri. Blasphemia est, iurare per creaturas quasi in eis sit aliquid diuinum, iurare per capillos Christi per sanctorū pudenda quia iniuriose iuratur. Vide in decretis. 22. q. 1. Si quis per capillum. Iurare per Dei vitā habetur blasphemia quia importat dictam execrationem: Si non importaret, neq; plus valeret quā viuit Deus non esset blasphemia. Dicere sicut Deus est veritas hoc ita est, videtur prę se ferre blasphemiam equi parādo veritates humanas diuine, quę est summa & primaveritas. Quia vero ly, Sicut: potest dicere similitudinē, & veritas vt quidā aiunt cōsistit in indiuisibili, vnde omnis veritas esset æqualis, nō videtur omnino blasphemia, sed accedere prope ad blasphemiam: facit enim talis cōparatio quasi iniuriā Deo. Iurare dicendo. Hoc est Euangeliū, sonat hæresin, quia tantum sunt quatuor Euāgelia, in quibus non est id quod asseris. Attamē verba sunt hyperbolica asserentia secum iniuriā & irreuerentiam.

Licitum est pro vtilitate & necessitate exigere ab infideli iuramentum per falsos deos. Vide literā magistri ex Augustino. Sic exegit Abraham ab Abimelech. Genes. 21. Iacob ab Laban 31. Iudei à Romanis. 1. Machab. 8.

Propos. 17.

Non licet personę priuatę inducere ad iurandum quem scit falsē iuraturum. Magister in litera ex Augustino. Iudici licebit, quia est persona publica. Attē de quod presbyter nō iurat laico per Euangelia. 22. q. 5. cap. Nullus. Sed iurat per suam consecrationem. 2. q. 5. Si quis presbyter.

Propos. 18.

De tertio præcepto, Memento vt diem Sabbathi sanctifices.

Hoc præceptum partim fuit ceremoniale: partim morale: ceremoniale in quantū magis fuit electa septima dies. Significabat enim de præterito requiem Dei ab operibus Genes. 2. de futuro significabat requiem sanctorū in etate septima. Prima etas fuit ab Adā vsq; ad Noe: secūda à Noe ad Abrahā: tertia ab Abrahā ad Dauid: quarta à Dauid vsq; ad transmigratiōē Babylonis:

Propos. 19.

bylonis: quinta à transmigracione ad Christi aduentū: Sexta à Christo ad finē vsq; sæculi: exinde requies sempiterna. De numero autē annorū ab Adā si est certus aut incertus Philaster hæreticū iudicat eū alserere incertū. Alfonso Castro è cōtra cum varie inter doctores numeretur illi anni, ergo tātum sunt de ipsis opiniones. Fuit morale inquantū ordinabatur ad vacandū Deo. Exod. 16. Maneat vnusquisq; apud semetipsū, & null⁹ egrediatur de loco suo die. 7. & sabbatizabit populus die. 7. Quod sic exponit Scotus in. d. 37. litera. N. maneat vnusquisq; apud se, idest, recolligēdo se, & ascēdēdo ad Deū suū. Lyranus. Cogitās de diuinis beneficijs & gratias agēs. Damasce. li. 4. ca. 24. ait Sacratum est Deo sabbatum vt vacātes ab occupatione circa materialia, ad Deū adducerentur in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, & meditatione diuinarum scripturarum septimum diem consumentes & in Deo quiescentes qui nō omnem vitā Deo consecrabant. vide Alex. 3. p. q. 32. M. 3. Bona. & Ricar. d. 37.

Propos. 20.

Quod erat morale in illo præcepto cōmutatū fuit à tempore apostolorū in diē Dñicam ob memoriā Dñicæ resurrectionis. Inde Ioan. Apocaly. 1. dicit se fuisse in spiritu in Dñica die, illaq; fuit prima dies hebdomadē. Pro qua composuit David Psal. 23. Domini est terra, vt in ipsa decantaretur: sumpsit namq; mundus in illa exordium. Antea vocabatur dies solis vt habetur Codice. de ferijs. L. 1. quia sol in prima hora illius diei dicitur dominari. Sicut Luna in principio secundæ feriæ: Mars in principio tertix: Mercurius quartæ: Iupiter quintæ: Venus sextæ: Saturnus Sabbathi. Vide Ricar. d. 37. Quod in hoc præcepto fuit ceremoniale cessauit, adeo quod qui illo die ferietur daret suspicionem Iudaismi. Sic intelligitur capitulū. Peruenit. de cōsecra. d. 3. & est beati Gregorij. Vide & Conciliū Laodicenū. c. 29. Si quis autem ob honorem virginis ferietur cessaret suspicio. Est enim ei dicatus dies 'sabbathi', quia tali die remansit firma in fide resurrectionis. Vide Bona. in hoc. 3. d. 3. num. 39.

Propos. 21.

Vltra sabbathū Iudæi alias celebrabāt festiuitates, quarū loco Christiani, qui maiora beneficia recipimus à Deo quam ipsi, alia etiā festa habemus. Pro festo Pächæ legalis, festum passionis & resurrectionis. Pro Pentecoste quando data fuit lex, festum Spiritus sancti. Pro festo tabernaculorum de quo Exod. 23. festa dedi-

dedicationis Ecclesiæ: pro festo tubarum festa Apostolorū quorum sonus in omnem terrā exiuit. Psal. 18. Pro festo expiationis festa martyrum & confessorum: Pro festo coetus, festum angelorum & omnium sanctorum. Vide Tho. 1. 2. q. 103. art. 3. ad. 4. Tempora harum festiuitatum fuere, mensis September pro tubis, expiatione & tabernaculis. Leuitici. 23. festum dedicationis templi per Salomonē etiam in Septembri; quæ dedicatio facta fuit vndecima eiusdem mensis. 3. reg. 8. Renouatio eiusdem templi sub Zorobabel facta fuit in Martio mense tempore vernali. 1. Esdra. 6. festum Enceniorum, idest, renouationis eiusdem templi per Machabæos. 1. Macha. 4. viceima quinta die Nouēbris, quæ pro maiori parte cōcurrit cum Decembri apud nos vt dicit Lyrannus supra. Ioan. 10. vbi dicitur facta sunt Encenia & Hyems erat. Per quæ reuincitur hæresis negantium festa sanctorū, quales sunt Valdēs, Armenij Nestoriani: in qua etiā erūt qui sanctos negāt venerandos. Contra quos est totus Psal. 73. quia dixit cognatio eorum simul quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.

Probabile est quod hoc tertium præceptū sit limitatio primi, ita q̄ dilectio Dei ibi expressa impleteretur per obseruatiā Sabbathi. Quæ obseruatiā mutata inter Christianos in diē dñicam & in auditionem missæ, vt de consecrat. d. 2. Missas, si non potest missa audiri debet suppleri in æquiualehti. Hæc ponitur in gratiam doctoris subtilis in hoc. 3. d. 27. litera. N. & d. 9. art. 2. Qui quoniam de hac sententia male audit est sanè intelligendus. Interpretantur siquidē eum quod senserit in die Dominico teneri hominem ad reponendum se in gratia, quia dicit loquēs de isto mandato quod tenetur homo habere aliquē actū illius præcepti circa finē gratiæ diligendū. Et tã ibi, quã. d. 9. dicit tēpus illius actus determinatum per sanctificationem sabbathi, & tēpore Euangelij per diē Dominicam, & missæ auditionem, à qua si necessitas excuset necesse est impleri in æquiualehti, vt saltem illo die aliquis actus habeatur relatus immediate in Deū ad eius reuerentiā. Hæc ille: igitur de primo ad vltimū requiritur q̄ sit in gratia. Sed debet attēdi quod Scotus non dixit quolibet die dominico teneri hominem ad talē actū. Secundo quod expressē nō dixit q̄ illo die debeat homo esse in gratia, sed quod tenetur habere.

Propos. 22.

habere actum illius præcepti circa finē gratuite diligendum. ubi ly, gratuite, vel potest teneri ex parte actus, vel ex parte obiecti, puta quod Deus est gratuite diligendus, est enim finis, & obiectū gratuite dilectionis casu quod se teneat ex parte actus vide supra. d. 27. in fine quando tenetur homo esse in gratia & vide li. 2. d. 28. p. 5. Tertio quod loquens. d. 27. de primo mādato dicit quod forte hoc tertiū determinauit actū primi. Et. d. 9. dixit: videtur facta determinatio. Sed forte, & videtur nō sonāt determinatā adhesionem. Quarto q. d. 9. vt exprimeret hanc determinationē primi per tertiū præposuit quod nō potest primū mandatum perpetuo impediri ab executione. Quinto q. nunquam Scotus dixit q. missa sit audienda in gratia de necessitate. His habitis ad intellectū Scoti sic probō cōclusionē. Obligat^o ad soluendum mille, si nequit soluere nisi centū tenetur ad illa centū. Igitur cū sanctificatio Sabbathi esset nō solū cessare ab opere seruili, verū & aliquo opere honorare Deū vt patet in prima propositione ex illo exodi. 16. Maneat vnusquisq; (q. aliqui aduersarij nō bene aduertētes putāt esse literā Scoti) & hoc fuerit cōuersum in diē dñicam audiēdo missam, & vacādo à seruilibus, qui non potest audire missam, debet nihilominus habere aliquem actum in Deū. Confir. quia seclusa expecificatione Ecclesiæ de missa teneretur homo per vitam suam habere aliquoties actū relatum in Deum. Igitur illa expecificatio nō deobligauit ab eo quod est morale in hoc præcepto, & est morale non tantum cessare ab opere seruili, sed actū habere in Deum. Nā sola cessatio ab actu est indifferēs nisi ordinetur in aliquem finē. Vnde vltra ipsam est necessarius aliquis actus relatus in Deū: vel ipsa cessatio propter Deū habet secū prædictum actum inclusum. Forte per hoc possent cōcordari dicētes q. isto tertiō præcepto nō iubetur actus interior sed exterior, puta cessatio à seruilibus, quāuis interior sit finis actus exterioris de quo fine non est præceptum, & Scotus, dicens q. primū fuit expecificatū per tertiū, & illud, maneat vnusquisq; apud semetipsum, id est recolligēdo se, sit explicatio finis præcepti. Quia de sola missæ auditione dixit Scot^o q. sit supplēda in æquialēti. Dicētes nō præcipi in Sabbatho actū interiorem, q. intelligāt distinctum ab actu relationis, quo illa cessatio fit propter Deū & suæ legis obseruantia. Quod
actus

actus requisitus ab Scoto loco missæ, non sit dilectio Dei qua se homo reponat in gratia, probatur, quia audiendo quis missam in mortali adimplet vtrumque præceptum: primum, videlicet, & tertium. Neque vnquam Scotus dixit, missam audiendam esse in gratia de necessitate: neque credo quōd tale somniauit. Cum expressè dicat lib. 2. dist. 28. contra Henricum, quōd finis intentus à Deo, qui est caritas. 1. Timoth. 1. non cadit sub obligatione in obseruatione præceptorum. Igitur sicut expecificatio præcepti impletur sine gratia: posset impleri actus æquialens expecificationi. Æquialentia dicta non est ad primum præceptū, sed ad honorem quem exhibet audiendo missam. Neque æquialentia debet esse tanti temporis, neque tantæ intensiōis, quantæ in auditione missæ: sed quōd fiat recompensatio aliqua per actum, sic relatum in Deum. Cum etiam Scotus non dixerit, quōd quolibet die Dominico, & multominus quōd quolibet festo, est intelligendus quando notabili tempore excusaretur ab audienda missa die Dominico.

Probabilius est, quōd excusatus ab audienda missa, etiam per *Propo. 23.* notabile tempus non teneatur supplere in æquialenti, neque plus referri in Deum, aut pluries quam teneretur seclusa ea specificatione de missa stando in solo dictamine iuris naturæ. Probatur, quia præceptum diuinum specificatum ab Ecclesia non sunt duo præcepta, sed vnum, patet in confessione quæ est de diuino præcepto, sed determinato ab Ecclesia, vt semel in anno: in decimis, quarum solutio est de iure diuino, sed quora est limitata per Ecclesiam: igitur si excusor à specificatione facta per Ecclesiam, excusor etiam ab ipso præcepto. Confirmatur, quia si vno die excusor à ieiunio Ecclesiæ non teneor alio die recompensare. Tempus quo quis tenetur se reponere in statu gratiæ, est susceptio sacramentorum, graue periculum & probabile mortis. Quo etiam tempore teneatur homo ad actum fidei, spei, & caritatis, vide in suis locis. Aduerto etiam quōd Scotus in reportatis neque distinct. 27. huius tertij: neque in distinct. 9. aliquid meminit amplius de recompensatione faciēda ab eo qui excusatur à missa audienda. Tantum docuit à præcepto diligendi Deum super omnia habendo actum positium dilectionis & adorationis non posse homines in perpetuum excusari, sicut
ff possunt

possunt excusari ab honore parentum, si sunt iam mortui: & quòd in omni lege determinatus fuit modus. Nam in vnaquaque lege fuerunt oblationes, orationes, genuflexiones. Quæ tria, oblatio videlicet, oratio, & signum corporale debent concurrere ad actum iatriæ, qui actus specialissimè exhibetur in sacramento altaris, ad quem cultum tenetur quislibet in septima die Dominica. Nihil ultra dixit de excusato, quo fit, vt primam sententiam Oxoniensis scripti forsan voluerit corrigere.

Propo. 24. Qui sine causa rationabili missam non audit in diebus festis, peccat mortaliter. Causa verò rationabilis non consistit in puncto, suam habet latitudinem: vnde qui non est prauè affectus & bona fide credit se excusari, aut facta morali diligentia, vt citò veniat ad Ecclesiam venit incepta missa, aut media excusatur. In missa debent esse præsentis corpore, & corde. Vnde qui bonam partem, vel cum alio loquitur, vel voluntariè vagatur præcepto non satisfacit. Quod verba sacerdotis audiantur, vel non: quòd sit de festo missa, vel de Dominica, vel de defunctis: quòd in ea vocaliter oretur, modo oratio sit voluntaria, modo obligationis nihil interest. Sat est quod assurgatur ad Euangelium, adoretur hostia & in gestibus corporis stans, à longè ostendat se esse præsentem.

Propo. 25. Qui moratur in populo vbi dies celebratur pro festo, & exit ad populum vicinū, vbi talis dies non habetur pro festo, si exeat & accedat antequam hora missæ transeat, non peccat si missam non audiat. Hæc est contra doctorem Nauarro in suo Manuali. Probatur, quia ille neque in animo, neque in opere acceptauit non audire missam ad quam erat obligatus: sed intra latitudinē temporis, quo tenebatur & poterat missam audire, obligatio fuit extincta sicut alij debitori ante finitum tempus, solutionis extinguitur obligatio.

Propo. 26. Dies festus incipit iuxta vniuscuiusque gentis consuetudinē. Iudæi celebrabant à vespera in vesperam: Ecclesia quoad officium festorum incipit celebrare à primis vesperis: quoad ieiuniū à media nocte, in aliam mediam noctem: hoc in his partibus etiā seruamus quoad abstinendum à seruilibus. Est verò vbiq; feriandum per horas viginti quatuor quæ faciant diem naturalem.

lem. Quæ festa sint ex obligatione seruanda docebunt consuetudines diuersarum diocesum. Concilium Trident. Sess. 25. ca. 12. præcipit ab omnibus obseruari dies festos ab Episcopo præceptos, etiam ab exemptis & regularibus. Itinerantes & alienigenæ se conformant Ecclesiæ vbi se inuenerint, per sententiam Augustini habetur. d. 12. cap. illa autem.

De quarto præcepto, Honora patrem tuum & matrem tuam.

TR I A debent filij parentibus: reuerentiam, obedientiam, & beneficentiam, quæ in hoc præcepto includuntur. Ex defectu notabili circa quodcunque admittitur mortale. De duobus sic dicit Magister in litera, distinctio. 37. parentes sic sunt honorandi, vt eis debita reuerentia exhibeatur, & necessaria ministrantur. De primo Ecclesiast. 3. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt in opere, & sermone, & in omni patientia. De secundo, Paulus Ephes. 6. Filij obedite parētibus vestris. Hoc enim iustum est in Domino. Honora patrem tuum & matrem tuam. Vbi obedientiam probat ex hoc mandato. De tertio, Eccle. 3. Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & non spernas eum in virtute tua. Eleemosyna enim patris non erit in obliuione. Sic Ioseph patrem suum sustentauit in Ægypto, Gene. 47. David parentes suos commendauit Regi Moab. 2. Regū. 22. Malæ famæ est, qui derelinquit patrem, Ecclesiast. 3. vbi & dicitur: Qui honorat patrem, iocundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur. Ecce duplex commodum iocundari in filijs in præsentem, & exaudiri à Deo. Et est promissio legis, vt sis longæuus super terram. Quæ longæuitas vitæ promittebatur populo Israelis, cui promittebantur temporalia. Tamē quandoq; fit è contra, qd obediētes viuūt parum, inobediētes multum. Sed sicut in promissa terra figurabatur æterna vita, ita obediētes erunt ibi perpetuò beati. Nihilominus tamen Deus in vita præsentem remunerat obediētiā iuxta id Eccle. 3. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio

ff 2 matris

matris eradicat fundamenta. Idcirco patres veteris testamenti aestimauerunt valde paternam benedictionem, vt filij Noe: Iacob benedictionem Isaac: & ipse filijs benedixit. Additur huic mandato promissio, vt dicit Alexand. 3. p. quaest. 33. M. 3. vt sicut parentes naturaliter ad sustentationem filiorum inclinantur, ita filij alliciantur ex diuina promissione. Secundo, ratione status quando data est lex: erant enim in deserto vbi fatigabantur ex itinere ingruiebantque necessitates, ne ergo propter proprias necessitates filij obliuiscerentur parentum. Tertio, quia populus Israel erat pronus ad auaritiam avari alliciuntur & repugnant auaritia inducitur alia promissione. Cessat iam illis promissio, sicut nobis cessat promissio literalis illius terrae.

Propo. 28 Obedientia quam filij debent parentibus, est respectu eorum quae pertinent ad dispositionem rei familiaris. Ita Alexand. 3. p. quaest. 33. M. 4. art. 3. in alijs quae non spectant ad regimen familiae, non est praecipuum obedire, sed consilium, vt dicit Bonau. in. 4. d. 29. num. 17.

Propo. 29 Licet matrimonium debeat esse liberum, ita vt pater nequeat regulariter filium obligare vt contrahat; tamen quod contrahat cum hac vel illa posset in casu obligare. Ita docet praefatus Bonau. vt si pater habeat inimicitias, neque possit euadere nisi filius contrahat cum filia inimici. Similiter esset mortale contra here cum indigna contra prohibitionem patris, nisi subesset causa legitima, vt quia ante patris prohibitionem erat illi obligatus. Facit in hanc cap. Aliter. 30. q. 5. & honorantur. 32. q. 2. & cap. 2. de despons. impub. Idcirco peccauit Esau. Gene. 28. ducens in patris iniuriam de filiabus Chanaan.

Propo. 30. Pro graui necessitate parentum tenentur filij qui eam possunt subleuare differre votum religionis, si fecerint. Probatur ex Christi sententia Matthaei. 15. contra Phariseos, qui praeponebant oblationes parentum subuentioni. In quo iam Pharisei erant haeretici, errantes in lege, quam subuentionem Christus probauit ex hoc praecipuo. Haec grauis necessitas non est punctualis suam habet latitudinem. Neque dicitur pater esse extra grauem necessitatem, si potest sibi subuenire per officium suo statui tamen indecens. Hanc limitat Alexander citata quaestio. 33. M. 4. si potest manere in saeculo sine periculo peccandi, quia

quia si non potest sine periculo non debet manere. Sed cum peccatum sit voluntarium & possit homo vitare occasiones, & pater coelestis det spiritum bonum petentibus, Lucae. 11. non video necessitatem huius limitationis quam Thomas, in. 2. 2. q. 101. art. 4. ad. 4. non fecit. Alia vero opinionem quam Alex. probabilem videtur reputare quod videlicet propter parentum necessitatem filius non debet dimittere ingredi religionem, sed commedare parentes coelesti patri, cui cura est de omnibus, & pascit volucres coeli Matth. 6, coincidit cum errore Phariseorum, vnde iure impugnatur a Thoma. Quod dicitur de filio dicendum est de parente, qui tenetur ex lege naturae educare filium vsq; quo per se valeat sustentari. Pro quo facit quod aues se mutuo iungunt vsque ad debitam procreationem, filiorum in hominibus videtur durare vsque ad annum vicesimum. Aliud ultra facere procurando illis diuitias esset thesaurizare pro filijs iuxta id Corinth. 2. cap. 12. quod in casibus licitum est. Idem pariter esset dicendum de aliquo fratre, qui respectualiorum fratrum gereret vicem patris. Quoniam prior est obligatio ex lege naturae, & Euangelio, quam obligatio contracta ex voto voluntario.

Post ingressum religionis, & professionem emissam propter nullam necessitatem parentum, modo non sit extrema tenetur filius exire: sed tenetur illis providere meliori & decentiori modo suae professioni. Quia cum hoc praecipuum sit affirmatiuum non obligat pro semper, sed in casu, filius autem iam est alteri vinculo obligatus quod non debet excutere. Verum cum religio non deobliget in totum ab hoc praecipuo, debet quoad potest patri subuenire de licentia praelati. Vide Lyranum supra Matth. c. 15. Sed si parentes deueniunt ad necessitatem extremam tenet Alfonso Tostado Abulensis episcopus, in eodem cap. Matth. quod tenetur exire etiam renitente praelato, neque solum pro parentibus sed pro alio quocumque proximo, quia quae sunt propter charitatem instituta non debent contra caritatem militare vt ait Bernardus, lib. 4. de praecipuo & dispens. Et tempore extremae necessitatis potest etiam Monachus ex alieno subuenire patienti, ergo posset furari seipsum. Est simile si extra monasterium quis cadat in puteum quia renitente praelato potest exire ad liberandum, Alias contra caritatem militaret.

De Quinto præcepto. Non occides.

Propo. 32. **I**N hoc præcepto prohibetur actus homicidij, & voluntas occidendi, cui in Evangelio Matth. 5. additur, quod neq; liceat irasci temere in corde, neque dicere Rachà, quæ est interiectio exprimens indignationem: & multo minus dicere per os determinatam contumeliam vocando fatuum. Ex pœnis ibi positis constat tertium maius esse quam secundum, & secundum quàm primum. Pœna primi est reum esse iudicio: id est iudicij examini, ubi datur reo locus defendendi se. Pœna secundi esse reum concilio, ubi iam iudices consilium dant qua sit pœna puniendus conuictus. Pœna tertij, est reum esse Gehennæ ignis, hoc est esse certæ pœnæ damnatum, & tradi executioni.

Serol.

Ex hoc infertur quod peccatur cōtra proximum ira, & odio in corde: per contumeliam, quæ est deducere in notitiam aliorum per signa vel verba aliquid contra honorem proximi: Per conuictum, quod sonat in plusquam contumelia, puta deducendo non solum quod est culpæ, verum quod est pœnæ etiam si habeat à natura vt esse cæcum, fatuum, claudum. Improperium fit quando iniuriosè affertur in memoriam quod pro illo fecit Ecclesiastici. 20. pauca dabit & multa improperebit.

Argum.

Contra hanc arg. in præcepto non furaberis prohibetur furtū ouium & aliorum animalium atq; lignorum seu plantarum ergo in non occides etiam prohibetur occisio animalium, & incilio plantarum.

Solutio

Manichæi contra quos vide Augustin. lib. primo de Ciuitate Dei capit. 20. concedent argumentum. Sed ratio discriminis datur ab Alexand. 3. part. quæst. 34. M. p. quia in prima constitutione factus fuit homo Dominus animalium brutorum Genesis, primo, & herbarum atq; lignorum. Per peccatum non fuit priuatus isto dominio nisi in quantum est facta appropriatio. Vnde licitè occidit feras, incidit & arbores, quando non sunt alteri propriæ, & non cōmittit peccatū, nam occisio intelligitur de creatura rationali cuius ipse non est Dominus quoad vitā & mortē, licet quandoq; sit Dñs quoad operas. Vide & Tho. 2. 2. q. 64. ar. 1.

Propos. 33

Nemini priuato licet interficere quæquā, ppria autoritate vt patet ex hoc præcepto: idcirco Conc. Constantiense, Sess. 15. damnauit

nauit vt hæreticam sententiam cuiusdam Ioannis parui dicitis quemlibet tyrannum licite & meritorie posse, & debere occidi per quemcunq; vassallum suum, & subditum etiam per fraudes, non expectata sententia, & mandato iudicis. At vero iudici qui est persona publica licet occidere iuxta id Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Debeat vero concurrere tria, iustus ordo: iusta causa: & iustus animus. Ex his tribus deducuntur peccata iudicum. Si non procedunt secundum iuris ordinem & dispositionem quia illis dicitur, Deutero. 16. iustè quod iustum est persequeris. Hinc peccant damnando non confessum aut conuictum per sufficientes testes contra sententiam domini nolentis eradicari zizania ne simul eradicaretur & triticum Matthæ. 13. quousq; zizania bene constaret esse zizania. Hoc est vt tuit punire malos donec certum esset quod erant mali, & bene probatum. Hinc etiam non peccat iudex damnando innocentem sibi notum si per testes conuincitur reus quia officium est iudicis iudicare per allegata & probata: ita docet Alexand. Cita to. M. 1. articul. 4. Similiter quando superior mandat inferiori exequi sententiam contra innocentem, quia tunc superiori imputatur. Verum est tamen quod in his casibus debet iudex facere quantum in se est vt non damnet, puta examinando testes & reuicendo de falsitate, exemplo Danielis, permittendo accusatum fugere: informando superiorem quæ si non profunt, debet iudicare contra veritatem agnitam. Hanc Alexandri sententiam sequuntur communiter Doctores: quauis non desint qui distinguant quòd in ciuilibus causis ita est, At vero in damnatione criminali ad mortem, mutilationem membrorum dicunt omnino non licere. Hanc sequitur Angelica, verbo, iudicare. §. 7. & Adrianus quodlib. 6. artic. 3. dicens hanc suam teneri à Theologis communiter. Cum Alexan. est Thomas, 2. 2. quæst. 64. articul. 6. ad. 3. & sequaces. Et tunc debet dici quod iudex secundum dictamen speculatiuum scit hunc innocentem absoluentum, & secundum dictamen practicum condemnandum, faceret enim tunc maiorē iniustitiā accusatori & testibus, quos mendaces publicaret sine probatione, quam reo, & de duobus malis contra iustitiam electo minori desinit esse malum, vide in Decretis, distin. 13. c. Duo mala. & capitulo. Merui testiculorum

De

Deest iusta causa si damnent quos leges non damnant, quia dante lege, tunc iudex non damnat per se, sed ut minister legis & applicator ipsius pro republica sicut medicus medicinam pro salute corporis humani. Iustus animus adesse debet, in omni opere aliàs fit vitiosum ex mala intentione. His tribus concurrentibus licitum est homicidium. Nam Leuitici. 24. iubebatur lapidari blasphemus. 4. regul. 11. præcepit Ioiada sacerdos quicumque secutus fuerit Athalam feriat gladio, & ipsa fuit interfecta. Petrus act. 5. occidit Ananiam & Saphiram. Per hæc conuincuntur hæretici Valdenses negantes iudicem posse damnare ad poenam, cum & ipse Petrus dixerit in. 1. canonica cap. 2. duces mitti ad vindictam malefactorum item & Paulus. Rom. 13. si malefeceris time. Dei minister est vindex in iram ei qui male agit, & de constituendo iudice habetur Exod. 18. & Deuter. 16. Contra hanc argum. Præceptum de non occidendo est diuinum & generale sed contra legem superioris non potest inferior disponere ergo nulla lex humana potest damnare ad mortem. Confir. quia si lex Moy sis damnabat ad mortem fuit Deo ita disponente, cuius legis præcepta iudicialia sunt iam euacuata.

Argum.

Solutio

Hoc argumentum videtur fecisse Scotus in. 4. dist. 15. quæst. 3. Et concessisse, quod nisi habeatur bulla de cælo non possit fur occidi pro solo furto, neque quod possit in lege noua occidi adultera. Vide illum, qui de hoc male audit. Sed reuera si bene Scotus attendatur non negat quin lege humana possint malefici occidi. Nam ipse Scotus, citato Augustino habetur in cap. Si non licet 33. quæst. 5. fatetur homines posse occidi per legem iustam declarans quæ sit iusta lex, citat eundem Augustinum lib. primo, de libero arbitrio, & resoluit ipse Scotus quod ut sit iusta lex debet descendere à lege diuina sicut conclusiones prædictæ à principijs practicis, vel quæ concordat legi diuinæ, ad minus quæ non discordat. Et in reportatis eadem. d. & quæst. respondens eidem argumento sic ait. Ideo quilibet iniuste occiditur, si ad hoc non habeatur dispensatio explicita à Deo, vel commissa Apostolis, vel implicite in casibus similibus. Hæc Scotus, ubi & loquens de lege Moy sis fatetur quod possunt multa illius legis statui in Euangelio ut seruentur, non quia statuta in illa lege, sed sicut cõmunitas statuit sibi quæ sunt alterius regionis. Et arguens de adultera

adultera quod Christus reuocauit quando dixit Ioann. 8. Nemo te condemnauit, neque ego te condemnabo respondet. Dico quod non reuocauit quin liceat illa seruare quia si sic, non liceret nunc interficere blasphemum quod tamen institutum est. Hæc Scotus. Ex quibus videtur quod non negat posse condilegem occisionis in casibus quibus licuit in lege Moy sis. Tum etiam quod possit statui in casibus similibus. Cum enim ratio finalis legis sit anima legis, & non minus debeat attendi quam lex ipsa ut dicunt iuristæ, consequens est ut ubi similis fuerit ratio similia iura & leges condantur. Vide gloss. in capit. Cum dilecta. Extra de confirmatione, quia dicit Innocentius in capit. inter corporalia, de transl. Episcopi, quod de similibus idem iudicium est habendum. Igitur de mente Scoti posset statui lex iusta de occisione adulteræ. Sicut de blasphemio, sed an instituta esset tempore Scoti vel modo sit vide in. 4. distin. 37. De fure diurno qui latenter furatur, neque aliud est quam fur, videtur ipse Scotus sentire quod non possit statui talis lex. Et hoc tam in scripto Oxoniensi, quam postea in reportatis, quia de solo fure non fuit concessum in lege Mosaica. At vero iam usus obtinet fures pro triplici furto suspendi: ita quod pro primo publicè flagellantur: pro secundo abscinditur pars auricularum, vel ipsæ totæ aures ut sic dignoscantur, & tertio capti in furto suspendantur. Dicunt hanc consuetudinem occidendi fures à doctrina Baldi iurisperiti habuisse initium, qui ex triplici furto præsumpsit furem iam esse latronem, hoc est palam & publicè prædatorem. De quibus eadem est præsumptio quod habeant animum paratum ad occidendum se defendentem, sicut præsumitur de nocturno. Dico igitur primo quod pro furto concurrente alia causa non negat Scotus posse legem statui. Ut ipse annotat de fure nocturno. Secundo dico quod pro sacrilegio non negaret Scotus quod liceat statui legem occisionis, quia Petrus occidit Ananiam & Saphiram actu. 5. ubi Chrysostom. & Occumenius dicunt ipsos commisisse sacrilegium, quia eorum ager vendebatur ut dicatus Deo. Sicuti Iosue. 7. Achan filius Charmi lapidatus fuit quia de anathemate vsurpauit. Hoc est de illis quæ Deo erant consecrata. Nam anathema valet apud Græcos, quod apud nos seiunctio: & quia

tt excom-

hanc probandam quod dicente Christo. Ioan. 8. Quo ego vado vos non potestis venire dixerunt Iudæi. Nunquid interficiet se metipsum? quasi esset rem pessimam facturus cuius ipsi nullo modo forent imitatores. Lyranus aliter exponit, videlicet quod cum ipsi haberent in Isaia. 53. quod Messias oblatus sit quia ipse voluit & quod tradidit in mortem animam suam, derisorie pecebant si erat ipse Messias: qui traditurus erat voluntarie animam suam. Cui satis consonat sequens interrogatio. Tu quis es? Aut forte non intelligebant quomodo esset oblatio ad mortem voluntaria nisi interfectione sui ipsius. Quem falsum intellectum ut Christus aboleret respondit. Cum exaltaueritis filium hominis scietis quia ego sum Messias voluntarie oblatus ad mortem. Tandem pro conclusione facit Plato in Phædone dicens: Nefas esse sibimet manus inferre: quia sunt homines in corpore velut in carceris custodia. Ex qua non liceat quenquam seipsum soluere, neque aufugere absque Dei precepto. Item Cicero libr. primo. Tuscul. quæst. vetat dominans ille in nobis Deus in iussu hinc nos suo demigrare. Per hanc reuincitur hæresis Circumcellionum dicentium quod erant Martyres qui seipsos occidebant, & Petiliani dicentis esse Martyres si se occidebant in poenam suorum peccatorum. Hoc si verum foret nunquam Paulus, prohibuisset custodem carceris volentem se interimere act. 16. Samson & alij quidam semetipsos interemerunt. Sed diuina inspiratione, alioquin Paulus non retulisset Samsonem inter sanctos Hebr. 11.

Eleazar item 1. Machab. 6. ut acquireret sibi nomen æternum tam fortitudine politica, quam gratuita supposuit se ad occidendum elephantum sub quo & mortuus est. Quamuis magis dicendus hic sit expoluisse se morti, quam se occidisse. De Razia. 2. Machab. 14. dicit Alexand. quæst. 34. M. 1. articulo secundo, quod peccauit seipsum occidens, laudatur tamen propter zelum legis. Fuit etiam hæresis Valesiorum, qui seipsos & hospites quos recipiebant castrabant. Sed si neque est licita occisio, neque ira in proximum, neque erit licita hæc mutilatio nisi ut dictum est causa medicinæ. Cum enim Christus laudauit Eunuchos qui se castrauerunt propter Regnum Cælorum, illos Eunuchos laudauit qui

qui spiritualiter abstinent à venereis, alioquin non eos distinxisset ad his quos homines castrant.

Licet enim homini se defendendo alium occidere, si faciat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Est inculpatæ tutela, id facere sine quo defendi non potest sine periculo personæ, vel rerum. Adhibenda enim est diligentia, ne inuasor occidatur. Sufficiet verò illa moralis diligentia, quæ in tali euasione homini probo inuasione turbato, inculpatæ esse apparet. Hæc est communis, de qua vide Alexandercitata. q. M. 2. arti. 2. quia vim vi repellere licet & defensio est de iure naturali, ut distinct. 1. in decretis, ius naturale. Neque in ea quæ sunt iuris naturalis est differentia laici ad clericum, secus erit de alio iure. Posset quis huic iuri renuntiare mortem ferendo patienter, maximè ut inuasori maneret poenitendi tempus. Sed an teneatur in aliquo casu est dubium, ut si inuasor sit princeps? quidam tenent quod sic, si inuasor est princeps, & inuasus persona vilis: quod non credo quantumcunque persona illa sit necessaria Reipublicæ. Aliud est enim vitam exponere pro vita regis: aliud permittere se ab illo iniuste occidi. In casu enim tali Rex est tyrannus, & peccator. Peccator autem indignus est pane quo vescitur, & pro illo tunc est indignus vita quam viuit. Quamuis enim tyrannus non possit licite occidi ab homine priuato, ut bene diffiniuit Concilium Constant. ut supra. p. 2. contra quendam Ioannem Parui: tamen in hoc casu non de per se occidit inuasus, neque de per se damnificat Rem publicam. Et licet Rex, aut princeps possit per iustam legem priuare reos defensione per appellationem; non tamen potest priuare defensione manuali quæ est de iure naturali. Appellatio magis est de iure gentium.

Si contra hoc dicas, quod Carthusiensis etiam tempore extremæ necessitatis cogitur non vesci carnibus, ad quas vescendas habet dominium naturale, quod est potestas propinqua utendi rebus secundum regulas iuris naturæ, ergo sicut ille priuatur licite hoc iure naturali poterit priuari inuasus defensione manuali. Ad hoc dico, quod Carthusiensis qui non haberet ad vescendum, nisi carnes teneretur, non se permittere mori. Quando habet alios cibos, si est in extrema necessitate opinio est, quod non potest priuari tali dominio, ita tenet Almainus in. 4. distinctio. 15.

Argumentum.

Solutio.

quæst. 2. Aliorum opinio est in oppositum: quæ etiam si teneatur nihilominus est discrimen; quia homo nõ tenetur vitam suã conseruare per quodcunq̃ medium, quia non tenetur pro salute mutare prouinciam, aut regionem, aut patriam cum graui dispendio: neque expendere totum patrimonium, & relinquere filios in paupertate. Neque in omnibus casibus, in quibus licitè mutilabitur, à chirurgo tenetur permittere se mutilare. Potest enim committere se diuinæ misericordiæ & prouidentix: quia neque vita per talia media est omnino certa. Imo Carthusiensi cui consuetudo est versa in naturam certius mors continget è subita mutatione. Atque sicut fortis politicus exponit vitam pro bono publico licitè sic Carthusiensis pro conseruanda temperantia suæ religionis & professionis.

Propo. 36.

Quod quisque potest facere pro defensione propriæ personæ atque rerum potest facere pro saluando altero sine peccato: imo tenetur socius defendere socium; quod si potest & negligit fouet iniuriantem. Ad hanc est Prouerb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem. Et exemplum Moy sis Exod. 2. qui vt liberaret Hebræum, occidit Ægyptium. Est hæc conclusio expressa in cap. Dilecto de sent. ex com. lib. 6.

Propo. 37

Licitum est Christianis bellare. Hæc est contra Manichæos, quos sequutus est Oecolampadius. Contra quos est quod Moy ses, Iosue, David, & multi alij sancti, multa bella ex diuina voluntate bellarunt. Ioannes Baptista Lucæ. 3. non præcipiebat militibus petentibus ab eo viam salutis quod non bellarent. Item Machabæi pugnauerunt contra Antiochum & alios infideles. Ad hanc vide in decretis. 23. q. 1. & deinceps. vide & Alexand. 3. p. q. 47. M. 3. & probatur ex prædictis, licitum est occidere maleficos, licitum est occidere se defendendo: licitum est etiam defendere socios & vicinos: igitur principes licitè possunt his de causis bellare. Autoritas est Isidori: Iustum bellum est quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa: igitur principes Christiani licitè bellant contra Turcas, & alios Mahumetanos, qui terras Christianorum occupant, & hostes sunt Christiani nominis, nos quotidie inuadentes. Hoc est contra Lutherum dicentem, quod bellum aduersus alios licet, nõ tamen contra Turcas, quia sunt Dei flagellũ. Sed vide in primo

d. 48.

d. 48. quomodo possum? sine peccato velle cõtra id quod Deus vult, imo tenemur vitã procurare per medicinas, esto velit Deus quod moriamur.

Homicidium aliud est volũtarium, id est, intentum ab homicida: aliud casuale, quod est præter intentionem. Hoc vt sit peccatum requirit quod causa possit tolli ex qua fuit. vide cap. presbyteri. Et ad audientiam de homici. volunt. Secundo quod teneatur homo illam causam tollere.

Propo. 38.

De sexto præcepto, Non mœchaberis.

IN hoc præcepto prohibetur omnis concubitus illicitus: prohibeturque vsus non legitimus illorum membrorum. Magister in litera. d. 37. & est Augustini habetur. 32. q. 4. c. meretrices.

Propo. 39.

Transgressio huius præcepti diuiditur in sex species, quarum quælibet est peccatum mortale, & dicere contrarium est hæreticum. Illæ sunt: fornicatio simplex, quæ est commixtio soluti cõsoluta: Adulterium, Stuprum, Raptus, Sacrilegium, Peccatum contra naturam, quod fit tripliciter, per mollitiem, Sodomiam, & bestialitatem. Vide summistas de his late pertractantes. Contra fornicationem & adulterium vide Matth. 15. quod à corde exeunt quæ coinquinant hominem. Paulus. 1. Corinth. 6. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei possidebunt. Vide librum Leuitici. 18. & 20. ca. Deut. 22. & 23. Errant igitur Græci dicentes, simplicem fornicationem nõ esse peccatum. Errabant Beguardi & Biguinæ damnati in Clemẽt. Ad nostrum. de hæret. quorum septimus error dicebat, actum carnalẽ nõ esse peccatũ, quia ad eum inclinabat natura: sed bene osculum, quia ad ipsum natura nõ inclinatur. Errauit & Nicolaus vnus de septẽ diaconibus electus ab Apostolis, Act. 6. qui cõ haberetur zelotypus ob vxoris pulchritudinem, vt de zelotypia se purgaret coram Apostolis vxorem exposuit, vt ea vteretur qui vellent. Cuius factum alij imitantes, quia putabant licere quacũque vellent vti, dicti sunt Nicolaitæ: quod factum damnat Dominus Apocalyp. 2. odisti facta Nicolaitarũ quæ ego odi. Eundem errorem tenuerunt Adamitæ nudi incedentes, vt Adam & Euã imitarentur. Sequuntur & Anabaptistæ: V valdenses quemcunq;

Propo. 40

coitum

coitum etiam inter masculos negant esse peccatum.

Propo. 41

Principes licitè absque peccato permittunt meretricia & lupanaria: neque idcirco desinunt peccare ibi se commiscentes. In hanc est commune dictū Augustini lib. 2. de ordine. Aufer meretrices de rebus humanis, & turbaueris omnia libidinibus. Et exemplum Domini permittentis zizania, Matth. 13. ne maius malum sequeretur triticum eradicando. Facit & permissio libelli repudij, Matth. 19. Secundum doctores qui tenent repudium omnino fuisse illicitum. Ratio huius permissionis est, quia potestas civilis non potest omnia vitia cohibere, ideò punit grauiora, & à quibus possibile est maiorem partem multitudinis abstinere, ne turbetur humana societas & pacis tranquillitas, alia permittit ne peiora fiant. De hac Ricard. d. 37. art. 3. q. 3. Atque de isto mandato sexto, Alex. 3. p. q. 35. Est hæc tertia contra hæresin Valdensium, dicentium nullum peccatum esse tolerandū, vt videtur maius malum.

De septimo præcepto, Non furtum facies.

Propo. 42

NO MINE furti intelligitur, omnis illicita vsurpatio rei alienæ. Magister in litera. d. 37. iuristæ sic notificant furtū, quòd est contrectatio rei alienæ mobilis, corporalis, fraudulosa, inuito domino, facta animo lucrandi, siue ipsius rei, siue vsus rei, siue possessionis. Quæ tamen non est definitio, sed notificatio quid in legibus veniat nomine furti.

Propo. 43

Furti plures sunt species, vide in Alexand. 3. p. quæstio. 36. & in summistis. Magister de tribus meminit: Rapina, Sacrilegio, Vsuræ. Rapina est contrectatio violenta rei alienæ ad possidendum, vt de ipsa loquimur in præsentia, quia si est ad delectandum in venereis vocatur raptus, & pertinet ad luxuriam, vt dicitur citatus Alex. M. 2. per violentiam distinguitur à furto, quod occultè committitur, & dominus est inuoluntarius ratione ignorantie, in rapina ratione violentie. Sacrilegium est vsurpatio rei sacræ. Dicitur sacrum quicquid est mancipatū cultui diuino. Committitur sacrilegium tripliciter, vt habes in litera, vel auferendo sacrum de loco sacro, aut non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro. Vsuræ continetur sub rapina, vt dicit Magister. Est vsuræ
vbi

vbi amplius requiritur quam quod datur. Vide in decretis. 14. q. 3. vsuræ. Contra quam Dominus in Euangelio Luca. 6. Mutuantes & nihil inde sperantes, videlicet vltra quantitatem quam dedisti. Psal. 14. Laudatur qui pecuniam suam nõ dedit ad vsuram. In Clement. vnica de vsuris, damnatur pro hæretico pertinaciter affirmans vsuram non esse peccatum. Si dicas licuisse Iudæo dare ad vsuram alteri quam Iudæo. Deut. 23. respondet Alex. citata. q. M. 4. art. 2. quod illis fuit permissum non tanquam licitum sed ad vitandum maius malum, ne grauarent fratres suos Hebræos vsuris, erant siquidem auari & duri, vide & Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. ad 2. Græcis imponitur à Guidone Carmelitano quod dicant vsuram esse licitam.

Filij Israel non peccauerunt spoliando Ægyptios neq; furtū commiserunt. Probatum quia fecerunt de mandato Dei, Cuius est terra & plenitudo eius psalm. 23. Transtulit ergo vt dominus verus suam rem in alterum. Secundò vt iudex damnauit Ægyptios in amissionem bonorum propter peccata, vide capit. Dixit dominus. 14. q. 5. Tertiò quia Ægyptij erant debitores Hebræis de mercede laboris quo eis seruiant, & ex diuino præcepto, cum non soluissent, per seipso accepert. Quòd si Ægyptij fuerunt inuiti erant irrationabiliter, sicut est reus quando iuste punitur. Cum sit præceptum Domini Matth. 7. vt quæ volumus nobis faciant homines, nos illis faciamus. Et Tobia. 4. Quod ab altero tibi oderis fieri, vide ne tu aliquando facias. Intelligitur, quando illud iuste nobis volumus, aut odimus fieri nobis iniuste. Hoc est, quicquid secundum rectam rationem volumus aut odimus nobis idem velimus alijs, vide Magistrum.

Retinere decimas & primitias est peccatum sacrilegij, quia ipse sunt alienæ, id est, Ecclesiæ, & Dicatæ Deo. Contrariū huius fuit hæresis pseudoapostolorū & Viclephi dānati in Cōc. Cōst. Error eius decimus octauus sic dicebat. Decimæ sunt pure elemosynæ, & paraciani possunt propter peccata suorū prælatorū ad libitū suū auferre eas. De ipsis soluendis est Dñi præceptū Exo. 22. Decimas & primitias tuas non tardabis offerre. Leuitici. 27. omnes decimæ terræ domini sunt, & illi sanctificantur. Malachia. 3. dicit dominus se configi in decimis & primitijs ergo illas retinentes similes sunt crucifigentibus Christum. Num.

18. iubebantur dari de melioribus, ne sibi egregia & pingua re-
seruarent, vide. 16. q. 1. Reuertimini. Et decimæ. Neq; propterea
quod fuit præceptum legis veteris ceremoniale, & iudiciale, ces-
savit in lege noua, quia erat etiam morale, vt alerentur sacerdo-
tes & leuitæ orantes pro populo, ipsumq; docentes, & in templo
ministrantes. Nume. 18. 2. Paralip. 31. Malachia. 3. & Luca. 10.
expressit dominus quod dignus est operarius cibo suo, & 1. Co-
rinth. 9. & sic durat in Euangelio. Quotum & quantum debeat
dari pro decima est de iure positivo Ecclesiastico, vnde standum
est cōsuetudinibus regionum approbatis. Ratio sumitur ad hoc
ex citato Paulo, quoniam ex proprio labore & negotiatione te-
nentur homines alere magistratus sæculares, & milites ergo mul-
to magis Ecclesiasticos. Ex hoc loco Pauli constat nō esse puras
eleemosynas contra V vicephum neq; posse negari eo quod sa-
cerdotes non sint pauperes vt fuisse Apostoli, quod dicebant
pseudoapostoli, quia debent ex iustitia, & nemo suis stipen-
dijs militat. In aliquibus locis agricolæ conqueruntur, & quod
non debeant decimas nisi deducto semine quod iā semel decima-
tum fuit. Sed extra de decimis & primitijs. cap. Cum homines,
& cap. Non est, & cap. Tua nobis iubentur solui sine deductio-
ne expensarum & seminis. In hoc sicut in modo soluēdi an sint
deferendæ ad Ecclesiam, vel domi soluendæ consuetudini stan-
dum erit. De hac materia vide Alex. 3. p. q. 51. Quod si contra
prædicta arguas quod in aliquibus terris laici recipiunt decimas
ergo non est sacrilegium eas furari, quando quidem sunt iam red-
ditus sæculares. Ad hoc distingue quod in decimis ius ad eas per-
cipiendas non potest dari sæcularibus. Extat canon Beati Gre-
go. 16. q. 7. Decimas, & cap. peruenit ibidem; fructus decimarū
potest dari laicis. Sicuti alicubi datur militibus propter defen-
sionem Ecclesiæ, & tales fructus quando iam sunt in potestate sæ-
cularium, quia facti sunt ipsorum non esset sacrilegium. Possent
tamen Ecclesia si grauaretur, & eam non adiuuarent, vel causa
propter quam dati sunt cessaret, vel abuterentur priuilegio, il-
lud reuocare, quia non perciperent iuste, vide Alex. citata. q. 51.
M. 6. sic docentē & 2. p. q. 187. M. 4. art. 2. vide & Tho. 2. 2. q. 87.
art. 3. ad. 3. Illud tamen aduerte quod milites religionum milita-
rium non sic sunt sæculares vt alij milites, maxime ordinis san-
cti Ioan:

Argum.
solu.

cti Ioannis quorū vota sunt tria sicut in alijs quibuscunq; religio-
nibus. Hoc male faciunt ipsi milites religiosi, quod ex decimis
non congruè sustentāt sacerdotes curatos, vnde recidit in plebē
alia cura, quæ nescio an sit toleranda, eos alendi nimijs oblatio-
nibus vel alijs modis onerando missas ad tantum stipendium, vt
inde pars defalcetur à simplicibus sacerdotibus etiam regulari-
bus eas dicentibus, quæ pars citra onus aliquod deueniat cura-
tis propter sacramentorum administrationem, vt ipsi dicunt,
vel alijs fucatis nominibus & coloribus, cum talis administra-
tio sit ex decimis satisfacienda.

Est aliud genus decimarū quæ vocantur, Annatæ. Hæ succe-
dunt loco decimæ decimarum, quæ dabantur summo sacerdoti.
Nu. 18. Præcipe Leuitis atq; denuncia. Cum acceperitis à filijs
Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte domino,
id est decimam partem decimæ, & date Aaron sacerdoti, vocan-
tur Annatæ in curia Romana quos communi vocabulo & vsita-
to dicimus, dimidios fructus primi anni, qui de beneficijs Eccle-
siasticis deueniunt & persoluuntur Romano pontifici. Hanc cō-
suetudinem Angli non acceperunt, nisi de solis episcopatibus.
Quidā dicunt quod eas imposuit Ioannes vicesimus secundus:
Alij quod Bonifacius nonus vel Cōciliū Constantiense: Alij ci-
tant Ioan. Andre. in cap. inter cætera de officio ordi. & Hostiēs.
dicentes quod sunt immemorabilis consuetudinis, quia Clemēs
quintus antiquior Bonifacio non imposuit, sed approbavit iam
impositas. Et Const. Conci. iam impositas inuenit. Pro vsu An-
natarū citatur & Gerson. De simonia vide Alexan. citata. q. 51.
M. 6. ar. 6. sed loquitur ibi de decima decimarū quotannis dāda.

Propos. 46.

De octauo præcepto. Non loqueris contra proxi-
mum tuum falsum testimonium.

IN hoc præcepto prohibetur omne crimen mendacij & periu-
rij. Magister in litera. d. 37. est autem mēdacium falsa signifi-
catio vocis cum intentione fallendi. Propos. 47.

Tripliciter diuiditur mendacium à Theologis, in iocosum,
quando animo iocandi aliū decipimus, Officiosum, quod alicui

Propos. 48.

vv 2 pro

prodest & nemini obest. Taliter mentitæ sunt obstetrices Aegypti pro mulieribus Hebræis. Exod. 1. dicendo quod antequam ad illas ipsæ venissent peperissent. Taliter & Raab vt liberaret exploratores Iosue. 2. Aliud est perniciosum, quod videlicet obest iuxta perniciem & nocumentum quod infert attenditur eius malitia, vel contra fidem, & doctrinam catholicam, aut contra seipsum, aut contra proximum.

Propos. 49. Omne mendaciū est peccatū. Contrariū huius est hereticū. Magister in litera refert quosdam quos tamen non nominat dicentes quod prohibetur mendacium perniciosum: non tamen officiosum, quia tale non est contra proximum. Alfonso Castro aduersus hæreses verbo Mendaciū, nominat Cassianū dicentē sub nomine Abbatis Ioseph in collatione. 17. a cap. 15. vsq; ad. 20. quod pro saluanda vita hominis, aut pro alio magno beneficio licet mentiri. Et a cap. 21. vsq; ad vice simū quintum quod etiam liceat causa humilitatis, vt homo virtutes suas occultet. Contra mendacium clamat tota scriptura. psal. 5. perdes omnes qui loquuntur mendaciū. psal. 14. perit, quis habitauit in tabernaculo coelesti? & respondet, Qui loquitur veritatē in corde suo, qui non egit dolū in lingua sua. Paul. Roma. 3. Si veritas Dei in meo mendacio abundauit, quid ego tanquam peccator iudicor? sed Deus non est iniustus qui infert iram propter mendaciū igitur omne mendaciū est peccatū. Non enim sunt facienda mala vt veniant bona, vt ibi Paulus ait, Quod non liceat mentiri causa humilitatis, neq; pro saluanda vita hominis docetur. 22. q. 2. cap. Cum humilitatis. Non ita. Ne quis. Siquis. Innocentius tertius extra de vsuris. cap. Super eo, docet quod scriptura sacra prohibuit pro alterius vita mentiri. Ratio propter quam omne mendaciū est illicitū est quia de eius ratione est quod dicatur intentione fallendi. Et discordia inter mentem & linguam est contra rectam rationem, & verū dictamen conscientiae. Materiale in mendacio sunt verba: formale, conscientia oppositi cū intentione fallendi, vnde dicens falsum credens quod dicat verū non mentitur: è conuerso si Iudæus dicat Christum esse Deū dicit verum, & si non credit mentitur. Magister in hoc non concedit quod tale debeat dici mendacium licet ille non credendo sicut verbo dixit mentiatur. Ratio est quia mentiri vt est verbum dicit actum ipsius

ipsius proferentis: mendacium nomē non solum dicit actum proferentis sed quod à parte rei non sit sicut per verba significatur. Græci dixerūt licere per mendacia & periuria decipere inimicos.

Mendacium sola ratione status non est peccatum mortale, si aliàs erat veniale. Hanc tenet Scotus. d. 38. quia quod non est mortale in vno non est mortale in alio, nisi sit obligatus particulariter ex voto aut simili plusquam alius Christianus. Dico ex simili, quia prælatus quando exercet suum officium, docendo, prædicando, iudicando quia suæ doctrinæ dānificat aut oritati peccabit mortaliter nisi vt Scotus ipse limitat sciatur tale mendaciū esse extra doctrinam. Hęc est contra aliquos dicētes quod mendacium, veniale in alijs, sit mortale in viris perfectis.

Mendacium consistit in factis sicut in verbis, dum quis alius est, & alium se esse ostendit. Nam sicut veritas est quando res adæquatur intellectui, sic quando homo interior & exterior est conformis diuinæ legi, & eius præceptis, vocatur veritas vitæ. Vnde Ioannes in epistola. 2. Gaudius sum valde quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate, sicut mandatū accepimus à patre. Mox explicans idem. Hęc est caritas Dei, vt ambulemus secundum mandata eius. Falsitas vitæ vocatur hypocrisis. Est autem hypocrita iuxta Basiliū. Ser. 1. de ieiunio, qui in theatro personam sustinet alienam. Vt seruus representat regem. Sicut non omne mendacium in verbis est mortale, sic neq; omnis simulatio aut hypocrisis. Vocauit autem Christus ipsam fermentum pharisæorum Lucæ. 12. quia omnia opera fermentabant vt viderentur ab hominibus Matth. 23.

Gravius mendacium est vituperare se, quam laudare, sumendo vituperare, pro mala sua manifestare: quia magis lædit se ipsum in fama & alios quibus est peius credere proximum peiorem, quam meliorem. Accipiendo vituperare pro negare bonū quod habet gravius mendacium est se laudando. Vnde Aristot. 4. Ethico. cap. 7. ponens veritatem virtutem & veracem virtuosum dat pro extremis arrogantē siue iactatorem, qui fingit, quæ non habet aut maiora quam habet & sibi arrogat: & dissimulatorem siue ironē, qui negat quæ sibi infunt, vel diminuit: quorum vtriq; sunt vituperatione digni, magis tamen arrogans. Hęc Arist. Ratio est quia illud vitium inter extrema est peius quod

plus recedit à virtute, vt auaritia plus recedēs à liberalitate quā prodigalitas: sed plus recedit à veritate arrogans, quam dissimulator, minusque difficile est se laudare de bonis quæ non habet, quam dissimulare bona quæ habet: sed quod est magis difficile magis accedit ad virtutem quæ est circa difficile. Tum etiam, quia arrogans mouetur propter honorem aut lucrum: dissimulatore ne fiat onerosus quia excellentiæ patent inuidiæ. Iuxta id Eccles. 4. Omnes labores hominum & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi: quod & Arist. ibi dicit. Dissimulatore etiã magis accedit ad doctrinam humilitatis & Christi dicentis. Luc. 17. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Vbi ambo extrema concurrūt est duplex iniquitas, vt qui dissimulat bona, vt putetur habere maiora. Tales erant Matth. 6. qui stantes orabant in angulis vt viderentur, quia vnam gloriam quærebāt ex eo quod viderentur, aliam ex eo quod iudicarentur gloriã fugere, quia in angulis & stantes erāt quasi non orantes. Eiusmodi sunt qui præfecturis à se per ambitionē assecutis renūciant, vt duplicem habeant gloriam alteram per assecutionem quando fuere ad illas digni reputati, alteram, quia fugiunt, vt quasi inuiti iudicentur in candelabro positi. Ad hanc vide Ricar. d. 38.

Propos. 53.

Quamuis pium sit saluare sanctos patres quorū est memoria in sacra scriptura, vt tam in dictis quā in factis non fuerint mentiti, hoc tamen non est omnino necessarium vt dicit Scotus. d. 38. ad. 2. argu. principale. Primò quia habuerant legem imperfectā & de patribus noui testamenti non negamus quod peccauerint venialiter & potuerint mentiri dicente Ioanne. 1. c. 1. Si dixerimus quoniam peccatū non habemus nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. Secundo, quia de aliquibus eorum legimus quod mortaliter peccauerūt vt Dauid, Aarō Moyses apud aquas contradictionis. Nihil ergo mirum si venialiter peccauerint mentiēdo. Nam & Chrysof. Homilia de Iob, & Abraham videtur sentire quod Abraham fuerit mentitus quādo immolaturus filiū Isaac dixit pueris Genes. 22. expecta hęc cum asino ego & puer illuc properātes postquā adorauerimus reuertemur ad vos, ait enim. Quid dicit? Sedete ait hęc cū asino, ego autē & puer transibimus & reuertemur. Dixit quidē ita, sed non ita in animo

animo habebat, accidit autem vt dicebat, nō vt sentiebat. Sic de Iudith. cap. 10. dicit Scotus quod fuit mentita officiose. Quomodo aliquos illorum patrum saluent vide Alex. 3. p. q. 37. M. 6. Bonauen. d. 38. q. 2. Tho. 2. 2. q. 111. art. 1. Vide & in decretis. 22. q. 2. tria vltima cap. quæ saluant illos Sanctos patres.

De dono & decimo mandato. Non desiderabis vxorem proximi tui: Non concupisces domum proximi tui, non seruum: Neque omnia quæ illius sunt.

IN his duobus vltimis mandatis prohibentur in animo, quæ in opere prohibentur in sexto, & in septimo. Sic habes in littera. d. 40. vnde concupiscere substantiam proximi licita via emptionis, non est contra hoc præceptum. Propos. 54.

Peccata cōtra hæc duo mādata habent easdē species in corde quæ in opere: vt desiderium nuptæ sit adulteriū: appetitus furandi rem sacram sacrilegium. Sed an hæc circumstantiæ in corde sint necessario confitendæ, sicut in opere, cōtrouersa est questio. Summa angelica verbo. Luxuria quanuis fateatur esse bonum illas confiteri, negat tamen obligationē, quia nulla est materia læsa cū non processerint in opus. Tum etiam quia per talē concupiscentiã tantū fit contra vnū præceptū de non desiderando vxorē vel rē proximi. Contrariū tenet Siluestrina. Luxuria. §. 2. & dicit stultum esse quod ait Angelica. Sed potuisset loqui modestius cū passim videamus, quod vbi non addit supra Angelicam aut ei cōtradicit de verbo ad verbū ipsam ad se trāsferat mutato sepiissime loco aut verbo sub quo eandem tractat materiã. Quod si quoties ipse sequitur Angelicã toties retulisset, maximã suamque suæ partē excusare potuisset. Neq; ratio Siluestri adeo cogit, videlicet quod si ita foret, neq; opus esset illas circumstantias in actu exteriori confiteri: quia manifeste in actu exteriori fit lesio tercię personæ realiter. Neq; tam manifesta apparet ratio quare de desiderio contra sextum & septimum mandatum sit facta expressa prohibitio, & nō in alijs præceptis. Et forte hoc monis Angelum.

Angelum, quia videns peculiaria præcepta quæ in opere per tot species diuiduntur, & postea de concupiscentia cordis fieri peculiarem prohibitionem, & non de alijs reputauit idcirco dari, vt omnes species ibi sic comprehenderentur quod cessante læsione reali alterius non necesse foret esse homines sollicitos quantæ malitiæ foret desiderium, modò scirent se in desiderando contra hæc duo præcepta mortaliter peccare. Quicquid autem sit de opinione Angeli, hoc crederem omnino verum quod qui cogitans de quacunque muliere solo animo seipsum oblectandi sine voluntate patrandi opus, non teneatur in confessione circumstantiam personæ exprimere si nupta esset aut virgo, cora sanguinea vel aliena: quia cum finis denominet actum & ipsum specificet adeò quod Aristo. 5. ethi. 2. ca. dixerit. Qui mœchatur causa lucrandi iniustus est & non intemperans. Quod sic solet allegari. Qui mœchatur vt furetur magis est fur quàm mœchus. Iste de quo loquimur mollis est non adulter. SuffICIENTER credo talis se accusabit quod sit delectatus mortaliter in venereis. Idem etiam crederem de illo qui ex tactu leui aut indifferenti quo alteritamen non datur occasio peccandi seipsum oblectaret. v.g. in osculo apud nationes aliquas consueto: quia opus in se fuit licitum aut indifferentis, neq; animus fuit ultra transire, aut alium inducere ad peccandum. Scio quosdam aliter sensisse mihi tamen hoc placuit. Non enim in venereis debet tanta fieri explicatio quanta in alijs maxime circa cogitationes que in plura vagantur & obscœniora, quàm vagentur opera. Si cõtra hoc dicas quod idem actus moralis potest esse sub duabus speciebus, alioquin qui cognosceret cõsanguineam nuptam nõ committeret incestum simul & adulterium, quod est falsum: neq; qui mœchatur vt furetur esset reus adulterij & furti. Videmus etiam in naturalibus quod eadem res sub diuersis rationibus pertinent ad diuersos sensus, vt lac sub ratione dulcis ad gustum, sub ratione albi ad visum. Concesso antecedenti dico quod ille de quo loquimur nõ sic cogitat quod talis actus pertineat ad duas species, quia non simul ambæ concurrunt, quia cum finis & obiectum sit oblectatio propria: Circumstantia nuptæ aut virginis in præsentia non sunt quasi obiectum illius delectationis sed quasi deper accidens, & causa sine qua nõ. Quando animus ferretur in opus si haberi posset occasio:

Argum.

Solutio.

Corol.

Occasio: tunc illa cogitatio posset videri esse sub duabus speciebus. Ex his patet de virgine cogitate de viro quod debeat dici. Nã secundum opinionem Angeli, neq; ipsa tenetur explicare se virginem, neq; cõfessor tenetur interrogare: stãdo in alia opinione ipsa tenebitur explicare se virginem. Tenendo hanc meam mediam, si tantum sese oblectabat cogitatione sine animo ad actum quo rumpetur claustrum, ipsa non tenebitur explicare magis quàm tenetur vir quem nemo est qui vertat in questionem si debet explicare se virginem. Dato quod intendat rumpere claustrum vel quod simus in opinione, quod ipsa tenetur statum suum explicare, dubium est si tenebitur cõfessor interrogare? Aliquibus videbatur pars affirmatiua. Sed tamen negatiua est verosimilior. Primò quia materia confessionis subordinatur materię de iudicijs, & in. c. Si iudex laicus de sent. Excõ. li. 6. docetur, quod deprehensus in habitu clericali debet reputari clericus. Allegat legem civilem de existente in possessione ingenuitatis, & quod gerens stigmata Fabricensium aut Hydrophilacæ debet reputari Fabricensis & Hydrophilaca ergo à simili ex habitu reputanda est virgo. Facit Gen. 38. quod Iudas cognoscens nurum in habitu meretricio non commisit incestum. Et viduam solo vno mense nuptam debemus reputare corruptam. Secundò, quia probabiliter est timendum quod metietur glorię auida dicendo se virginem quæ non esset. Quando autem poenitens laborat ignorantia ipsum excusantem cõfessor non debet eum ponere in periculo si reputat probabile quod ponetur per suam interrogationem, sed ipsum dimittere. Neq; est omnino improbabile quod vbi deest vis, & raptus non sit magis circumstantia mutans speciem in foemina quàm in viro esse virginem, quodq; in tali circumstantia confitenda sint pares.

De decem præceptis in communi.

Habita mandatorum aliquali declaratione haud abs re fiebat de ipsis longiorem facere sermonem. Cum enim sapiens Prou. 6. præcepta patris conseruare suadeat, legemq; matris non dimittere: sed ipsa in corde ligare ne cadant, gutturi circumdare vt nos ornent stantes aut ambulantes, in somno & in vigilia: quia in huius nocte seculi mandatum lucerna est, & lex lux: de legibus loquedi in quibus ipsa sunt mandata capus aperiebatur. At vero

xx

tam

tam lata materia, est ab alijs & late in scriptis effusa. Nā Alexander Hallens. in. 3. p. à. q. 26. de legibus disputat de q; mandatis in eis contentis. Alexandrum imitatus est Tho. 1. 2. à. q. 90. Nos modo id tantum ponimus quod videlicet lex sit quadruplex æterna, naturalis: scripta, seu Mosaica: & Evangelica. Lex, eam in sua communitate sumendo, vt Aristoteles ait. Ethicò. 5. ca. 2. præcipit viuere secundum omnem virtutem, & vnum quodq; vitium prohibet. Hoc vt lex præcipiat vtrumq; necesse est cõcurrat, & legislatoris mens, & volũtas. Æternũ nihil est præter Deũ, quicquidq; in eo est ipsemet Deus est. Querẽda igitur alia lex æterna præter ipsum Deũ nõ erit: Neq; alia regula diuinæ actio ni præscribenda. Quidquid ad extra causat mere causat contingẽter, resq; ideo sunt quia ipse quod sint vult, & quia sunt, bonæ sunt, tantum habentes bonitatis, quantũ habent & entitatis. Ab æterno vero suas in Deo habẽt ideas vt in. d. 35. primi videre est. Vocat enim ea quæ non sunt tanquã ea quæ sunt. Rom. 4. Inde eis sicut nomina vocat & præcepta ordinat. Diuinus itaq; conceptus æternis ordinans actum suæ voluntatis, lex erit æterna. Quãuis ergo diuinus intellectus & voluntas idem sint in re cum lege æterna, tamẽ secundum rationem nostram intelligendi aliquo modo different, vt bene annotauit Alex. ad finem citatè. q. 26. Nã voluntas atq; item intellectus respicit actum: lex respicit ordinem ipsius actus. Ab hac æterna lege certe omnes leges deriuantur. Lex naturalis secundũ Ciceronẽ li. 1. de legibus, Est ratio summa insita in natura quæ iubet ea quæ faciẽda sunt facere prohibetq; cõtraria. De hac lege Rom. 2. Cũ gentes quæ legẽ nõ habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex qui ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis, vbi glossa interli. Naturali ratione illuminati discernũt faciẽda & vitanda, quod faceret lex. De hac. Psal. 4. Multi dicunt quis ostendit nobis bona? Et respondit, Signatum est super nos lumen vultus tui domine. A lumine rationis naturalis habemus illa duo quæ lex iubet, viuere vtiq; secundũ virtutem & vitia deuitare. Quod & Psalmo graphus cantat. Psal. 33. Diuerte à malo & fac bonũ. Lex scripta, iuxta eum dẽ Ciceronẽ loco citato, scripto sancit quod vult, aut iubẽdo aut vetãdo, vnde & Isidorus citatus à Gratiano. d. 1. lex est constitutio scripta: Lex Moyses, hoc est lex quæ à Deo per Moy-

Moysem data fuit populo vocatur lex scripta, quia & ipse Deus tabulas duas dedit Moysi, in quibus erant scripta decem mandata. Exod. 32. Quando nullo addito legem nominamus legem hanc Moyses intelligimus: quæ in quinq; libris continetur. Qui ab Hebreis vocantur Thora. i. lex. Lex Evangelica, nõ fuit scripto data, sed ore Dñi nostri Iesu Christi annuntiata, & prædicata. Valet enim Euangeliũ si in te preteris, id, quod bona annuntiatio. Hanc nostram legem quatuor euangelistæ in quatuor volumina redegerũt. Quæ quatuor eadẽ sonat, & prædicat, non diuersa. De qua lege dixit Isaias. 42. quod legem eius, id est Messia; , insulæ expectabunt. Et Hieremias. 31. Dabo legẽ meam in visceribus eorum. Per hanc legem Paulus Galat. 2. confertur se mortuum legi Moyses, & ab ea absolutum. Hoc est cõtra Lutherũ negantem Euangeliũ esse legem iuxta veram & propriam rationem legis vide & infra. p. 5. Flagellantes dixerunt euangeliũ cessasse post aduentũ suæ sectæ. Quod est hæreticum etiam, quia est testamentum æternum confirmatum Christi morte. Hebr. 9. Hoc habito pono sequentes conclusiones.

• Cõmuniter decẽ præcepta sic intelligũtur distincta fuisse in tabulis, vt tria prima esset in vna tabula: septẽ in alia. Alij doctores aliter distinguũt, videlicet q; quinq; erant in vna tabula, quinq; in alia. Hanc distinctionẽ sic ponũt Hebræi: vt est videre in Lyrano. Exod. 32. Prima distinctio est August. Hebræi ex primo mandato faciebãt duo. Quos sequitur Origenes vt est videre in litera. d. 37. Et ita facit Iosephus li. 3. antiquit. c. 4. Ex nono & decimo faciebãt vnũ dicẽdo. Nihil alienũ concupiscendũ. In præfato vero loco Iosephus nõ asserit q; fuerint quinq; in qualibet tabula. Hoc annoto propter D. Bonã. d. 37. vlt. q. referẽtem q; Iosephus ita teneat. Quod si tenet nõ est vbi eũ modo citauĩ.

• Tria præcepta primæ tabulæ sunt de lege naturæ strictè. De primo & secundo aperte docet Scotus. d. 37. litera. C. Vocantur strictè de lege naturæ, principia practica nota ex terminis, vel conclusiones necessario sequentes ex eis. De tertio videtur Scotus dubitare, quia determinatio illa temporis, nõ est strictè de lege naturæ, & qua ratione per legem naturæ nõ est determinatũ tempus Sabbathi: puta hoc tempus ad colendum Deum vel illud: neque vllum. Ita ex lege naturæ non habemus tempus

ad colendum Deum determinatū. Ait tamen ipse Scotus quod hoc argumentū à singularibus ad vniuersale nō tenet, sed est fallacia figurę dictionis, sicut est etiā fallacia figurę dictionis à pluribus determinatis ad vnam determinatam. At vero cū supra in tertio præcepto dictum sit quod præceptum diuinum expecificatū quoad tēpus non sunt præcepta duo sed vnū, sitq; de dictamine legis naturæ Deus colendus, expecificatio temporis est de lege naturæ licet sit variabilis. Propterea est illi aliquo tempore cultus exhibendus videlicet, isto tempore, vel isto, vel illo.

Propos. 58.

Alia septem præcepta non sunt striete de lege naturæ sed large. Hoc est quia valde consonant illi legi. Dat Scotus exēplum. Posito isto principio iuris positiui. Pacificè est viuendū in communitate nō sequitur necessario q̄ quilibet habeat possessionē distinctā. Posset enim stare pax si essent omnia communia: sed valde cōsonat quia infirmi plus procurāt propria, quā cōmunia: A simili, quāuis teneatur esse de lege naturę q̄ proximus diligatur, hoc est diligamus illi, quod ipse amet Deū nō inde sequitur, quod sit illi vita diligenda vt non occidatur, quia stante tali dilectione posset vita ipsius odiri. Et sic de alijs similibus: consonāt tamen illa præcepta naturę legi. Ex hac sequitur alia.

Propos. 59.

Posset Deus dispēfare in septē præceptis secūde tabule, quia nō sunt striete de iure naturæ. Hęc docet Scotus. Est dispensare reuocare præceptū quoad hūc particularē manēte obligatione quoad alios, quod pertinet ad legislatorem. Sumitur alio modo vt idē Scotus ait, videlicet pro declarare, quod pertinet ad alios qui per Epicheiā exprimūt, quomodo intelligatur mēs legislatoris. Epicheia enim idē est quod equitas de qua Arist. 5. ethi. c. 10. subijciturq; iustitiæ. Quia enim lex vniuersaliter loquitur & de his quæ vt in plurimum sunt: accidunt vero particularia de quibus nō potuit ferri lex: tunc emendare legē nō quia in ipsa fuerit peccatū, aut in legislatore, sed in natura rei particularis accidētis, declarādo, & faciēdo quod legislator si adesset faceret & diceret, equitas est, & virtus, Gręce Epicheia dicta. De hac dispēfatione nō loquimur in præsentī. Cōtrariū quod Scotus tenet Th. 1. 2. q. 100. ar. 8. Et quod septē præcepta sunt indispenfabilia quia sunt de lege naturę. Tūc enim est in lege dispensandū quādo seruando verba legis fieret cōtra intentionē legislatoris, sed nullus potest

potest, accidere casus in quo seruando septem præcepta fiat contra intentionē Dei qui legem tulit ordinando ad cōmune bonum, quod ipsemet est, & ad iustitiam inter homines seruādā ergo ipsa sunt indispenfabilia. Alioquin Deus, si dispensaret negaret semetipsum contra quod docet Paulus. 2. Timoth. 2. & Moy ses in Cantico Deut. 32. Deus fidelis est & absq; vlla iniquitate. Mentiri vero, furari, occidere innocentes, iniquitas est ergo non potest ad hęc homo dispensari à Deo. Confir. quia in humanis dispensans, hoc est reuocās præceptum quoad aliquē ex solo arbitrio non seruat fidelitatem communi bono, & est infidelis dispensator: quod si non ad plenū caller iustam rationem dispensandi credens rationem quæ non sit, est imprudēs: sed Deus nullo modo est dicendus infidelis & imprudens dispensator ergo in præfatis præceptis non potest dispensare. Ex his opinionibus hoc sequitur quod in via Scoti septem præcepta sunt mala quia prohibita, & nō prohibita quia intrinsece mala: in via Thomæ è contra prohibita quia intrinsece mala. Sequitur secūdo quod in via Scoti Deus dispensabat cum Abraham in morte filij: iuxta Thomam quia erat dominus vitæ ac mortis quam illi ex peccato debebat Isaac faciebat patrem ministrum & executorem iustitiæ: Cum Osee propheta item dispensauit, capi quod sumeret vxorem fornicationis, vel adulteram: secundum Thomam fuit inter illos verum matrimonium.

Corol.

2. Corol.

Arguit Scotus contra se ex illo Rom. 13. Qui proximum diligit legem impleuit. 1. Ioan. 4. Hoc mādatum habemus à Deo vt qui diligit Deum diligit & fratrem suum. His & similibus tripliciter respondet. Primò quod dilectio Dei in quantū est de illa præceptum affirmatiuum, non est simpliciter de lege naturę, sed in quantum est negatiuum, videlicet non odiendo, non inhonorando, quia ipse mansit dubius de tertio præcepto vt dictum est. Secūdo quod ex illo præcepto non sequitur quod debeo velle quod proximus diligit Deum, sed velle quod ille Deum diligit à quo ipse Deus vult diligi. Hęc doctrina Scoti fuit sententia Socratis dicentis, vt refert Augustinus de consen. Euang. lib. 1. cap. 18. vnunquemq; Deum sic coli oportere, quomodo seipse colendum esse præceperit. Tertio, quod licet sit de naturę lege quod diligendus sit proximus, id est volēdum quod ipse diligit

Argum.

ligat Deū, tamē cū hoc stare potest nolle illi vitā, quia ex illo nō sequitur præcepta. 2. tabulę tāquā verū practicū necessariū. Ad Paulū dicit quod Deus nūc de facto explicavit dilectionē proximi ultra illud quod includit inquantū sequitur ex principijs legis naturę. Per hæc patet quomodo Dominicus de Soto li. 2. de iustitia & iure. q. 3. ar. 8. male imponit Scoto quod præfatum Argu. non soluerit. Ipse namq; Soto solam hanc tertiam solutionē assumpsit neque intellexit quidem. Quod Magister meus frater Franciscus Cordubensis quando hanc explicabat materiam valde ridebat, exijt enim tunc opus illud Dominici in lucem.

Alex. 1. p. q. 37. M. 3. videtur his opinionib⁹ occasionē dedisse. Petit enim si potest Deus præcipere cōtra ius morale Decalogi, maximē quantū ad præcepta secundę tabulę? Respondet quod ius Decalogi emanat à iure naturali, quod ius naturale ordinat creaturā ad se, ad Deū, & ad aliam creaturam. Prout ordinat ad Deū vt illi creatura subijciatur est lex æterna ordinās creaturā in Deū tanquā in finē. Atq; contra hoc nō potest esse præceptū, neque etiā contra præcepta emanātia ab hoc iure: Prout ordinat in creaturā siue se siue aliā, & contra præcepta emanantia ab hoc iure potest præcipere, quia ipse Deus est supra omnē creaturam: ideo potest præcipere spoliationē bonorū & coitum quia nō priuant nisi ordinem inter creaturas. Ex hoc potuit sibi Scotus arrogare fauorem. Sed quia in solutione. 2. dicit quod quædam sunt quę statim dicta, vt philosophus ait, sonant in malum, vt sunt illa quę imponuntur à priuatione ordinis creaturę ad Deum, & exemplificat in Moechari & fornicari, quę imponuntur, ex ordinatione qua creatura se auertit à summo bono tanquā à fine & dicit quod non potest Deus præcipere fornicationem neque Moechiam. Ex hoc potest item se Thomas cōmunire. Quoniam occidere innocentem, furari, & alia similiter dicent eandem auersionem, quam fornicari, & Moechari. Non enim hic de nomine quæritur, neque de verborum sono sed de ipsa re. Cū ergo videatur Alexander tantūdem dicere, ac si diceret, potest Deus præcipere materiale contentum in septem præceptis, nō tamen formale, hoc est, auersionem quę in illis est, vixit est etiā dicere quod non possit contra ipsa præcipere aut dispensare quoniam formale est eis intrinsecū. Dat enim forma esse rebus quę
abla

ablata res non est. Sumpto igitur actu furandi solo aut moechandi non est furtum neque moechia. Scotus autem de actibus ipsis quærit nullo alio variato, nisi sola hac circumstantia, quod sunt prohibiti, aut non sunt: quia non apparet illis dandum aliquod formale per auersionem. Auertunt enim quia sunt prohibiti quicumq; alij actus vt faciebant ceremoniæ atq; iudicia Mosaicę legis. In eo difficultas omnis persistit, quam intrinsecam bonitatem habeant actus illi prohibiti? à quo habeant? vt sicut ceremoniæ atque iudicia Deo volente cessauerunt, non possit ipse Deus dispensans facere quod talis bonitas cesset sicut cessauit alia: & sicut nō fuit infidelis neq; imprudē dispensator faciēdo quod manētibus actibus ceremoniarū & iudiciorū, non maneat obligatio quę prius eis inerat, ita neq; erit infidelis negans seipsum si faciat quod actus septem præceptorum desinant obligare, solum quia ipse id vult, qui à nemine cogitur neq; alij quā sibi est debitor. Cum dispensatio relaxet legem dispensato propter aliquam causam propter quam melius est illi, non obseruare legem stante diuino præcepto negatiuo haud dubiū quod nō potest accidere casus præter intentionem legislatoris ob quem sit melius legē non obseruare. Sed neque de tali casu est difficultas: sed de causa non seruandi legem, si in Deo est sola sua voluntas. Nā in alijs legislatoribus apertū est non sufficere voluntatē.

Hæc decē præcepta hodie obligant Christianos, Cōtrariū fuit hæresis Lutheri dicentis quod ad nos, nō pertinet, sed ad solos Iudæos. Tenuit namq; solā fidē sufficere ad salutē & solā incredulitatē esse peccatū. Sed probatur cōcl. Matth. 19. Marci. 10. Luc. 18. dixit Christus adolescenti. Si vis ad vitam ingredi serua mandata: & ipse dominus explicans mandata seruanda posuit quinque. Honora patrē tuum & matrē: Non homicidiū facies: Non moechaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices. De primo mandato respondit doctori Matth. 22. De secundō Matth. 5. Dico vobis non iurare. De concupiscentia mulieris alienę ibidem. De decimo licet non habeatur locus expressus in Euangelio, tamen prohibito furto, prohibetur furandi desiderū. Tūm etiam quia ibi Matth. 5. dat consiliū vt volēti tunicam nobis tollere demus & pallium. De tertio iam diximus quod sit explicatio primi & a tempore Apostolorū ex Apocal. 1. dedi

Propo. 60.

dedicata fuit dies dominica. Tandem hanc nostram definiuit Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. & postea canone. 19. Siquis dixerit nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem cætera esse indifferentia, neque præcepta neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit. Et cano. 20. si quis hominem iustificatum, & quantum libet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum quasi vero Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione obseruationis mandatorum anathe. sit, vbi non solum contra Lutherum sed contra Beguardos & Beguinas definiuit, qui dicebant perfectos esse liberos ab obseruatione mandatorum. Qui iam fuerant damnati in Clementina. Ad nostrum de hæreticis. Canone. 21. definiuit idem Conc. Trident. Christum dominum datum hominibus non solum redemptorem sed etiam legislatorem cui obediamus. Glorietur & Paulus 1. Corinth. 9. quod sine lege Dei non esset, quia in lege esset Christi sed Christus non dedit alia mandata præter hæc decem ergo ipsa pertinent ad Christianos omnes etiam perfectos qualis erat Paulus, vide & supra ante propositionem. 56. Si contra hanc afferantur multæ Pauli autoritates, quod sumus liberi, sunt bene attendendæ quoniam aliquæ sonant libertatem à lege Mosaica: Aliæ à peccati seruitute, & à dæmonis potestate. Qui enim peccat facit dæmonis voluntatem. Idcirco ipse dixit. 2. Corinth. 3. vbi spiritus domini ibi libertas, vbi glossa interlin. id est lex Spiritus quam dominus dat non literis scriptam Quandoque sonant quod Deo iusti non seruiunt timore coacti, sed attracti libere virtutis amore iuxta illud Horatij. lib. epistolarum, epistola ad Quintium.

Oderunt peccare mali formidine pænæ.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Hac de causa dixit. 1. Timoth. 1. iusto non est posita lex, sed iniustus & non subditis, lex videlicet, quantum ad vim coactiuam, quia iusti non coacti legem seruant: Bene tamen est posita secundum vim directiuam. Nam per legem præceptorum obligantiū ipsi diriguntur ad Deum. Atque pro illis non sunt pænæ taxatæ per legem, quia illas non incurrunt cum neque transgredientur dum iusti fuerint.

Hæc

Hæc Dei mandata non sunt impossibilia ad obseruandū. Cō Propos. 61.
 trarium fuit heresis Lutheri. Sed probatur Deut. 15. Mandatum quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, neque procul positum. Matth. 11. iugum meum suauis est & onus meum leue. 1. Ioan. 5. Mandata Dei graua non sunt. Tertia est sententia Hieronymi in explanatione symboli ad Damasum. Execramur eorum blasphemiam qui dicunt impossibile aliquid homini præceptum esse, & mandata non à singulis posse seruari. Ad hanc vide in li. 2. d. 36. p. 6. Quando aliqui doctores dicunt quod homo potest peccare in eo quod non potest vitare verbi gratia in omissione vt lib. 2. d. 35. p. 1. & ibidem. d. 28. p. 6. & in hoc tertio. d. 20. p. 2. Non hoc ex diuinis mandatis prouenit, sed suapte culpa. Vnde Aristo. 3. Ethico. cap. 5. Per ignorantiam commissa puniuntur, si ipse committens causa ignorantiae videatur fuisse, ceu aduersus ebrios duplici pœna constituta. Principiū enim in ipsis est, cum in eorum potestate fuerit ne ebrii fierent. Si ergo duplex pœna est danda ebrijs, vna propter ebrietatem, alia propter peccatum in ebrietate commissum in eo peccauerunt quod non potuerunt vitare. Attamen cum peccata facta in ebrietate ad peccata facta per ignorantiam comparentur, consequens erit vt sicut ignorantia quauis non excuset à toto, excuset tamen à tanto, sic peccata facta in ebrietate non habeant tantam grauitatem, quantum si fierent in sobrietate, neque tanta pœna puniantur. Item si verum est peccatores sua obstinatione quandoque demereri auxilium Dei speciale, quo à peccatis resipiscant: quod aliqui doctores concedunt peccabunt in eo quod vitare non poterunt, sed sua culpa se proiecerunt in puteum à quo nequeunt exire. Sicut enim peccator cum in profundum venerit contemnit, prouer. 18. ita & à Deo contemptus non extrahetur, vt sequatur eum ignominia & opprobrium.

Non omnia quæ habemus in Euangelio sunt præcepta, cum Propos. 62.
 habeamus etiam consilia. Hæc est de fide contra aliquos Lutheranos vt contra Philippum Melanctonem, & Calvinum non distinguentes præcepta à consilijs. Sed probatur, per ea quæ dicta sunt. d. 25. p. 11. de paupertate & virginitate. Vocamus præcepta illa ad quæ tenemur ex obligatione: Consilia quæ sunt in nostra potestate. Quæ si non faciamus non peccamus, si fecerimus præmium habebimus: vnde Ambrosius lib. de viduis. Præ-

yy

ceptum

INDEX HAERESVM
 quæ in his tribus libris sunt impugna-
 tæ, literarum seriem intelligito,
 l. librum. d. distinctionem
 p. propositionem
 dicit.

SALMANTICAE,

Apud heredes Marchie Castij.

1584.

Ex Alphonso.

A.



Dorāda nō est Crux,
 lib. 3. d. 9. p. 4
 Adoranda non est Eu-
 charistia, ibi. p. 9
 Adam & Eua fuere
 damnati, l. 2. d. 33. p. 4
 Adam perdidit imaginem Dei per
 peccatum, ibi. d. 16. p. 4
 Adam & Eua si permansissent, non
 coirent, d. 20. p. 1
 Adam si non peccaret moreretur, d.
 19. p. 3
 Adam & Eua fuere cæci ante pecca-
 tum. d. 17. p. 3
 De Adæ costa nō fuit formata Eua,
 d. 18. p. 2
 Angeli siue boni, siue mali nō sunt
 creati à Deo, lib. 2. d. 2. p. 1
 * Angeli peccauerūt ex amore mu-

lierum, ibi. d. 5. p. 10. ad finem
 Anima non est forma corporis in
 quantum rationalis, l. 2. d. 17. p. 6
 Anima rationalis fuit spiraculum,
 quod Deus inspirauit in Adam
 si est heretica, ibi. p. 1
 Anima fuit formata antequam cor-
 pus, ibi. p. 2
 Anima est ex Dei substātia, ibi. p. 1
 Animæ nō creantur à Deo, ibi. p. 4
 Animæ hominum sceleratorū con-
 uertuntur in dæmones, d. 17. p. 3
 Alij dicunt quòd in pecudes, ibi
 Animæ ante infusionem in corpus
 peccauerunt, l. 1. 2. d. 17. p. 2
 * Anima est caro, ibidem. p. 5
 Annorum numerus ab origine mū-
 di si est incert⁹ an hereticum, l. 1.
 3. d. 37. p. 19
 Apostoli non prædicauerunt Euan-
 gelium iuxta spiritualem intelli-
 gentiam,

INDEX

gentiam, l. 3. d. 23. p. 5. corol. 2
Aqua non fuit creata à Deo, sed illi
coæterna, lib. 2. d. 1. p. 1

B.

Beatitudo & infernus non erunt
perpetui, l. 2. d. 7. p. 3
Bellare nullo pacto licet, lib. 3. d. 40.
p. 37
Bellare nõ licet contra Turcas, quã-
uis contra alios liceat, ibi.
Bestiæ omnes sunt rationis capaces
& intelligunt, l. 2. d. 1. p. 9

C.

Corpus suapte natura est malũ,
& à malo principio, l. 2. dist.
1. p. 1
In carne & corpore humano est ima-
go Dei secundum quam forma-
tus est homo, l. 2. d. 16. p. 5. & quia
se fundat in hoc quòd De⁹ est cor-
poreus, vide, lib. 1. d. 42. p. 2. & d.
8. de simplicitate Dei
Certitudine fidei sciunt iusti se esse
in gratia, l. 1. d. 17. p. 3
Christus nõ fuit Deus, sed purus ho-
mo, l. 3. d. 2. p. 1. & d. 7. p. 1
Christus fuit Deus & non homo,
quia neque habuit naturã huma-
nam, ibi. d. 2. p. 1
Christus fuit duæ personæ, lib. 3. d.
5. p. 2
Christi natura humana fuit conuer-
sa in diuinam, ibi. d. 1. p. 3
Christus habuit corpus & non ani-

nam rationalem, ibi. d. 3. p. 1. &
d. 17. p. 1
Christus vnã tantum habuit vo-
luntatem, d. 17. p. 1
Christus non fuit crucifixus, sed Si-
mon Cyrenæus, lib. 3. d. 21. p. 1. &
d. 25. p. 11
In Christi maiestate, aut præsentia
corporali non est speranda salus:
neque filius Dei fuit incarnatus,
vt hominem liberaret: neque dia-
bolusius aliquod habuit in homi-
nem, nisi fortè Deo permittente,
vt habet carcerarius, l. 3. d. 19. p. 1
Christus non habuit spiritum timo-
ris Domini, ibi. d. 15. p. 6
Christus non surrexit, sed resurget,
l. 3. d. 22. p. 5
Christus sine carne resurrexit, & si-
ne ea in celos ascēdit, ibi. p. 5. & 7
Christus surrexit die Sabbathi, lib.
3. d. 22. p. 5
Cõciliũ potest errare, l. 3. d. 25. p. 22
Coitus promiscuus foeminarum est
licitus, l. 3. d. 40. p. 40
Coitus carnalis vrente libidine non
est peccatum: osculum verò est
peccatum, ibidem
Consilia nõ differunt à præceptis,
l. 3. d. 40. p. 67
Corrigere possunt subditi dominos
delinquētes ad suum arbitrium,
l. 2. d. vlt. p. 5
Creaturæ factæ sunt ab alio quam à
Deo, l. 2. d. 1. p. 1
Creaturæ sunt malæ ex se, ibi. d. 4.
p. 1

Cruce

HAERESVM.

Cruce non est adoranda, supra ado-
ratio

D.

Decimæ non sunt soluendæ, l. 3.
d. 39. p. 45
Deus non est vnus, l. 1. d. 2. de vnita-
te. p. 5
Deus est corporeus, ibi. d. 42. p. 2
Deus est mendax, ibi. d. 8. p. 1
Deus nõ potest res aliter facere quã
facit, l. 1. d. 43. p. 1
Deus non est trinus in personis, l. 1.
d. 2. de Trinitate. p. 1
Diuinæ personæ non sunt æquales,
ibi. d. 19. p. 1
Dei filius non est verbum, l. 1. d. 27.
de verbo. p. 2
Dei filius ignorat diem iudicij, l. 3.
d. 14. p. 9
Dei filius nõ potest videre Patrem,
neque Spiritus sanctus potest vi-
dere filium, l. 1. d. 21. p. 2. & l. 3. d.
14. p. 2
Spiritus sanctus est creatura, & mi-
nor Patre, & Filio, neque eiusdẽ
substantiæ, l. 1. d. 19. p. 1
Spiritus sanct⁹ est anima mũdi, ibi.
d. 8. de simplicitate Dei, p. 2
Spiritus sanctus non procedit à Fi-
lio, ibi. d. 11. & 12
In Diuinis potentia est propria Pa-
tris, sapientia Filij, benignitas Spi-
ritus sancti, & non appropriatæ,
ibi. d. 34. p. 2
Diabolus suapte natura est malus,
lib. 2. d. 4. p. 1

Diabolus est à poena liberandus, l. 2.
d. 7. p. 3

Diaboli tentationes, seu suggestio-
nes fiunt contactu lapidũ seu her-
barum, l. 2. d. 21. p. 2

E.

Ecclēsia potest errare, lib. 3. d. 25.
p. 20. & 22
Ecclēsiæ prælati non possunt conde-
re leges obligantes in consciẽtia,
l. 2. d. vlt.
Euāgelium iam cessauit, lib. 3. ad fi-
nem ante conclusionem 56
Euāgelium non fuit prædicatũ ab
Apostolis in sensu spiritali, su-
pra Apostoli.
Euāgelium non est lex iuxta pro-
priam rationem legis, l. 3. in fine
p. 60. & antequam ponatur pro-
positio. 56
Eunuchus debet esse homo corpora-
liter vt seruiat Deo, lib. 3. d. 39. in
quinto præcepto. p. 3

F.

Fato reguntur conuersationes ho-
minum, l. 2. d. 1. p. 1
Fide nihil est credendum quod ex-
cedat facultatem intellectus, l. 3.
d. 33. p. 10
Fides sola iustificat, ibi. d. 24. p. 4
Fides amittitur per quodlibet mor-
tale, ibi. d. 23. p. 5
Fiduciam gratiæ & gloriæ non licet
ponere in nostris operibus, lib.

C 2 3. dist.

INDEX

3. distinctione. 26. p. 3
 Futura nulla sunt contingentia, sed
 omnia necessitate eueniunt, lib.
 1. d. 43. p. 1

G.

Gratia non est necessaria ad con-
 sequendam vitam æternam,
 1. 2. d. 28. p. 4
 Gratia semel accepta nunquã amit-
 titur, lib. 3. distin. 3. p. 11. & distin.
 31. p. 1
 Gratiam sciunt se habere omnes iu-
 stificati, supra certitudo
 * Gratia non amittitur per solum
 vnum mortale, 1. 3. d. 31. p. 2

H.

Hæreticus est omnis peccãas mor-
 taliter, vide vbi supra fides
 hæresi. 3

I.

Idololatriam quidam Christiani
 varijs modis coluerunt, lib. 3. d.
 9. p. 1
 Imagines sunt tollendæ, & non ado-
 randæ, 1. 3. d. 9. p. 7. & 8
 Imago Dei consistit in carne, supra
 caro
 Inferni poena non est perpetua su-
 pra diabolus
 Ad inferos Christus non descendit,
 1. 3. d. 22. p. 2
 Inimicum licet decipere, & ei dam-

num inferre, etiam per mendacia
 & periuria, 1. 3. d. 40. p. 49
 Iniuriæ satisfactionē non licet Chri-
 stianis petere, 1. 3. d. 30. p. 3
 Ioannes Baptista fuit damnatus, 1. 3.
 d. 25. p. 13
 Iudas fuit diuinus, & quia præsci-
 uit vtilitatem passionis Christi il-
 lum tradidit, illaque traditio fuit
 laudabilis, lib. 3. d. 20. p. 4
 Iudex neminem potest damnare ad
 poenam, 1. 3. d. 40. p. 33
 Iurare est illicitum Christianis, ibi
 p. 4
 Iurare falsum hoc est peierare est li-
 citum, ibidem. p. 4
 Iustificatus non potest amplius pec-
 care, vbi supra gratia hæresi 2.
 Iustus in omni opere peccat, 1. 2. d.
 27. p. 5
 Iusti sunt certi de sua gratia, supra
 gratia hæresi. 3

L.

Lex vet⁹ est mala, & à malo prin-
 cipio, lib. 1. distin. 2. de vnita-
 te. p. 5
 In lege sua potest quilibet saluari, 1.
 3. d. 25. p. 17
 Liberum non est humanum arbi-
 trium, 1. 2. d. 25. p. 3
 Liberum arbitrium sine gratia non
 potest aliud facere quam pecca-
 tum, ibi. d. 40. p. 4
 Liberum arbitrium recepta gratia
 non potest peccare, supra gratia
 Lingua

HAERESVM.

Lingua nō fuit vna sola ante turrim
 Babel, 1. 1. d. 22. p. 4

M.

Malorum etiam culpæ Deus
 est autor, lib. 1. d. 46. p. 4
 Malæ sunt aliquæ creaturæ, neq; à
 Deo productæ, vbi creatura
 Malorum etiam poenæ Deus nō est
 autor, vbi prima.
 Mali reges & pseudoprophetæ nō
 veniunt à sua voluntate sed à Dei
 iussione, lib. 2. d. vlt. p. 4.
 Maria virgo fuit cognita à Ioseph
 post natum Christū, 1. 3. dist. 4. p. 6
 Maria virgo non fuit mater Dei ibi.
 part. 4
 Maria virgo habuit peccatum venia-
 le, 1. 3. d. 3. p. 6
 † Martyres tēpore persecutionis li-
 cite negant Christum, 1. 3. dist. 25.
 part. 11
 Martyres sunt qui seipfos occidunt
 in poenam suorum peccatorum,
 lib. 3. dist. 40. part. 34
 Martyres sunt omnes qui seipfos oc-
 cidunt, ibidem.
 Mentiri licet pro saluanda vita ho-
 minis, ibi. p. 49
 Meritum nullum est ad gloriam, 1. 2.
 dist. 27. p. 5. & 7
 Mereri potest homo vitam æternā
 sine gratia, sup. gratia hæresi. 1
 Miracula vera non fiunt in ecclesia
 lib. 3. dist. 25. p. 4
 Mundi materia nō fuit facta à Deo

sed illi coæterna, 1. 2. d. 1. p. 1.
 Mundus fuit ab æterno, vbi. & p.
 8.
 Mundus non fuit creatus à Deo sed
 ab angelijs ibi, dist. 1
 Mundus creatus est ab vno Deo,
 sed quia sunt plures dij, alter ni-
 hil produxit, ibi, & supra Deus
 hæresi prima

O.

Obediendum non est prælatis
 ecclesiæ supra ecclesia hæ-
 resi. 2
 Occidere hominem nullo modo li-
 cet etiam ex præcepto iudicis, d.
 40. p. 33
 Occidere seipsum licet, dist. 40. p.
 34.
 Occidere tyrannum licet cuilibet
 priuato, lib. 3. dist. 40. p. 33
 In opere omni peccat iustus supra
 iustus.
 Opus nullum est bonum nisi fiat ex
 puro & sincero amore, vitatur
 enim ex intuitu mercedis æternæ,
 lib. 3. dist. 29. p. 3
 Opera humana non sunt meritoria
 supra meritum,

P.

Papa non est superior alijs Epi-
 scopis, neq; immediatus & pro-
 ximus vicarius Christi, 1. 3. dist. 25
 p. 21

I N D E X

Papa non potest facere constitutio-
nes, sup. ecclesia, hæresi. 2.
Pauperes nisi sint omnes ut Apo-
stoli non possunt saluari, l. 3. dist.
25. p. 11
Paupertas est inutilis & noxia, ibi-
dem.
Peccatum originale nullum est, l. 2.
dist. 30. p. 1
Ob peccatum originale fuere dam-
nati omnes ante aduentum Chri-
sti, l. 2. dist. 33. p. 2
Peccatum est omne opus, supra iu-
stus: & opera.
Peccatum non venit à libero arbi-
trio, l. 2. dist. 25. p. 3
Peccatum nullum imputatur habē-
ti fidem supra fides hæresi. 2
Peccata omnia sunt paria, l. 2. d. 42.
p. 5
Peccare iustus non potest: supra gra-
tia hæresi. 2
Peccatum mortale nullum est nisi
incredulitas, l. 3. distin. 40. p. 60
Peccati mortalis & venialis non est
differentia, l. 2. distinctio. 42. p. 6
Peccati mortalis & venialis differen-
tia consistit in eo, quod omne pec-
catum prædestinati est veniale,
& omne peccatum reprobis est
mortale, libr. primo, distinct. 40.
p. 6
Præceptum nullum est in lege Euā-
gelica, libro. 3. distinctione. 40. p.
60.
Præcepti & consilij non est differē-
tia, ibi. p. 62

Præceptum quicquid à Deo nō est,
gratum illi non est, ibidem.
Præcepit Deus impossibilia ibidē,
p. 61
Prædestinatis non obsunt mala ope-
ra, neque præscitis profunt bona
l. 3. d. 10. p. 4
Prædestinatum potest quis scire se
esse absque reuelatione, l. 1. d. 41.
p. 7
Præscit Deus mala non ex se sed
per dæmonem, lib. 1. distinct. 35.
p. 2
Prophetæ loquuti sunt diuerso spiri-
tu ideo contraria & falsa, lib. 3. d.
34. p. 8
Prophetæ fuerunt arreptitij non in-
telligentes de quibus loqueban-
tur, ibidem.

R

Reliquiæ sanctorum non sunt
venerandæ: neque à monu-
mentis extrahendæ vt collocen-
tur in loco honoratiori, l. 3. d. 9.
p. 7
Resurrexit Christus die Sabbati, l. 3
d. 22. p. 5

S

Sancti non sunt orandi, neque
venerandi, l. 3. d. 9. p. 6
Scripturæ sacræ quidam non reci-
piant vetus testamentum, lib.
primo. d. 2. de Vnitate, p. 5
Ali-

H A E R E S V M.

Aliquī non recipiebant libros Ma-
chabeorum.
Alij non recipiebant ex quatuor
Euangelijs, nisi Euangelium
Lucæ.
Alij solum Euangelium Matthæi:
Alij non recipiebāt librū actuū
apostolicorum: Alij reijciebant
nonnullas Epistolas Pauli.
Alij reijciebant Epistolam Iacobi.
Vide in prologo, p. 4
Alij non recipiebant Euangelium
Ioannis neq; Apocalypsin lib. 1.
d. 27. de verbo, p. 2
Scientiæ omnes speculatiuę sunt er-
rores prologi, p. 11
Silentium est semper & ubiq; ser-
uandum, lib. 3. d. 29. p. 5
Spes non procedit ex meritis, l. 3. d.
26. p. 3
Studia generalia sunt excogitata à
diabolo prologi, p. 11
Subditi possunt ad suū arbitrium
dominos delinquentes corrigere:
supra corrigere.

T

Templa nullius sunt utilitatis, l. 3
d. 9. p. 11
Tentationes diaboli fiunt contactu
lapidum & herbarum supra dia-
bolus.
Terra est Deo coæua: supra Mun-
dus.
Timor Dei non erit in futuro sæcu-
lo, l. 3. dist. 15. p. 6

Tyrannus: supra occidere.

Ex libris Feuardentij.

A.

Abel cum cæteris Patriarchis
mansit in inferno: Cain cum
impijs consequutus est salutem,
lib. 3. d. 25. p. 13
Adam: & Eva non sunt creati à Deo
sed à principe materia seu cla, l. 2.
d. 15. p. 3
Adam in principio habuit speciem
feræ: Eva fuit condita inanimata
& immobilis, ibidem, & dist. 16.
p. 1
Adam & Eva non habuerunt in sta-
tu innocentie vnde possent sta-
re, libro. secundo, distinctio. 24.
p. 1
Adam occulto Dei iudicio præde-
stinatus fuit ad peccandum ideo
diuina ordinatione & volunta-
te lapsus est, vbi Deum facit au-
torem peccati, libr. 2. dist. 22. p. 5
Altaria non sunt erigenda neq; per-
mittenda in tēplis, l. 3. d. 9. p. 11
Angeli siue boni, siue mali non sunt
in rerū natura, l. 2. d. 9. p. 1.
Angeli non sunt distributi per no-
uē ordines, & tres hierarchias, ibi.
Angeli non deputantur ad custodiā
hominum, l. 2. d. 11. p. 1
Angeli non sunt colendi, & inuocā-
di, ibi. p. 11

An-

INDEX

Angeli non offerunt orationes nostras Deo, ibidem.

Angelis nihil profuit aduentus, passio, & mors Christi, l. 3, d. 3 par. 5. ad primum argum.

Angeli boni continuo peccant, l. 2. dist. 7. p. 1

Apostoli post susceptum Spiritum sanctum mortaliter peccauerunt & imperfectam doctrinam reliquerunt, l. 3. d. 23. p. 5. Corol. 2

Aquæ non sunt supra coelos, l. 2. dist. 14. p. 2

Artium liberalium studium Christianis illicitum prologi. p. 11

C.

Christus est Deus, à seipso, neque genitus ex substantia patris, l. 1. dist. 5. p. 2

De Christo nihil est scriptum in veteri testamento, l. 3. d. ib. p. 2. in solutione argum.

Christus homo est filius Dei adoptiuus, l. 3. dist. 10. p. 6.

Christus homo communi hominū ignorantia subiectus, l. 3. dist. 14.

p. 9. ad 2. argum.
Christus homo non est simpliciter & absolute adorandus supremo cultu, ne creatura pro creatore colatur, l. 3. d. 9. p. 5

Christum esse necessario orandū & inuocandum est hereticum, ibid.

Christus nil sibi meruit, l. 3. dist. 18. p. 2. & 3

Christi mors nil nobis profuit l. 3. d. 19. p. 1. Vide & d. 21. p. 2. contra Gnosticos & Calvinum in solutione argumenti.

Christi animare ipsa non descendit ad inferos, id est ad eam partem inferorum circa terræ centrum constitutam: in qua patrum animæ detinebantur usque ad illius aduentum, neque ex eo loco illas eduxit, l. 3. dist. 22. p. 2

Christus non surrexit clauso sepulchro, libr. 3. distinctio. 22. p. 5.

Christus non intrauit ad discipulos ianuis clausis, ibid.

Christus non reseruauit in carne sua cicatrices: neque cum eis veniet ad iudicium. Ibidem.

INDEX LIBRI PRIMI.

A.



Abstractum & cōcretum non differunt in diuinis, dist. 27. p. 3

Æquale quid significat, d. 31. p. 1.

Æqualitas diuinarum personarum, d. 19. & 20.

Appropriatum, & appropriabile, dist. 3. p. 5

Apparitiones Dei proportionantur fini, d. 16. p. 7

Apostolorū morti affuit Christus, d. 41. p. 9

Argumenta apparentia quandoque magis confundunt quā vera, d. 20

Artes liberales prologi, p. 11

Attributū, d. 8. de simplicitate, p. 4.

B.

Bonum quid, dist. 46. p. 4

Bonum & malum quomodo opponuntur, d. 8. de veritate p. 4

C.

Caritas qua Deum diligimus nō est Spiritus Sāctus, d. 17. p. 1

Caritatis augmentum & diminutio in ea, d.

Causa vniuersalis & particularis, d. 45. p. 4. Causa immediata ibidem.

Causa prima potest per se quod cū

D.

Damnare si potest Deus, sine culpa. d. 41. p. 6

Deum esse per se notum & demonstrabile, distinctio. 2. p. 1. & 3.

Deus quomodo vbiq̄ dist. 37

Deus tripliciter cognoscibilis, per creaturas, dist. 3. p. 1

Deus genuit Deum, distinctio. 4. p. 1

Deus quomodo supponit, ibi.

Deus est quicquid in Deo est, dist. 8. de simplicitate. p. 3

☞☞ Deus

causa secūda, est de fide d. 42. p. 7

Certitudo triplex, distinct. 17. p. 3.

Circumcessio. dist. 19.

Cognitio Dei per gratiā perfectior quam per rationem naturalem, dist. 3. p. 3

Cognoscere per creaturas, & in eis differt, d. 3. p. 4

Columba in qua apparuit Spiritus Sanctus, dist. 16. p. 3. & 5

Cōpositio quadruplex, d. 8. de simplicitate, p. 1

Concilia congregantur contra errores, d. 11. p. 1

Cōtradiçtorie repugnātia, d. 42. p. 5

Creator & creans differunt, dist. 12. p. 5.

INDEX

Deus nomen multiplex, distin. 24.

p.4

Deus & lapis non sunt duo, dist. 24.

p.2

Deus non est in genere, distin. 8. p. ultima.

Dicere capitur tripliciter, distin. 32.

p.2

Diligūt se pater & filius Spiritu sancto, d.32.p.4

Distinctius res significat, quam cognoscitur, distinctione. 22.

p.4

Doctrina supernaturalis necessaria, in prologo, p.1

Dona Spiritus sancti cum datur, datur & ipse spiritus, d.14.p.3

Donum datio irredibilis, distin. 18.

p.1

Donum est ipse Spiritus sanctus, ea. distinctio,

E.

ECclesia iudicat de libris canonicis in prologo, p.5

Editio vulgata, p.7. prologi

Electio quid d.40.p.2. & distinct. 1.

p.2

Essentia diuina non generat, dist. 5.

p.1

Esse in loco diffinitiuē, distinct. 36.

p.4

Esserum in Deo, d.36

Esse vnam personam in alia distinctio. 19

Exclusiua dictio in diuinis distin-

ctio. 21

Esse alicuius dicitur multipliciter,

d.18.p.2

F.

Filius semper nascitur, & natus est, dist. 9. p.3

Filij non possunt esse duo, distin. 1. de Trinitate, p.3

Filium pater genuit necessitate, & volens, distinctione, 6. p. 2.

& 3

Finis duplex, distinctio. 1. de frui p.5

Forte in scriptura libertatem denotat arbitrij, distinctione. 41.

p.9

Fruitio quid, d.1

Frui si possumus vna persona sine alia, ibi. p.10

Frustra quando est aliquid, dist. 43.

p.4

G.

Generat nemo te, dist. 4. p. 2. & dist. 5. p.1

Generatio filij æterna, distinct. 9. p.1

Generatio filij & processio Spiritus sancti differunt, d.13.p.3

Genitum & factum differunt, ibi.

p.4

Generatio vnius quando corruptio alterius, distinctione. 17. p. 3. in Coroll.

Coroll.

Gra-

LIBRI PRIMI

M

Malum, d.46
Mala permittens quando peccat, distinctione. 40. p.10

Mala permittit Deus ex eis que bona elicit, distinctione. 1. p. 6. de vt i.

Mentiri non potest Deus, distinctione. 42. p.4. & distinctione. 8. de veritate.

Metaphora, distinctione. 7. tertia p.5

Missio filij & Spiritus sancti duplex d.15

Missio visibilis Spiritus sancti non fuit in veteri testamento, dist. 16.

Missio, & Donatio si differunt, d.14.

Mobilitas dicitur dupliciter, d.8. de immutabilitate, p.1

Mors est mutatio, ibi. p.2

Mutare naturas rerū si potest Deus d.44.p.8

N.

Necessitatis ordo quadruplex, in Deo, d.19.p.3

Nemo nouit filium nisi pater, dist. 20.

Nominum diuinæ essentia triplex genus, distinctio. 5. p.1

Nomina Dei in sex differentijs, d.22.

Nomen tetragrammaton quare ineffabile

Gratiæ incertitudo, d.17.p.3

Gubernatio Dei per media creatura, d.39.p.4

H.

Homo quare dicitur creatura mundi, d.3.p.4

I.

Idos, & idem, d.35

Identitas attributorum, d.8. de simpli. p.4

Imago Trinitatis, distinctione. 3. p.6

Imago, d.10.p.3. & 4. & dist. 27. p.8 & d.28

Immediatio duplex, distinctio. 45. p.4.

Immensitas Dei, d.37

Ingenitum, dist. 13. p.4

Intellectus & sensus circa idem se confortant, distinctione. 16.

p.7

L.

Libri canonici qui in prologo, p.4

Libri canonici multi periere, dist. 41. p.9. de Salomone.

Linguarum peritia ad quæ utilis, p.7. prologi.

Locus non est ultra vltimum cœlum, d.37.p.5

I N D E X

ineffabile, ibi. p. 4
 Nomē Dei ab omnibus linguis per
 quatuor literas, ibi.
 Nomina Iesus, ibi. p. 5
 Nomina Dei ex tempore, distinc.
 30.
 Noster dicitur Spiritus sanctus, &
 non filius, d. 18. p. 4
 Nostra non dicitur Deitas, ibi.
 Notiones quinque, distinctio. 26.
 p. 2
 Numerales termini in diuinis, dist.
 24.

O.

Objectū naturale sui intellectus
 est Deus, respectu aliorū est
 voluntarium, d. 2. p. 2.
 Ocham non fuit primus nomina-
 lium, dist. 44. p. 9.
 Obduratio, d. 40. p. 9.
 Occidens se facit ex amore proprio,
 d. 1. p. vltima
 Omnipotentia Dei, d. 42. p. 1.
 Omnipotentia non potest commu-
 nicari creaturæ, d. 43. p. 5
 Origo & relatio quomodo differūt
 d. 26. p. 4.

P.

Participare esse diuinum quid,
 d. 8. p. 5. de simplicitate.
 Pater verbo creat & dicit omnia, d.
 32. p. 1.
 Physica quare non ars liberalis pro-
 logi, p. 11.

Personæ diffinitio, d. 23. eius signifi-
 catio, d. 25. Non dicitur vniuoce
 de Deo, & creaturis, ibi.
 Personæ diuinæ, per quid sunt perso-
 næ, d. 26. p. 3
 Potentia actiua & passiua, dist. 42.
 p. 2
 Posse generare & creare non est idē
 d. 7. p. 3
 Potentia generandi si est in filio, di-
 stinct. 7. p. 2
 Potentia ad spirandum, d. 11. p. 2
 Potentiæ obiectum, dist. 20. & 42.
 p. 3
 Potētia ordinaria, & absoluta, d. 44.
 p. 1
 Prædestinatio, d. 40. & 41.
 Prædestinatio aliquorum certa per
 Scripturam, d. 41.
 Præscientia Dei nō imponit neces-
 sitatem, d. 38.
 Principium transmutationis priua-
 tio, distinctio. 8. de simplicitate
 p. 1.
 Principiare naturaliter & libere, d.
 10. p. 2
 Principium, distinct. 29. & dist. 32.
 p. 1
 Principium vnum spiritus sancti
 sunt pater & filius, distinctio. 12.
 p. 1.
 Prioritas originis dist. 19. p. 3. & d.
 27. p. 3
 Processio tēporalis Spūs sancti d. 14
 Productiones in Diuinis duæ, d. 2.
 de Trinitate, p. 3
 Proprium, & appropriatum,
 d. 3.

LIBRI PRIMI.

d. 31. p. 4
 Proprietates in diuinis, d. 26. p. 2
 Prouidentia Dei, d. 39. & d. 35. p. 1
 Prudentiæ partes, d. 39. p. 3.

Q.

Quid multipliciter quærit, d. 21
 p. 3
 Quantitas molis & virtutis, d.
 17. de augmento caritatis, p. 1.

R.

Relatio realis tria includit, d. 31.
 p. 3
 Relatio significatur dupliciter, dist.
 27. p. 3
 Relationes in diuinis quatuor, dist.
 26. p. 2
 Reprobatio, d. 40
 Reuelari si potest alicui sua dānatio
 & reuelata quid facere debet, d.
 48. p. 5

S.

Samuel si apparuit Sauli, d. 41. p.
 9. de Saule
 Sanctificatio multipliciter dicitur,
 d. 14. p. 1
 Sapiens non est pater sapientia ge-
 nita, d. 32. p. 1
 Scientia Dei, d. 35
 Scientia Dei quomodo causa rerū,
 d. 38. p. 1
 Scientia visionis, d. 39. p. 2

Scriptura iudex mortuus, prologi.
 p. 5
 Scriptura ex reuelatione, prologi.
 p. 6
 Simile in diuinis quid significet, d.
 31. p. 1
 Simplicitas Dei, d. 8
 Spiritus sanctus dicitur dupliciter,
 d. 10. p. 1. & d. 26. p. 6
 Spiritum sanctū dari creaturæ quid,
 d. 14. p. 3
 Spiritus sanctus necessario spiratur,
 & libere, d. 10. p. 2
 Spiritus sanctus non est similis Pa-
 tri ex vi productionis, ibi. p. 3
 Spiritus sanctus à Patre & Filio, d.
 11. p. 1
 Spiritus si nō procederet à filio si ab
 eo distingueretur, d. 11. p. 3
 Spirator, & spirans differunt, d. 12.
 p. 3
 Spiritus duplex, d. 18. p. 4
 Substantiæ duplex proprietates, d. 8.
 p. vltima.

T.

Theologia est scientia prologi.
 p. 12
 Translatio ex similitudine, d. 3. p. 5.
 Translatio nominū ad diuina, d. 34
 Trinitas Dei, d. 2
 Trinitas quib⁹ modis in sinuata, ibi.
 p. 5

V.

Verbalia in or quid dicunt, dist.
 12. p. 5
 CC 3 Verbum

INDEX

- Verbum triplex, distinct. 27. p. 1. de verbo
 Verbum diuinum, ibi. p. 2
 Verbi & filij differentia, ibi. p. 4
 Veritas Dei, d. 8
 Vestigium Trinitatis, d. 3. p. 5
 Viuere coram Deo sonat in bonū, d. 41. p. 9
 Vita quomodo omnia in Deo, dist. 36. p. 7
 Vnititas Dei, d. 2
 Voluntas diuina semper recta, & semper in actu, d. 10. p. 4
 Voluntas Dei signi, & beneplaciti, d. 45. p. 6
 Voluntas antecedens & consequens, d. 46. p. 1
 Voluntas Dei semper impletur, distinct. 47
 Voluntas antecedens, & accedens, dist. 6. p. 4
 Voluntati Dei quomodo tenemur esse conformes, d. 48
 Voluntas Dei regula suarum actionum, d. 43. p. 2
 Voluntas si attingit effectum immediatus quā intellectus, d. 45. p. 5
 Vti & vsus quid, d. 1
 Vsus præcedit electionem, & sequitur, ibi. p. 2

INDEX LIBRI SECUNDI.

A.



- Acceptio personarum non est in gratuitis, d. 28. p. 4
 Actus meritorius principalis à gratia, distinct. 26. p. 4
 Actus humanus quis, d. 38. p. 1
 Actus indifferens, d. 40. p. 4
 Actus interior & exterior, vnus, d. 42. p. 1
 Adam qua hora peccauit, distinct. 22. p. 5
 Adam stante alia mulier crearetur, ibi. p. 4
 Adam habuit fidem, d. 23. p. 10
 Adam non præsciuit suum casum, ibi. p. 12
 Adam habuit gratiam ante lapsum, d. 29. p. 1
 Adam habuit dona, quæ non habet posterius, ibi. p. 5
 Adæ scientia, d. 23
 Adæ & Euz peccatum, d. 22
 Æternitas propria Dei, d. 2. p. 4
 Æternum pro in longum tempus, d. 19. p. 9
 Æuum quæ mensura, ibidem
 Agens præstantius passo, d. 25. p. 3
 Amor naturalis ipsa potentia, dist. 3. p. 16. fundatur in vnitatis, ibidem
 Amor

LIBRI SECUNDI

- Amor liber seu electius, ibi. p. 17
 Amor animæ pes, d. 38. p. 4
 Aues cæli dicuntur dæmones, dist. 6. p. 4

Angelus.

- Angelus quando & vbi creatus, d. 2. p. 1. & 2
 Quomodo in eo est, vel nō est compositio, d. 3
 Sunt plures in eadem specie, distinct. 3. p. 4
 Eius definitio, ibi. p. 6
 Angeli cognitio, ea. d. 3
 Non habet notitiam intuitiuā Dei ex naturalibus, ibi. p. 7
 Habuit speciē diuinæ essentiæ. p. 8
 Habet concreatas species, p. 12
 Habet intellectum agentem & possibilem, p. 14. proficiunt in cognitione, ibi.
 Angelorum dilectio, dist. 3. p. 16. & deinceps
 Angelus non est creatus malus, dist. 4. p. 1
 Si creatus in gratia, ibi. p. 3
 Non potuit ei suus casus reuelari, ibi. p. 6
 Angelus habuit præceptum, distinct. 5. p. 4
 In eis meritū præcessit præmiū, p. 6
 Mora suæ viæ non instantanea, ibidem.
 Post plures actus adeptus beatitudinem. p. 8
 Quomodo appetijt æqualitatem Dei, p. 10

- Potuit peccare in primo instanti, p. 11
 Angeli plures permanserunt, quam peccauerunt, & de quolibet ordine ceciderunt, d. 6. p. 1. & 2
 Nomina Cherubim & Seraphim non sunt in dæmonibus, ibidem
 Lucifer de quo ordine, ibi. p. 3
 Qui ceciderunt in quo loco sunt, ibi. p. 4
 Boni suam gloriam, & mali poenā semper secum portant, ibi.
 Lucifer tētavit Adam & Christum, p. 5
 Angelus non adhæret immobiliter, d. 7. p. 3
 Non potest transmutare creaturas ad nutum, neque mouere nisi secundum virtutem limitatam, ibi. p. 8. & 9
 Angeli mali non faciunt miracula propriè, p. 10
 Angeli si sunt corporei, & quid possunt in corporibus assumptis, d. 8
 Non cognoscunt secreta cordium, possent tamen cognoscere, si non impedirentur, atque etiam secreta gratiæ, d. 8. p. 9
 Angelorum ordines nouem, & vni de ipsorum distinctio, d. 9
 Angeli habent nomina, ea. d. p. 11
 Angeli sibi loquuntur, d. 10. p. 5
 Angeli custodiunt homines, d. 11
 Angelus ligat alium, distinct. 10. p. 10. argu. 3
 Animā nostrā nō cognoscimus per essen-

INDEX

essentiam, distinct. 3. p. 11
 Animas rationales diuidebant Platonici trifariam, d. 6. p. 3
 Anima rationalis non ex Dei substantia, d. 17. p. 1
 Anima creatur, non ante corpus, ibi. p. 2. & 4
 Differt ab Angelo, ibi. p. 8
 Quomodo est vbi amat non minus quam, vbi animat, ibi. p. 7
 Animæ rationales non sunt æquales, d. 32. p. 4
 Anima sensitiva si est à Deo immediate, d. 18. p. 7
 Animale capitur dupliciter, distinct. 19. p. 5
 Aquæ quomodo congregatæ, distinct. 14. p. 8
 Arbitrium liberum vnde dictum, & ea quæ ad ipsum pertinent, d. 24. & 25
 Assumptio quid, d. 8. p. 2. in sol. 2
 Astronomia reprobata in his, quæ subsunt libero arbitrio, d. 7. p. 13
 Auxilium Dei generale, & speciale, d. 28. p. 1
 B.
 Benedictio quid, d. 15. p. 2. & 7
 Bissextilis annus quare dictus, d. 14. p. 12
 Bonitas quadruplex, d. 7. p. 4
 Bonum & malum quomodo opponuntur, d. 34. p. 2
 C.
 Caro pro corruptione carnis, d. 1. p. 1

Causalitas trium personarum, d. 1. p. 2
 Cælum empyreum quare dictum, et si intus in inferiora, d. 2. p. 3
 Cæli incorruptibiles, ibi. p. 4
 Cæli quando creati, d. 14
 Cælum Trinitatis, d. 2. p. 2. & d. 14. p. 3
 Cæli non sunt animati. p. 4. neque ab intelligentijs mouentur, p. 6
 Cælum dicitur tripliciter ea. d. 14. p. 3. & p. 4. ad. 2
 Circūstātia finis & obiecti, d. 38. p. 1
 Si ab ea sola bonitas actuum, distinct. 42. p. 1
 Cognitio distincta quid, d. 3. p. 8. fit per assimilationem. p. 12
 Cognitio matutina & vespertina, d. 3. p. 15
 Cognitio intellectus & rationis quomodo differunt, d. 5. p. 3. in argumento contra primam
 Cognitio per discursum quid, d. 5. p. 8. in sol. argu.
 Cōfirmatio vnde prouenit, d. 7. p. 1
 Conceptus quidditatiuus & qualitatiuus, d. 3. p. 13. ad primum
 Conscientia quid, d. 39
 Consensus verus & interpretatiuus, d. 24. p. 7
 Conseruatio, si idem, quod creatio, d. 1. p. 6
 Corpus Adæ quomodo ex limo, d. 17. p. 9
 Creare quid dicat, d. 1. p. 3
 Ponit mutationem in creatura, ibi. p. 4
 Creatio actio, & passio quid, p. 5
 Creatio

LIBRI SECVNDI.

Creatio vt est mutatio & relatio, ibidem
 Creaturæ trifariam diuiduntur, distinct. 1. p. 9
 Creauit Deus omnia simul, quomodo intelligitur, d. 2. p. 2
 Creatura non potest fieri per naturam inpeccabilis, d. 23. p. 3
 Curiositas quid, d. 22. p. 9
 D.
 Dæmones habent prælationes, d. 6. p. 6
 Dæmones triplici acumine vigent, d. 7. p. 14
 Dæmon victus, si tentat amplius, d. 6. p. 7
 Dānati non possunt poenitere, d. 7. p. quæ bona possunt operari. p. 4
 Delectatio morosa, d. 24. p. 7
 Delectatio venerea in quo statu maior, d. 20. p. 2. si maior in sobrio. ibi.
 Deus sæculi quomodo diabolus, d. 1. p. 1
 Deus quomodo causat diuersa, ibi.
 Deus non est autor mali, d. 14. p. 1
 Deus non fecit differentiam in Angelis, priusquam ipsi facerent inter se, d. 4. p. 3
 Dilectio naturalis magis ad Deum, quam ad se, distinct. 3. p. 19. & manet in dæmonibus
 Dilectionem naturalem si facit, magis vnitas, an bonitas, ibi in solutione argumenti.

Differentiam specificam non facit esse à Deo, vel per generationem, distinct. 3. p. 14
 E.
 Ecclesiæ determinationes contra errores, d. 2. p. 1
 Ecclesia non errat solemnizando sanctos, d. 3. p. 5. in fine
 Eclipsis in passione Christi, distinct. 13. p. 4
 Educi de potentia materię quid, d. 17. p. 4. & d. 18. ad finem
 Electionem præcedit consultatio, d. 3. p. 17
 Erasmus falsus fuit in libro Augustini, d. 14. p. 4. ad. 2
 Esse à Deo immediate, vel per creationem, d. 3. p. 14
 Eva quare formata de costa, d. 18. p. 3. & d. 20. p. 3
 Exemplar, & exemplum, d. 16. p. 1
 F.
 Facere quod in seest, distinct. 12. ad finem
 Fatum, d. 1. p. 1
 Festiuitatum signa sumpsit Ecclesia à sole quare, d. 14. p. 12
 Filij in statu innocentie, si nascerentur confirmati, d. 20. p. 9
 Haberent membra infantilia, & acquirerent scientiam, ea. d. 11
 Filij naturales Adæ qui, distinctio. 13. p. 1
 Filii

INDEX

Filius quomodo portat iniquitatē
patris, d. 33. p. 1
Finis diuinæ actionis ipse Deus, d.
1. p. 10
Finis creaturæ corporalis homo, ibi.
p. 11
Finis hominis Deus supernaturali-
ter adipiscendus, ibi. p. 12
Finis principalis voluntatis, distin-
ct. 38. p. 2
Fomes quid, dist. 30. p. 9

G.

Gratia non destruit naturam, sed
perficit, dist. 5. p. 8. in primo
argumento

Gratia quatuorplex, dist. 4. p. 3. & di-
stinct. 26.

Gratia & caritas idem, d. 26. p. 5

Gratia est vt sessionad equū, ibi. p. 6

Gratia principaliter ad meritū quā
voluntas, dist. 27. p. 2

Gratiam primam, nullus meretur,
d. 28. p. 3

Gratia si habet ex natura facere gra-
tum, d. 29. p. 3

Sine gratia potest homo in multa
opera moralia, & vitare nouum
peccatum pro aliquo tempore,
distinct. 28. p. 5. & 6

H.

Habitus non necessitat poten-
tiam, d. 7. p. 3

Habitus quomodo corrumpitur, di-

stinct. 35. p. 3

Hæreditarium ius, d. 20. p. 8

Homo non fuit factus propter An-
gelorum ruinam, dist. 2. p. 1. & di-

stinct. 9. p. 7

Homines si saluabuntur plures quā
Angeli, ibidem

Homines saluantur plures post pec-
catum, d. 20. p. 10

Homo interior & exterior, dist. 24.
p. 4

Homo quomodo vulneratus in na-
turalibus, d. 30. p. 9

Homicida casualis, si semper est ir-
regularis, d. 22. p. 9

I.

Ignorantia quatuorplex, & quæ ex-
cusat, d. 22. p. 8

Ignorantiam vincere quando dici-
mur, ibi. p. 11

Illabi animabus proprium Dei, di-
stinct. 8. p. 6

Illuminatio quid, d. 10. p. 6

Imago quid, d. 16. differt à similitu-
dine, ca. d. p. 4

Immittere cogitationes quomodo
potest dæmon, d. 8. p. 7

Immortalitas status innocentia, di-
stinct. 19. p. 6

Incantatio, d. 7. p. 13. & quare in mu-
lieribus abundat

Individuatio non est à materia, dist.
3. p. 4

Individua spiritualia si plura quam
corporalia ibi. p. 5. & d. 9. ad finē.

Induci,

LIBRI SECVNDI.

Induci, mutari, & cogi differunt, di-
stinct. 25. p. 4

Infideles non peccant in omni ope-
re, d. 41. p. 4

Innouare, d. 1. p. 3

Intellectus agens quare ponitur, di-
stinct. 3. p. 15

Intelligibile tripliciter in intelle-
ctu, d. 10. p. 10

Intentio quid, distinct. 13. p. 3. & di-
stinct. 38. p. 4

Iustitia publica quid, distinct. 7. pro-
posi. 12

Iustitia originalis, d. 30

Iustitiam originalem si haberent
protinus nati in statu innocen-
tia, distinct. 20. p. 8

L.

Libertas non est posse peccare, di-
stinct. 25. p. 2

Ligatio diaboli, d. 6. p. 5

Lux est qualitas, & si est de essentia
coloris, d. 13. p. 2

Lux & lumen differunt, ibi. p. 3. &
d. 14. p. 11

M.

Materia corporalis si est eadem,
d. 12. p. 1

Materiæ multiplicatio, d. 18. p. 6

Medium duplex, quo & quod, dist.
2. p. 3

Mensis primus quis, distinct. 14.
p. 10

Meritum de condigno, & congruo,
distinct. 27

Meritum est satisfactorium, distin-
ct. 36. p. 1

Meretur plus vnus actus intensus,
quā plures remissi, dist. 5. p. 8.
in coroll.

Miracula vera differunt à falsis, di-
stinct. 7. p. 12. vnde dicta. p. 10. à
solo Deo factibilia, ibi.

Missio Angelorum, d. 10

Monomachia victus non potest bel-
lare, d. 6. p. 7

Monstra vnde fiant, d. 7. p. 10

Mors quid, d. 19. p. 1

Motus Angelorum & animatum,
d. 10. p. 4

Motus primi, d. 24. p. 7

Mundus si fuisset ab æterno non es-
set æternus sicut Deus, d. 1. p. 8

Mundum adiectiuè quid significat,
d. 14. p. 4

Mutatio triplex, distinct. 1. p. 4

N.

In puris Naturalibus esse quid, di-
stinct. 28. p. 1

Negligentia in quo differt ab omis-
sione, d. 24. ad finem.

Notitia intuitiua quid, d. 3. p. 7. pa-
ritur ab obiecto & potentia, ibi.

propo. 14. generatur priusquam
species, ibi.

Numerus si extra animam, distinct.
3. p. 13. ad primum. Quomodo eā
comparantur species, ibidem.

Obediendum potestati, dist. 44 p. 5
Objectum naturale diuini intellectus est sua essentia, d. 3. p. 7. respectu nostri est voluntarium, ibi.
Objectum adæquatum intellectus Angeli ens in quantum ens, d. 8. p. 9
Obliuio non cadit in demonibus, d. 7. p. 14
Obliuio æquiualeat ignorantia, d. 22. ad finem
Obstinatio unde prouenit, dist. 7. p. 3
Obstinatis non aufert Deus auxiliū generale, ibi. p. 6. ad. 1
Odium Dei intrinsicè malum, dist. 7. p. 3. illum Deus causare nō potest, ibi
Omissio quid, d. 33. p. 1
Paradisus terrestris quid, & ubi fuit, d. 17. p. 10
Paruli cum solo originali decedentes ubi erunt post iudicium, d. 33. p. 8
Passiones animi quatuor, dist. 22. p. 6
Peccato superbiæ concatenantur alia, d. 5. p. 9
Peccatum primum Adæ, si potuit esse veniale, d. 21. p. 7
Peccatū mortale non fit quod erat veniale propter personæ digni-

tatem, ibi.
Peccatum Adæ, & Euz. quale, dist. 22.
Peccatum ex ignorantia & passione & malitia, d. 22. p. 6
Peccatum potest esse sine motu sensualitatis, d. 24. p. 6
Peccatum non est propriè in sensualitate, ibi. p. 7
Peccatum originale quid, d. 30. quomodo transfunditur, dist. 31. quomodo remittitur, dist. 32. est vnum, dist. 33. p. 5. eius poena, p. 6
Peccatum actuale unde habet originem, d. 34. eius definitio, d. 35. p. 1. eius distinctio, p. 3
Peccatum poena peccati, d. 36
Peccata omnia si potest homo vitare, dist. 28. p. 6. & distinctio, d. 36. p. 6
Peccato transeunte, ex quo dicitur homo peccator, d. 42. p. 3
Peccata dicuntur auersiones in scriptura, ibi
Peccata distinguuntur, ibi. p. 4
Peccatum in Spiritum sanctam, dist. 43
Peccatum ad mortem, ibi. p. 4
Pœna quid, d. 35. p. 6
Pœna damni & sensus, dist. 33. p. 6
Perplexitas nō est ex lege Dei, sed ex propria culpa, d. 39. p. 5
Potentia receptiua & capacitas idē, d. 3. p. 4
Potentia, & essentia creaturæ si est idē

idem, d. 10. p. 4. & d. 26. p. 6
Potentia passiuā triplex, dist. 1. p. 12
Potentia motiua angeli si distincta ab eius voluntate, d. 10. p. 4
Portio superior & inferior dist. 24. p. 2
Si in portione superiori est peccatū sine motu sensualitatis, dist. 24. p. 6
Potestas peccandi & præsidendi quomodo à Deo, dist. 44
Pincipium effectiuum vnum, d. 1. p. 1
R
Raptus virtute creata non est ad mere intellectualia, dist. 11. p. 7
Ratio seminalis, d. 18. p. 5
Reuelatus Petro suus casus & poenitentia d. 4. p. 6
S
Scientia Adæ quæ d. 23. p. 6
Sciintillationis, d. 39
Semen quomodo superfluum alimenti, d. 20. p. 5
Sensualitas quid, & ubi ponitur, d. 24. p. 3
Similitudo Dei quomodo potest appeti, d. 5. p. 10. & d. 22. p. 2
Sortilegij poena, d. 7. p. 13
Species quid est, d. 3. p. 12. & est ponenda cōtra multos, ibi. Facit ob-

iectum actu intelligibile, ibi. p. 11
Infusa perfectior acquisita, p. 14.
Studiofita, d. 22. p. 9. ad primum
Superbia est appetere excellentiam non habitam, & nimio amore diligere iam habitam, d. 22. p. 2
Synteresis, d. 39
T
Tactus probat veritatem carnis, d. 8. p. 2. ad. 3
Tentatio duplex: non semper est peccatū: d. 21. non est appetenda, 23. p. 2
V
Venialis & mortalis differentia d. 42. p. 6
Veniale in quo sensu dixit Bona, quod non offendit Deum, ibi.
Veniale improporcionabiliter exceditur à mortali, ibi. p. 8
Venialiter peccans facit contra legem & non contra finem legis, d. 36. p. 6
Veniale dicitur tripliciter, dist. 43. p. 6
Vermis conscientia, d. 33. p. 6
Violentum quid, d. 25. p. 4.
Virginitas non foret in conceptu tempore nature integræ, d. 20. p. 2. in illo statu non præferretur matrimonio, p. 5
Visionum tria genera, dist. 14. p. 4. in sol. 2.
 CCC 3 Vita

INDEX

- Vita quid, eius operationes, dist. 19.
p. 1
Vnitas numerica maior, distinct. 3.
p. 16.
Voluntas capitur tripliciter, dist. 38.
p. 1. Non est totalis causa sui actus
distinctio. 37. p. 2. Concordans
appetitui sensitivo si est per actū
liberum, distinctio. 24. p. 7. in
solutio. argumēti.
Vnus rationis quid distinctio. 26.
p. 2. dub. 2. Ad quid tenetur per-
ueniens ad talem vsum, ibi, dub.
primo.
Vxor debet sequi virum, dist. 20.
p. 3
Vxores haberent omnes viri in sta-
tu innocentiae, ibi. p. 5

INDEX LIBRI TERTII.

A.



- A**ccidens quinque modis
corrumpitur, d. 31.
p. 1
Actiones quomodo sup-
positorum, distinctio. 19. p. 7. in
solutione, 2
Actus Caritatis posterior fide, &
spe, sed perfectior, distinct. 27.
p. 3
Actus moralis quando sub duabus
speciebus, distinctio. 40. p.
55
Adoptare translatum à iuristis, d. 10
p. 2
Adoptiuus filius si Christus, ibi. p. 6
Adoptiuus si præscitus in gratia, &
prædestinatus in mortali, p. 4.
& 5
Adoptionis nostræ Christus est cau-
sa, ibi. p. 7
Adoratio triplex, d. 9. p. 1. Non dici-
tur vniuoce sed analogicè
Adoranda non est hostia subcondi-
tione neq; Papa, d. 24. p. 12. quia
adoratio conditionalis minor est
quam absoluta
Adoratio non requirit certum lo-
cum, d. 9. p. 11
Adoratio agnorum, ibi, p. 10
Ætates mundi, d. 40. p. 19
Agentia naturalia determinata ad
vnum, d. 33. p. 4
Affectio iustitiæ & cōmodi, d. 26. p. 4
Amicabilia ad alterum, d. 29. p. 4.
Amor, amicitia, dilectio pro eodē,
d. 27. p. 2
Amor quæcumq; inclinatio, ibi,
Amor passio, & quomodo transfor-
mat amantem in amatum, ibi.
Anathema, d. 40. p. 33
Annata, ibi. p. 36
Angeli si redēpti p Christū, d. 3. p. 5
Ani-

LIBRI TERTII

- Animæ sanctorum quando fiūt im-
passibiles, d. 18. p. 2
Anima Christi nunquam separa-
ta à Diuinitate, distinctio. 21.
p. 2
Animas purgatorij si liberavit Chri-
stus in die suæ mortis, dist. 22.
p. 3
Animæ apparēt in corporibus phā-
tasticis, d. 18. p. 2
Angelos illuminat Christus, dist. 22.
p. 2
Annuntiare ventura proprium Dei
d. 24. p. 1
Appellatio de iure gentium, dist. 4.
p. 35
Apostoli si fidem miserunt, distin-
ctio. 23. p. 5. Corolla. 1. & dist.
24. p. 1
Apostoli confirmati, d. 3. p. 16. & 17.
eorū morti affluit Christus, d. 23
p. 5. Corol. 2
Apostoli sciuerūt omnia credibilia
explicite, quæ creduntur in eccle-
sia, d. 25. p. 15
Apostolis conueniebant tria, d. 34.
p. 8
Apostoli condiderunt Symbolum,
d. 25. p. 18
Argumentum aliter se habet in lo-
gica aliter in Theologia, dist. 23.
p. 10
Argumentum ab auctoritate negati-
ue valet in moralibus, dist. 25.
p. 8
Argumentum de maiori ad minus,
quando non valet, d. 4. p. 19
Articulus quid d. 25. p. 18
Articuli fidei non augentur, ibi.
Articuli vt credantur egent auxilio
speciali, distinct. 23. p. 3. & dist. 25
p. 10.
Ascensio Christi ad quem locum,
d. 22. p. 18
Assumpsit verbum corpus & ani-
mam, & corpus mediante anima,
d. 2. 1. & 3
Auctoritas eadem de Christo, & ec-
clesia, & de Christo secundum di-
uersas naturas, distinctio. 16.
p. 3
Auxilium speciale ad omnes arti-
culos, d. 25. p. 10

B.

Baptismus ex metu quare tenet,
d. 25. p. 7
Bellare licet Christianis, dist. 37.
p. 37
Bis quid dicat, d. 8. p. 7
Bonum maius ordinatur ad minus,
d. 29. p. 3
Bonitas, & vnitas ad dilectionem,
d. 29. p. 4

C.

Caritas virtus Theologica, d. 23
p. 1. & eius acceptiones, p. 2
Eius modus in diligendo Deum,
distinctio. 27. p. 5. in diligendo
Deum, p. 6
Caritas comparatur luci. d. 23. p. 7.
Caritate

I N D E X

Caritate sunt diligenda quatuor, d. 28. p. 1. Si est hominis ad seipsum p. 2. Si creaturæ irrationales diliguntur ex caritate, ibi.
 Caritatis ordo, d. 29. maior & minor penes quid ibi. p. 2. attendit bonitatem & unitatem, p. 4
 Caritatis tres gradus, d. 29. p. 10
 Caritas cum inimicis, d. 30
 Caritas viæ per quodlibet mortale amittitur, d. 31. p. 1 & 2
 Caritas & culpa non repugnant formaliter, ibi.
 Caritas perficitur ex præsentia obiecti, ibi. p. 7. Et non perficitur in patria ex augmento habitus.
 Caritatis ordo in patria, alius quam in via ibi, p. 10
 Caritas formam virtutum, d. 23. p. 4
 Caritas differt à fide & spe, d. 23. p. 10
 Caro Christi quomodo in patribus d. 3. p. 1. & 2
 Carthusiensis quando tenetur comedere carnes, d. 40. p. 36.
 Certitudo quò duplex : in habitu à quo sit attendenda, d. 24. p. 13.
 Castitatis votum in principibus dispensabile, d. 29. p. 5
 Christus in quo sensu missus ad oues Israel, d. 20. p. 3
 Christus conceptus de Spiritu sancto, d. 4. p. 1
 Christus est aliquid, d. 6. p. 3. Si eius persona est composita, ibi, p. 2.
 Christus si veniret Adam non peccante, d. 7. p. 7
 Christus si creatura, dist. 11

Christus non incepit esse, dist. 12. p. 2
 Christus impeccabilis non ex unionis, ibi. p. 3. & 4
 Christus caput angelorum, dist. 13. p. 5
 Christus vsus donolinguarum, ibi. p. 6
 Christus viator & beatus, distin. 14. p. 2. Quomodo cognoscebat in genere proprio, p. 6. Si habuit scientiam acquisitam, p. 9. In quo sensu ignoravit diem iudicij, ibi. eius anima non fuit omnipotens, p. 10
 Christus quos defectus assumpsit, d. 15. p. 3. Quomodo potuit pati beatus, ibi. p. 6
 Christus suscepit necessitatem patiendi & moriendi, d. 16. p. 1. Eius corpus quomodo animale, ibi.
 Suscepit aliquid de omni statu, p. 2
 Habuit præceptum moriendi, eius mortis quæ causa, p. 3. Si per voluntatem suam separavit animam à corpore, p. 4. eius dolores quanti, p. 5
 Christus duas habuit voluntates, distin. 17
 Christus quid sibi, & nobis & à quo tempore meruit, dist. 18
 Christi anima quando impassibilis p. 2. In omni actu meruit, neque potuit non mereri, p. 5
 Christi merita nobis applicantur, d. 19
 Christus meruit nobis auxilia præceden-

LIBRI TERTII.

cedentia fidem, & ipsam fidem contra Driedonem, distinct. 19. p. 5
 Christi meritum, & satisfactio quomodo valoris infiniti, distinct. 19. p. 7
 Christi nomina undecim, ibi. p. 10.
 Christus mortuus propter iustitiam dist. 16. p. 3. & dist. 19. p. 1. & d. 20. p. 2
 Christus traditus à diuersis, distinctio. 20. p. 4. Fuit occisus per Gentes, p. 5. Si Iudæi cognouerunt esse Messiam, p. 6
 Christus vere mortuus, distinct. 21. p. 1. Quomodo à patre derelictus p. 2
 Christi corpus nunquam corrupteretur, ibi. p. 3.
 Christus in triduo non fuit homo, d. 22. p. 1
 Christi anima verè & realiter descendit ad inferos, p. 2. & 3. Quando surrexit ibi. p. 5. eius resurrectio quibus probatur argumentis, ibi.
 Chirographum Decreti, distin. 19. p. 8
 Comparatiuè res alba, quandoque vocatur nigra, distinctio. 29. p. 10
 Comprehendere capitur tripliciter d. 14. p. 2
 Concilium vniuersale repræsentat ecclesiam, distinct. 25. p. 22. non potest errare in fide, neq; congregari sine Papa, ibi.

Concilium prouinciale potest errare ibidem.
 Concurrere effectiuè, distin. 13. p. 5. in Coroll.
 Contumax quis distinctio. 40. p. 34
 Contumelia, & contumacia quid, ibi. p. 32
 Corruptio corporis ex originali, d. 21. p. 3
 Credendi actus à quo causatur, d. 25. p. 9
 Credere sicut oportet, distinct. 23. p. 3
 Credere Deo, & in Deum differunt ibi, p. 11
 Credibilia quomodo distinxit Augustinus, distinctio. 24. p. 3.
 Credere quæ sufficiebat ante Christi aduentum, distinctio. 25. p. 13
 Credibilia distinxit Scotus tripliciter, d. 31. p. 6
 Credere in ecclesiam, distinctio. 23. p. 11
 Credere plura explicite tenentur maiores, dist. 25. p. 15
 Credere in quibus casibus obligat, ibi. p. 19
 Confirmatio viæ & patriæ si differunt, dist. 3. p. 14
 Confirmatio si constitit confirmatis, p. 15
 Confirmatio unde prouenit, dist. 3. p. 14
 Crux prohibita sculpi in terra, d. 9. p. 8.

d.4.p.1
Filiatio in Christo duplex, distin.8.
 p.4
 Filius in quibus obligatur, patri di-
 stinct.40.p.27.
 Finis præcepti non cadit sub præce-
 pto, d.40.p.22.
 Fomes ligatur tripliciter, d.3.p.10.
 Forte in Scriptura designat liberta-
 tem arbitrij, d.25.p.3.
 Fur an licitè occidatur, d.40.p.33. in
 argumento.
 Furti species ibi in.7. præcepto.
 Futura certitudinaliter prædicere
 proprium Dei, d.24.p.1

G.

Generatio Corporis Christi in
 instanti, d.2.p.1.
 Generationis motus, ibi.
 Gentiles Christum crucifixerunt,
 dist.20.p.3.
 Gratia Christi summa, dist.13.p.3.
 Gratie ultimus effectus, ibi.
 Gratie plenitudo aliter in Christo,
 quam in sanctis ibi.
 Gratia capitis que d.13.p.4.
 Gratia gratis data quid dist.34.p.7.
 Eius diuisio ibi, p.8. omnes fuere in
 Christo, d.13.p.6.
 Gratia summa quòd Deus sit homo
 d.18.p.1.
 Gratia vnionis quid distinctione.2.
 p.5.
 Gratia potest infundi naturæ sine
 supposito ibi, p.4.

H.

Habitus necessarius quo admo-
 dum & substantiam actus,
 d.23.p.3.
 Habitus fidei acquiræ generatur
 ab actibus infusæ, ibi, p.12.
 Habituum distinctio per que obie-
 cta, d.24.p.9. cor.2.
 Habitus fidei augetur, ibi, p.10. &
 per quos actus, p.11.
 Habitus fidei infusus inclinatur abstra-
 hendo à significato tēporis, d.25.
 p.12.
 Habitus infusus facit duo, dist.24.
 p.11.
 Habitus non est grauior actibus à
 quibus generatur, d.40.p.6.
 Hælias apparuit cum Moyse, dist.18.
 p.2.
 Hæresis species infidelitatis, dist.23.
 p.5.
 Hæretici non habent fidem infusam,
 ibi.
 Hæreticorum etiam verba vitanda,
 d.4.p.4. & d.11.p.2.
 Homo quomodo prædicatur de
 Christo, d.7.p.3.
 Homo factus est Deus in quo sensu
 conceditur à Scoto, ibi. Quomo-
 do supponit p Christo, ibi, p.1.
 Homo quare reparatus & non ange-
 lus, d.20.p.3.
 Homicidium illicitū, d.40. in quin-
 to præcepto.
 Hyperbolicè loquitur scripturam, di-
 stinct.29.p.4.

Hypo-

Hypocrita quis, d.40.p.54.
 Humilitas si differt à timore filiali,
 d.34.p.4.
 Humilitas quæ virtus, distinct.36.
 p.26. & 28.

I.

Idiomatum communicatio, dist.
 8.p.1. & d.11.p.2.
 Ignorantia an detur de Christo,
 hodie inuincibilis, d.25.p.16.
 Ignorare sine culpa non potest ho-
 die, quis articulos fidei ea, distinct.
 p.19.
 Imaginum vsus quis incepit, dist.9.
 p.7.
 Imagines quas prohibuit Conciliū
 Eliberrinum quæ erant, distin.
 9.p.8.
 Incarnari potuit quælibet persona,
 distin.1.p.8.
 Incarnatio possibilis & eius modus,
 dist.1. quid dicat, p.4. & d.5.p.5.
 & dist.11.p.2.
 Incarnationem fecerunt tres perso-
 næ, d.1.p.9.
 Incipere secundum Scotum quid di-
 cit, d.12.p.2.
 Inclinatio naturalis non distingui-
 tur à re cuius est, distinct.17.p.1.
 & d.27.p.2.
 Inferni quatuor receptacula, distin.
 22.p.3.
 Infideles non sunt cogendi ad fidē,
 d.25.p.7. & 18.
 Qua prædicatione audita tenebun-

tur credere, ibi, p.6.
 Inimicum aut amicū diligere quod
 magis meritorium, d.30.p.5.
 Inimicos tenemur diligere, ea, d.
 Intellectus donum Spiritus sancti
 quid, d.35.p.2.
 Intellectus practicus nō est circa ve-
 rum simpliciter, d.36.p.3.
 Ioannes Baptista si dubitauit, dist.
 25.p.13.
 Iob quis fuit, d.25.p.15.
 Iudas si se occidit, d.40.p.34.
 Iudex tenetur iudicare secundum
 probata, distinct.40.p.33. distin.
 24.p.3.
 Iudici licet non sit euidentis delictū,
 est tamen euidentis quòd tenetur
 hunc punire, d.24.p.3.
 Iudei crucifixerunt Christum, dist.
 20.p.5.
 Iudæi si cognouerunt Christum, d.
 20.p.6.
 Iuramenta ciuitatis quomodo ligant
 posteros, d.40.p.30.
 Iuramentum quotuplex, p.26.
 Iurare non acceptare episcopatum
 si obligat, p.29.
 Iustificatio effectus fidei, d.24.p.4.
 Iustificatio nostra attribuitur Chri-
 sti resurrectioni, d.22.p.6.
 Iustitiæ nostræ quomodo immunda-
 ta, d.29.p.10.

L.

Latria quid, d.9.p.1. ad eius actū
 concurrant, d.40.p.23.

INDEX

Legislator Christus, distinct. 40.
 propof. 60
 Lex quadruplex eadem distinct. ante
 p. 56
 Liber vitæ, d. 29. p. 4. in solutione ar-
 gumenti, & dist. 31. p. 4
 Lex comparata Euangelio non glo-
 rificatur, dist. 29. p. 10
 Lumen gloriæ quando repugnat fi-
 dei, d. 31. p. 6

M.

Majoritas dilectionis unde at-
 tendenda, d. 29. p. 2
 Malum minus quando eligendum,
 d. 40. p. 33
 Maledictio mulierum duplex, dist.
 3. p. 5
 Maria verè mater Dei, distinct. 4.
 p. 4. concurrebat actiue ad gene-
 rationem, ibidem. p. 5. fuit sem-
 per Virgo. p. 6. viuendo semper
 meruit. p. 11
 Maria non plus dilecta quam Ec-
 clesia, distinct. 32. propof. 6. non
 fuit passa spasum femimortua,
 d. 16. p. 4
 Maria si ministravit semen, distinct.
 2. p. 2
 Maria immunis ab originali, distin.
 3. p. 8. ab actuali omnino libera,
 p. 9. & à fomite. p. 10. si habuit iu-
 stitiam originale. p. 11. si ei fuit
 acceleratus vsus rationis, p. 12. cõ-
 firmata ne peccaret, p. 13
 Martyrium cuius virtutis, distinct.

33. propof. 25
Mater ministrat semen, distinct. 4.
 p. 5.
 Mater plus diligit filium quam pa-
 ter, ibi.
 Matthæi locus, vobiscum sum expo-
 nitur, d. 25. p. 20
 Medium duplex, quo, & quod, dist.
 2. p. 3
 Memoria si est notitia intuitiva, d.
 14. p. 9. in corolla. Si est in brutis
 Mendacium quòd grauius laudan-
 do se, aut vituperando, 47
 Meritum & satisfactio differunt, d.
 18. p. 6. si fuit aliquod pro incar-
 natione, d. 4. p. 7
 Meritum de congruo cõcessit Tho-
 mas, ibi. p. 8
 Meritum sufficiens & efficiens, d.
 18. p. 7
 Meruit quomodo Maria esse mater
 Dei, d. 4. p. 9
 Sub merito non cecidit vnio hypo-
 statica cum omnibus suis priuile-
 gijs, d. 18. p. 1
 Meritum de congruo concessit Tho-
 mas, d. 4. p. 8
 Merita Christi quomodo nobis ap-
 plicantur, d. 18. p. 4
 Mereri dicitur tripliciter, d. 18. p. 6
 Mercenarius quis, distinct. 29. pro-
 pof. 9. operari propter æternam
 mercedem non vitiat opera: mer-
 ces æterna quid, ibidem
 Modus intrinsecus, d. 1. p. 3
 Moechiæ species, distinct. 40. pro-
 pof. 40

Moyfes

LIBRI TERTII.

Moyfes ante tempus mortuus, dist.
 16. p. 4
 Moyfes quomodo dubitauit, d. 25.
 p. 13. in quo sensu petijt deleri de
 libro, d. 29. p. 4
 Motus & sensus in spiritualib⁹ quid,
 distinct. 13. p. 4

N.

Natura quid, d. 1. p. 3
 Natura irrationalis potuit assu-
 mi à Verbo, p. 6
 Naturas plures humanas si assume-
 ret, Verbum si esset plures homi-
 nes, ea. d. p. 7
 Naturam eandem implicat assumi à
 tribus personis, ea. d. p. 10
 Naturaliter quæ insunt non faciunt
 laudabiles, aut vituperabiles, dist.
 20. p. 2

O.

Obiectum fidei duplex, distin.
 24. p. 6
 Obiecti triplex primitas, ibidem
 Obiectum naturale diuini intelle-
 ctus, sua essentia respectu nostri
 est voluntarium, distinct. 14. pro-
 pof. 5
 Obstinatio quandoquæ demeretur
 auxilium speciale, d. 40. p. 61
 Occidere se defendendo licet, dist.
 40. p. 35.
 Occidens se de per accidens se odit,
 distinct. 28. p. 2
 Oratio Christi semper exaudita, di-

distinct. 17. propof. 5. triplici de causâ
 sa orauit in horto, ibi.
 Oratio mentalis & vocalis, ibi
 Ordo quid, d. 29. p. 1

P.

Papa Christi vicarius, dist. 25. p.
 21. si potest errare in fide, aut ca-
 nonizatione sanctorum. ibi. p. 22
 si est hæreticus, an sit ipso facto
 depositus, ibidem
 Papæ non possunt esse duo simul,
 ibi. p. 21
 Phariseorum hæreses, d. 30. p. 2. &
 d. 40. p. 30
 Pars imperfectum, d. 7. p. 4. quid est
 de ratione eius, d. 6. p. 2
 Passio & propassio, d. 15. p. 5
 Passio Christi non excelsit omnes
 passiones martyrum, neque ade-
 quat pœnam inferni & purgato-
 rij, d. 16. p. 5
 Passio Christi reducitur ad causam
 efficientem, d. 19. p. 10
 Passiones animi quatuor, distinct.
 26. p. 3
 Passio Christi non simpliciter ne-
 cessaria, d. 20. p. 1
 Paulus de habitu fidei meminit, d.
 24. p. 5
 Paulus volebat esse anathema, dist.
 29. p. 4
 Perfectum dicitur dupliciter, distin.
 23. p. 6
 Peccatum crucifigentium Christi,
 dist. 19. p. 7
 Peccans

INDEX

Peccandi iusti neque venialiter, dist.
29. p. 4
Persona verbi, est persona humana,
d. 2. p. 7. non tamē conceditur esse
persona in quantum homo, d. 8.
p. 4. & d. 10. p. 1
Persona verbi secundum quid ter-
minat unionem, d. 5. p. 5
Perseuerantia virtus specialis, dist.
33. p. 26
Petrus negando non amisit fidem,
dist. 23. p. 5. si plus dilectus, quam
Ioannes, d. 32. p. 3
Planetæ quibus diebus dominatur,
d. 40. p. 20
Plenitudo temporis tempus incar-
nationis, d. 1. p. 1
Præceptum diuinum expecificatū
ab Ecclesia idem, d. 40. p. 23
Præcepta quomodo dignoscuntur
à consilijs, d. 40. p. 62
Moralia, ceremonialia, iudicialia,
ibidem
Præcepta non dantur de habitibus,
d. 27. p. 20
Prædestinatus quomodo Christus,
d. 7. p. 5. & 6. ipse est nostræ præ-
destinationis causa. p. 8. prædesti-
natio sua & nostra eiusdem ratio-
nis, p. 5
Privilegium quid, d. 3. p. 3
Propheta quis, d. 34. p. 8
Prophetarum spiritus duplex quis,
ibidem
Propheta excellentior Moyses an
David, ibi.
Prophetiæ donum si potius, quam

prædicatio, ibi in argumento.
Processus in infinitum negatur, di-
stin. 13. p. 2
Propositio transit de materia in ma-
teriam, d. 7. p. 2
Proximus dicitur relatiuē, & dicitur
quatuor modis, d. 28. p. 3. eius cor-
rectio si obligat cum propriæ vi-
tæ periculo, d. 29. p. 5
Purificatio, d. 24. p. 4

R.

Ratio legis, anima legis, dist. 40.
p. 36
Redemptio dicitur tripliciter, dist.
3. p. 5. ad primum argumentum,
& d. 19. p. 9
Redimi aliter potuimus quam per
mortem Christi, d. 20. p. 3
Redemptor Christus principalis
originalis, d. 20. p. 3
Reduplicatiuæ expositio, d. 5. p. 7.
& d. 7. p. 5
Religionis vnus supra alteram ex-
cellentia, d. 35. p. 4
Religiones licite expellunt incorri-
gibiles, d. 40. p. 33. ad finem
Resurrectio Christi causa iustifica-
tionis, d. 22. p. 6
Resurrectio Christi, ea, d.
Romani quare Deum Israel non co-
luerunt, d. 27. p. 9
Sabbati observatio moralis, & ce-
remonialis, d. 40. p. 19
Sabbatum

LIBRI TERTII.

Sabbatum Virgini Mariæ dicatum,
ibi. p. 20
Sanctitas & sanctificatio, d. 3. p. 4
Sanctificatus quomodo Christus,
& beata virgo, d. 4. p. 2
Sapientia & scientia donum Spiri-
tus sancti, d. 35. p. 1
Satisfactio à merito differt, dist. 18.
p. 6
Scientia animæ Christi, dist. 14
Scientiam habere practicam, & ha-
bere practicè differunt, ibi. p. 10.
Scientia quomodo manet in patria,
d. 31. p. 8
Scotus nō sensit cum Hugone, d. 21.
p. 3
Scotus non sensit cum Pelagio, d. 23
p. 3. Neque adæquat fidem infu-
sam acquisitæ.
Scotus non vocat auctoritatem eccle-
siæ humanam, neq; dixit fidem
gigni ex auctoritate humana, d. 24
p. 9
Scotus non dixit quemquam certo
scire se habere fidē infusam, d. 24.
p. 12
Scriptura vtitur tropis, distinct. 14.
p. 4
Species infusa & acquisita si diffe-
runt, d. 14. p. 9
Species intellectus creati non est
Deus, d. 14. p. 1
Spes virtus Theologica & eius acce-
ptione, d. 26. p. 2
Spes potest manere sine fide, d. 36.
p. 5
Spes Theologica, & spes passio dif-
ferunt

ferunt & conueniunt, distin. 26.
p. 2
Spes & fides in quo differant & con-
ueniant, ea d. p. 5. & d. 23. p. 10
Supererogatio quid, distinctio. 25.
p. 11
Suppositum quid addit supra natu-
ram, d. 1. p. 3. & quare dicitur, d. 5.
p. 1
Symbolum quid, d. 25. p. 18

T.

Templum Salomonis vbi ædifi-
catum, d. 9. p. 11
Templa quare construenda, dist. 9.
p. 11
Tentio quid d. 31. p. 10
Testes transfigurationis, d. 18. p. 2.
Timor triplex, d. 15. p. 6. & d. 34
Timor non est de malo certitudina-
liter noto, d. 15. p. 6. in. 2. arg.
Timor fuit in Christo, ibi.
Timor reuerentialis vnde p̄satur,
ibi.
Timor adimit devolūtario, d. 25. p. 7
Timor seruilis donum Dei, dist. 34.
p. 5
Totum & perfectum, d. 27. p. 9
Transfiguratio Christi, dist. 3. p. 9. &
d. 16. p. 2. in replica.
Tristitia quid, d. 15. p. 5
Tristabile magis facit ad meritum,
quam delectabile, distinctio. 20.
p. 2
Tutela inculcata, distinctio. 40.
p. 35
CCCCC Vere

INDEX

V.

Vercundia quid, d. 33. p. 28.
Væ in Scriptura quid denotat,
 2^o d. 27. p. 5
Verum dicitur dupliciter, d. 23. p. 6
Veritas propositionis de præterito,
 præfenti, & futuro, eadem distin.
 25. p. 12
Violentum quid, d. 25. p. 4
Virginitatis circumstantia quando
 mutat speciem fornicationis, di-
 stinct. 40. p. 55
Virtus faciendi miracula quæ, dist.
 25. p. 4
Virtus Theologica quæ, d. 26. p. 2
Virtutes morales si manēt in patria,
 d. 31. p. 9. & d. 33. p. 3
Virtutes Cardinales quatuor, &
 quæ ad ipsas pertinent, distin. 33.
 per totam.
Virtutes habēt pro obiecto bonum
 particulare, d. 23. p. 5
Virtus vna non est subiectum alte-
 rius, d. 23. p. 5
Virtutum connexio, æqualitas &
 infusio, distin. 36. & d. 24. p. 11

Vnio quæ præstantior beatifica, vel
 hypostatica, distinct. 2. p. 6. quæ
 maxima. p. 7
Vnum quantitativè, & qualitativè,
 d. 2. p. 7. vnde attendenda maio-
 ritas vnitatis, ibi.
Vnitum mansit Verbum in triduo
 non noua vnione, distin. 21. p. 2.
 & d. 2. p. 3
Vita actiua & contemplatiua, dist.
 35. p. 4
Vitam conseruare non tenemur per
 omne medium etiam licitum, d.
 40. p. 35
Voluntates duæ in Christo, distin.
 17. p. 1
Voluntas capitur multipliciter, ibi.
Voluntates Christi conformes, ibi.
 p. 2. & 3
Visus rationis quando fuit in Bap-
 tista, d. 3. p. 12
Vtilitas communis præfertur pro-
 priæ, d. 29. p. 5

Z.

Zelotypiam amor Dei non ad-
 mittit, d. 28. p. 1

FINIS.

SALMANTICAE,
 Apud hæredes Mathiæ
 Gastij. 1584.

